
BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
9H H
49

M. HENRICI GUTHBERLETI

Viri Clarissimi

CHRONOLOGIA.

EDITIO QUARTA,

Ab anno Christi cIↄ Iↄ LXXIV, in quo desierat Auctor, usque ad cIↄ IↄC LVII continuata,

Priori multò correctior.



AMSTELÆDAMI,

Apud JOANNEM RAVESTEINIUM.

ANNO cIↄ IↄC LXV.

AMPLISSIMIS, NOBILISSIMIS,

Consultissimisque

DD. CONSULIBUS,

Scabinis ac Senatoribus

inclytæ Reip. Daventr.

DD. suis plurimùm colendis.



MUltis modis cogitavi, Nobil. Ampliss. prudentissimique Viri, quo argumento aliquam gratitudinis significationem pro summo vestro erga me studio, quod jam abhinc annos quindecim non sine singulari animi mei lætitia ac voluptate abun-

 de

de perſpexi, etiam publicæ luci oſtenderem. Auri & argenti oblatione non potui, volui igitur ex animi dotibus qualibuſcunque hoc præſtare. Hiſce cogitationibus dum involutus hæreo, de parte quadam privatarum mearum meditationum ac lucubrationum mihi in mentem venit. Ex plurimis autem occurrit quam in hiſtoriarum lectione atque obſervatione inſumpſi. Etenim hujus ſtudii præ cæteris omnibus ea eſt dignitas & excellentia, ut ſi non extitiſſet, hæc non extarent. Siquidem omnium, ſcientiarum artium ac facultatum primos fontes

tes

tes aperit, & per univerſum literarum agrum fœcundiſſimos rivos diffundit. Concedit Theologus, aſſentitur Juriſconſultus, approbat Medicus, & totus Philoſophorum chorus aſtipulatur; quin & hiſtoriarum obſervatio mechanicas artes peperit. Totum Dei verbum ex rebus à Deo geſtis, Prophetarumque & Apoſtolorum dictis & ſcriptis ſatis quod dicimus confirmat. Notum eſt, ſine prudentia politicum ordinem nec eſſe nec conſervari poſſe, utpote quæ ex præteritorum conſideratione dum futura intelligit, præſentia rectè ad-

miniſtrat, id quod ſine hiſtoriarum cognitione neutiquam perfici poteſt. In medico duo κριτήρια maximè neceſſaria ſunt, videlicet λόγος καὶ πεῖρα, id eſt, ratio & experientia. Utrumque ex hiſtoria petendum eſt, quod idem de utraque philoſophia & theoretica & practica ſine omni controverſia affirmare poſſumus. Hoc enim eſt quòd ἱστορία honorario titulo & tanquam inſigni axiomate à ſapientioribus φιλοσοφία παραδειγματική, id eſt, ſapientia exemplaris dicta eſt. Eruditè igitur & eleganter in verſu ſuo

Ma-

Manilius ait:

Per varios usus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam.

Professò si naturalem historiam velut in tabula aliqua depictam perlustramus, magnâ admiratione afficimur, & (ut rectè admiratio primus gradus ad scientiam à Philosopho judicatur) ad exactiorem naturæ cognitionem percipiendam exstimulamur. Omnibus enim hominibus naturâ insitus est sciendi appetitus: Sed ex intuitu naturæ, ut cæli & cælestium corporum, horumque motuum & vir-

virtutum, item meteororum quæ in ſublimi conſpiciuntur, ut & terræ mariſque & omnium quæ in hiſce continentur; denique ſi ipſum hominem μικρόκοσμον accuratiùs contemplamur; indeque ad horum quæ diximus omnium autorem Deum Opt. Max. non adducimur, truncis & ſtipitibus inferiores ſumus. Ex naturali autem hiſtoria progrediendum eſt ad eam quam humanam ſeu ethicam appellamus, in qua qualis hominis vita, qualeſque ejus actiones eſſe debeant ut tota ſocietas integra & illibata ſervetur, pulchrè oſtenditur.

Hoc

Hoc enim modo θεωρία in natura & πρᾶξις in vita legitimè procedunt, ut notitia in veritatis, actio in bonitatis limitibus contineantur, id quod Deus in mundi creatione maximè attendit, & ob hanc cauſſam maximarum rerum memoriam per hiſtoriarum conſignationem perpetuò extare voluit. Ipſe igitur primam & antiquiſſimam hiſtoriam per Moſen ſcripſit, cæteras per cæteros ſuos fideles miniſtros, ut ſcilicet nota eſſent mundi & Eccleſiæ initia, generis humani origo, lapſus, & in integrum reſtitutio, promiſſiones de Chriſto, & cæ-

teræ patefactiones tam in Ecclesiasticis, quàm in politicis rebus; ut perspicuè in serie monarchiarum aliorumque regnorum & rerumpublicarum, inprimis in constitutione & deletione politiæ Judaïcæ videre licet.. Harum rerum memoriam Deus vult inter homines conservari & ad posteritatem transmitti, quod non nisi per literarum & historiarum monumenta fieri potuit. Et sanè ita necesse fuit, ut historia non solùm esset testis temporum & lux veritatis, sed etiam magistra vitæ, quæ per præmia virtutum nos ad harum amorem

ex-

excitaret; per pœnas vitiorum ad horum fugam & odium impelleret. Magna hæc est certè historicæ lectionis utilitas, ex cujus consideratione eò sum perductus, ut nihil prius habuerim, quàm inter varios meos labores quibus quotidie premor, hanc meditationem, quam vobis, Viri Nobil. & Ampliss., tanquam gratitudinis & observantiæ argumentum eâ quâ decet reverentiâ offero & consecro, elaborare & in publicam lucem emittere, nullus dubitans quin hoc meum consilium sitis approbaturi, & hoc meum opusculum eo quo spero &

con-

confido vultu accepturi. Quod reliquum eſt, Patres conſcripti, vos tutelæ ac protectioni divinæ ad felicem & ſalutarem Reipublicæ veſtræ adminiſtrationem commendo. Daventriæ ----

V. Nob. & Ampl.
Obſervantiſſimus

Henricus Guthberletus.

In

In Chronologiam

M. HENRICI GUTHBERLETI
V. Clariss. carmen ἐγκωμιαστικόν.

VIrtutem incolumen spernere suevimus,
Sublatam gemitu quærimus anxio,
Scanderum rapuit sæva necessitas,
Schickardum sepelit perpetuus sopor:
Et tu, Socraticis artibus inclyte
Guthberlete, jaces; quem, meritis gravem,
Divini madidum rore voluminis,
Romanâ celebrem grandiloquentiâ,
Et Graii volucrem carminis alite
Poscit luctificâ voce Daventria;
Ereptum lachrymans te sibi, primulùm
Post tam multiplicis dum sapientiæ
Curas, historiæ lampada concutis;
Annorum seriem casca ab origine
Ductam, postgenitis pandere gestiens.
Quæ nunc, dum tenebris ipse reconderis
Mansuro tenebras lumine dissipat.
Solamen querulis & cupidis tui,
Sed desiderium non minuens tui,
Quem, dum conspicimus, vix bene novimus,
Sublatum ex oculis (hei mihi!) quærimus.

Jacobus Revius.

Eidem.

Eidem.

PRorumpe tandem, transili repagula
Oblivionis tetricæ;
Prorumpe, nec nos ampliùs frustra sinas
Opus manere posthumum
Narrationum, clara diligentia
Manu, Guthberleti, tua
Rite exaratum, cujus nec Suetonium,
Corneliumve, aut Livium,
Nec te Thuane, Gallicum lumen, queat
Pudere jure, nec tuum,
Germana tellus, lucidum Melanchthonem,
Nec temporum ulla lumina.
Prorumpe tandem, transili repagula
Oblivionis tetricæ.

Piè parentavit

HENR. HEYDENDAL J.U.D.

Aliud.

Aliud.

SI commune bonum bonus est vir, Optime cœles,
Summo ea debetur gloria jure tibi.
Publica Musarum namque emolumenta juvantem
Penè novem lustris vidit ephebà cohors.
In trivio nec enim popularis honoris amore,
Jactator propriæ laudis inanis eras.
Sed virtute potens, & agendi sedulus, acri
Ornabas Spartam, sedulitate, datam.
Pensaque distribuens inter subsellia, Atlantis
Instar subdebas bajula colla Scholæ.
Quinetiam sophiæ penetrans delubra PROFESSOR
Ausus es abstrusos enucleare libros.
Quodque alium solido fregisset fortè labore,
Id facile atque tibi nil nisi ludus erat.
Ergo Stagiræos sic sectabar e recessus,
RAMI etiam doctas ut graderere vias.
Hinc has, atque illos simul imbibit aure juventus.
Posset ut inventas prodere voce strophas.
Nil te celabat dives Natura, lepores
Ingenuos omnes resque locusque dabant.
Fingere tu mores noras, animique tumultus
Præsenti indomitos composuisse stylo.
Hellas ad obsequium stabat; Latiumque fluentem
Sponte sinum eloquiis carminibusque dabat.
Quid? quod Theologicis etiam vigilatus in arvis
Constabat mirâ dexteritate labor?
Testis Nassovicis celebratus DILLA Camœnis,
Testis, qui Hammonæ Luppia lambit agros.

Testis

Prolegomena de ſcrupulis Chronologicis.



On ſine cauſa quidam univerſalis hiſtoriæ ſcriptores in frontiſpicio ſuorum tractatuum meminerunt de varietate ſupputationis annorum. Quot enim ſcriptores ſunt, tot fere in hoc articulo inveniuntur ſententiæ. Inprimis verò admirandus eſt error Euſebii, qui ex inſpectione Græcorum Bibliorum, ubi cap. 5 & 11 Geneſ. ætatibus Patrum aliquot centenarii annorum adſcripti ſunt, natus eſt. Sed fontes Hebraïci aliud oſtendunt, quos rectiùs & tutiùs ſequimur. Cæterum Chronologicæ difficultates, quas ſcrupulos vocant, per certa temporum intervalla cognoſcuntur, quæ ſeptem numerantur, & in veteri Teſtamento continentur. *Scrupuli Chronologici.*

Primum intervallum eſt ab exordio mundi uſque ad diluvium. Hic verò LXX Interpp. annos numerant 2362. Hebræi verò 1656. Forſan LXX interpretum Verſio vitiata ad nos rediit. Alter hujus intervalli ſcrupulus eſt, quo dicitur Noah natus annos 500 genuiſſe Sem, Cham & Japhet, Geneſ. 5. verſ. 32. unde videtur effici, Sem primogenitum fuiſſe & anno 500 patris natum, quum tamen Gen. 11. v. 20. dicitur, Sem genuiſſe filium anno ætatis 100, idque biennio poſt diluvium. quod ſi hoc, ſequitur Sem natum fuiſſe non anno 500 patris, ſed 502. Ipſo enim diluvii anno Noah fuit ſexcentenarius. Sed ſciendum eſt, Semum præferri ſuis fratribus non ex ordine generationis, ſed ex dignitate perſonæ, alias ratione ordinis generationis Japhet fuit primus, Sem ſecundus, Cham tertius. Tertius hujus termini ſcrupulus eſt de anno diluvii, ubi quæſtio eſt an Noah ingreſſus ſit arcam anno ætatis 600 ineunte, an verò completo. Qui poſterius ſtatuunt, diluvium ponunt in anno M. 1657. qui prius, in anno M. 1656.

Secundum intervallum eſt à diluvio ad vocationem Abrahæ, quod comprehendit annos 367. alii ponunt 422. [a] In hoc intervallo tres occurrunt ſcrupuli. Primus eſt ex differentia Hebræorum & LXX Interpp. quæ eſt annorum 780, quibus LXX ſuperant Hebræos. Secundus eſt de anno natali Abrahami, qui admodum exercet

a Forſan juxta horum calculum 427.

Chronologos, dum alii eum referunt in annum Tharæ 70. alii in 130. Ab illorum parte ſtat Bucholtzerus; ab horum Joh. Piſcator in Gen. cap. 11. v. 26. ubi ſane Moſes dicit, Tharam anno ætatis 70 genuiſſe Abrahamum, ſed additur, Nahorem & Haran. Nec enim Abraham fuit primogenitus, ſed, ut conſtat ex verſ. 32 ejuſdem cap. mortuus eſt Thara in Haran quum eſſet annorum 205. quo tempore Abraham fuit annorum 75. unde ſequitur quum Abraham naſceretur, patrem ejus Tharam fuiſſe annorum 130 Subductis enim 75. à 205 relinquuntur 130. qui ſunt anni Tharæ quum ipſi naſceretur Abraham. Et Stephanus Actor. 7. verſ. 4. affirmat Abrahamum mortuo patre (quum eſſet Abraham annorum 75. Gen. 12. v. 4) à Deo Charris tranſlatum. Diſcrepantia igitur eſt in annis 60. Tertius ſcrupulus eſt de anno Vocationis Abrahæ & primæ pactionis. Alii collocant in annum Abrahæ 70. alii in 75. alii in 85. ſed à plurimis recipitur prima ſententia, & ratio eſt, quia ſi ab exitu ex Ægypto retrò numerantur anni 430. (de quibus Exod. 12. v. 40. Galat. 3. verſ. 17.) rectà deducemur ad annum ætatis Abrahæ 70. vide etiam Gen. 15. v. 13.

Tertium intervallum à ſecundo pendet, eſtque ab anno 70 ætatis Abrahæ ad exitum ex Ægypto ſeu ad datam legem, vide Exod. 12. verſ. 40. & Galat. 3. v. 17. Dicit autem Moſes tempus incolatus Iſraëlitarum in Ægypto fuiſſe 430 annorum. ubi ſimplex ſenſus eſſe videtur, quaſi ab ingreſſu Jacobi anno ætatis 130 ad exitum ſub Moſe elapſi ſint anni 430. quod Chronologia non admittit. Textus igitur Moſis intelligendus eſt de tota peregrinatione Abrahæ & habitatione in Ægypto conjunctim. Demonſtratio hæc eſt:

Abrahamus quum vocaretur fuit annorum 70. & hinc ſumitur initium peregrinationis & habitationis in Ægypto.

Poſt annos 30 naſcitur Iſaac, Gen. 21. verſ. 5.
Anno Iſaaci 60 naſcitur Jacob, Gen. 25. verſ. 26.
Anno Jacobi 130 fit ingreſſus in Ægyptum, Gen. 47. v. 9.
Habitatio in
ipſa Ægypto 210
430 anni, de quibus Moſes & Paulus.

Error

Error igitur est non levis, quando initium annorum 430 ducitur ab ingressu Jacobi in Ægyptum, quum certum sit ab hoc ingressu ad exitum interfluxisse annos 210. à vocatione vero Abrahæ 430.

Quartum intervallum est ab exitu ex Ægypto ad ædificationem templi Hierosol.& comprehendit annos 480. ut expresse jubetur 1 Reg.6.vers.1. Scrupulus autem hic occurrit ex Act.13.vers.20 & 21. ubi dicitur,quod à terra distributa usque ad Samuëlem populus Dei habuerit judices per annos 450. quibus certè addendi sunt anni 40, quibus Moses dux fuit in deserto, & 6, aliis 7, anni, quibus post Mosem Josua præfuit ante terræ distributionem. deinde addendi etiam sunt anni 40, qui tribuuntur Samuëli & Saüli, item 40 anni Davidis, & 4 anni Salomonis, quia Salomon cœpit ædificare 4 anno regni sui.Hinc emergent anni 580. qui numerus contradicit numero qui extat 1 Reg. 6. v. 1. Supputatio hæc est:

Ab exitu Moses in deserto fuit	40.
Josua ante distributam terram	6.
A distributione ad Samuëlem	450.
Samuël & Saül	40.
David	40.
Salomon	4.
	580.

Quid ergo de hoc scrupulo dicemus?sunt qui ad Græcum Apostoli textum respondent, mendum ibi esse & pro τετρακοσίοις ponunt τριακοσίοις. ex quorum numero est D. Lutherus, & huic sententiæ quamplurimi astipulantur.

Quintum intervallum est ab ædificatione templi ad ejusdem destructionem & urbis excidium per Nebucadnezarem. complectiturque annos 429, si annum excidii conjungas. Bucholtzerus ponit annos 431. Hic verò aliquot scrupuli occurrunt quos recenset Joh. Jacob. Herman. in disput. Chron. 3. thesi 32. &c. ubi per historias regum in Juda & Israël plurimi monstrantur scrupuli.

Sextum intervallum continet tempus exilii Babylonici, quod est 70 annorum ex Jerem. 25. v. 11. Sed de horum annorum initio gravis controversia est; aliis primum annum Nebucadnezaris ponentibus, quum pars

populi abduceretur in Babylonem, anno Jojakimi tertio, 2 Chron. 36. vers. 7. & 2 Reg. 24. vers. 1. aliis octavum annum Nebucadnezaris quo, Jechonias cum multis aliis captus est & Babylonem abductus, 2 Chron. 36. vers. 10. & 2 Reg. 24. vers. 8. aliis demum annum 19. Nebucadnezaris, qui incidit in annum 11 Zedekiæ, 2 Chron. 36. v. 11. & 2 Reg. 24. v. 18. Singulæ sententiæ non carent suis rationibus, quamvis, quibus postrema videtur præferenda, præcipuo nitantur fundamento, quod vaticinium Jeremiæ cap. 25. v. 11. de Sabbatho terræ 70 annorum in postrema demum populi transportatione initium habet, nec in prioribus vastationibus terræ locum habet, siquidem templum licet esset spoliatum, nondum tamen cum urbe fuit excisum. accedit quod terra in prioribus vastationibus non egit Sabbathum, sed exculta fuit. vide etiam 2. Chron. 36. v. 20. & 21. Jer. 52. vers. 5. & 27.

Septimum & postremum intervallum est à capta per Cyrum Babylone ad finem 70 septimanarum Danielis. Et hic magna est sententiarum varietas de initio harum septimanarum. Alii ordiuntur à primo anno Cyri captâ Babylone; alii à secundo anno Darii Histaspis, & finem statuunt 3½ annum post Christi mortem; alii à 7 anno Darii Longimani; alii à secundo anno Darii Nothi, & finem ponunt in excidio Hierosol. per Vespasianum; alii ab anno 20 Darii Artax. Longimani, qui Nehemiæ mandatum dedit ædificandæ urbis Hierosol. Nehem. 2. vers. 6. Hujus dissensionis triplex indicatur caussa. 1. Quod initium septimanarum non exactè observatur ex verbis Angeli. *a*. 2. Quod ordo, in numero & nominibus regum Persicorum quodammodo negligitur. 3. Quod ex verbis Angeli quidam arbitrantur finem septimanarum extendendum esse ad excidium Hierosolymæ per Vespasianum, ideoque septimanas tardiùs numerare incipiunt. Cæterum illorum maximè probatur sententia, qui initium 70 septimanarum collocant in anno 20 Longimani, & terminum ad annum 4 post Christi mortem. constat enim respiciendum esse ad edictum non de ædificando templo, quod promulgavit Cyrus, sed de ædificanda urbe, quod promulgavit Artax. Longimanus. vide 2 Paral. 36. vers. 23. Esdræ 1. v. 2. Nehem. 2. vers. 5. & 13. Placet huc adscribere verba Amandi Polani in commentario ad cap. 9. vers. 25. Danielis:

a. Dan. 9. vers. 26. 27.

Amandus Polanus in cap. 9. Dan.

lis: Primum, inquit, edictum est Cyri 2 Chron. 36. v.22,23. & Esd. 1.v.1. & seqq. & cap.5. vers. 13. & cap.6. vers. 3. Secundum est Darii Nothi, quod extat Esdr. 6. vers. 1. & seqq. Tertium est Artaxerxis Mnemonis, qui anno 7 regni sui ex quo solus regnare cœpit iterum permisit reduci populum ex Babylonia, duce Esdra Sacerdote, ut est Esdr. 7. Quartum est itidem Artaxerxis Mnemonis, qui anno 20 regni sui Nehemiam dimisit Jerosolymam cum potestate urbis instaurandæ, Neh. 2. Ad edictum Cyri initium 70 septimanarum non potest referri, quia sic finitæ fuissent illæ 45 annis ante Christum natum. Atqui finis earum est in destructione & fine urbis Jerosolymorum, ut ex verbis vaticinii manifestè patet, & ex testimonio Christi, qui hoc Danielis vaticinium accommodat ad urbis & templi destructionem à Romanis faciendam, Matth. 24 vers. 15. Marc. 13. v. 14. Luc. 21. vers. 20. Ad primum edictum Artaxerxis Mnemonis referri nequit, quia sic demum 24 annis post ultimam desolationem urbis Jerosol. finitæ essent 70 septimanæ, quod repugnat vaticinio Angeli, qui destructionem fore commemorat in ultimæ septimanæ altera dimidia parte. Multò minùs alligari poterit principium 70 Septiman. ad annum 20 Artaxerxis Mnemonis; sic enim finitæ fuissent annis 37 post eversionem Hierosolymorum. Restat igitur ut principium septimanarum 70 ad edictum Darii Nothi referamus, quod secundo anno regni ejus est promulgatum, ut constat ex cap. 4 Esdr. vers. 24. Nam ab anno 2 Darii Nothi usque ad eversionem urbis Jerosolymorum fluxerunt præcisè anni 490. Hactenus Polanus, cum quo consentit Ioh. Piscator in cap. 9 Danielis. vide etiam Fr. Junium super hunc Danielis locum.

Epilogismus hic est:	Anni.
A secundo anno Darii Nothi ad mortem	18.
Artaxerxes Mnemon regnavit	43.
Darius Ochus	23.
Arsames seu Arses	3.
Darius Codomannus	6.
Alexander M.	6.
A morte Alex. M. ad excidium Hierosol.	391.
	490.

Hoc de intervallis cum scrupulis.

De primo mundo & rebus ante primam Monarchiam gestis.

HIstorici mundum faciunt duplicem. Primum & Secundum. Primus mundus est qui fuit ante diluvium, & describitur nobis à Mose octo primis capitibus Geneseos, ita ut annumeretur diluvium ipsum. Hic igitur sequentia capita sunt observanda:

1. Creatio omnium rerum, imprimis Hominis.
2. Primorum parentum lapsus, pœna & consolatio.
3. Historia Cajini & Abelis, ubi artium inventio.
4. Genealogia ab Adamo per Sethum usque ad Noachum.
5. Diluvium, quo mundus interiit.

DE CREATIONE.

Creatio est actio Dei, qua ex æterno suo decreto per infinitam virtutem in principio mundi ex nihilo produxit cælum & terram, hoc est, cælum supremum, & materiam, ex qua deinde spatio sex dierum cætera omnia condidit.

Creatio autem non est κίνησις, motus, quia in creatione nulla est successio, non terminus à quo, sed est actio Dei in instanti. Nec enim putandum est in creatione rerum intervenisse aliquam moram. quod vel ipse Moses innuit quum dicit: Dicit Deus, & factum est. Quod autem Moses creationis historiam distinctione sex dierum exponit, non est propriè intelligendum respectu Dei creatoris, cujus infinita virtus nec loco nec tempore indiget; sed accipiendum hoc est de creaturarum sibi invicem succedentium particulari distinctione, quæ per sex dierum intervalla absoluta est.

Distinctio igitur rerum creatarum facta est spacio sex dierum. 1. ut lex naturæ in ipsius mundi exordio sanciretur. 2. ut ordo inter creatorem & creaturas cerneretur. 3. ut triplex mundi status cognosceretur, videlicet creationis, distinctionis & exornationis.

Sed de prima materia magis ardua est quæstio. An Deus ex illa tanquam rudi & indigesta mole, quam Chaos vocant, res creatas produxerit. Affirmativa patronos

nos habet viros non contemnendos. Sunt tamen quibus negativa placet. 1. quia non est verisimile ex creatione produci corpus ἄμορφον & imperfectum. 2 quia sic creatio nihil ferè differret à generatione. Volunt igitur hi Deum omnia ex nihilo simpliciter creasse excepto solo hominis corpore.

Verùm enim verò ad creationis historiam accedo, quam Moses juxta sex dies distinguit.

Primo die Deus duo creavit, chaos & lucem primigeniam. Chaos à Mose dicitur abyssus, nempe aqua profundissima commixta cum terra, quæ erat res inanis & vacua & vasta, deserta, necdum plantis exornata. In hujus autem abyssi superficie Spiritus Dei, id est, Spiritus Sanctus sese agitasse scribitur, hoc est, vim indidisse aquis, ut habiles redderentur gignendis animalibus aquatilibus, quod factum est postea die quinto. Quum autem tenebræ essent super abysso, dixit Deus: Existat lux, & extitit lux. Et hoc pacto è tenebris splenduit lux, 2 Cor. 4. vers. 6. Fuit autem hæc lux corpus lucidum prægrande, quod deinde quarto die fuit distributum in Solem, Lunam & reliquas stellas. Ejus usus fuit diem distinguere à nocte accessu ad hemisphærium & inde recessu, item è terra producere plantas. Ortus est hinc dies primus, nempe naturalis, constans è die & nocte, horarum 24 spacium continens, quod Græcis νυχθήμερον dicitur. Et quoniam tenebræ fuerunt ante lucem, factum hinc est, ut prior pars diei naturalis esset nox, qui ordo à Judæis observatur.

Secundo die creavit Deus cælum, quod à Mose vocatur Expansum, nempe spacium illud quod à superficie terræ & maris assurgit unum continuum. Dicitur autem expansum, quia per aquæ expansionem & rarefactionem effectum est. Scilicet est cælum inferius, quod est interjectum inter cælum supremum & globum terræ, & distinguit inter aquas superiores & nubes, & inferiores quæ fluunt in terræ alveis. Hinc liquet à Physicis rectè statui triplex cælum, supremum, sidereum & aëreum. Hic igitur occurrit locus Physicus de Meteoris.

Tertio die creavit Deus tria: Mare, Terram habitabilem, & plantas. Estque valde consentaneum cum plantis creata esse metalla & lapides preciosos.

Quarto die stellæ conditæ sunt. Hujus igitur loci est astrologia.

Quinto die pisces producti sunt & aves. Et quidem aqua pisces produxit, quod quidam intelligunt non effectivè, sed receptivè & sustentativè: volucres autem è terra esse ortas Moses Gen cap. 2. vers. 19. docet.

Sexto die Deus ad perfectiorum animalium creationem accessit, nempe eorum quæ terrestria dicuntur, & sunt vel gressilia vel reptilia; hæc quæ pedibus destituta ventre sese promovent, ut vermes & serpentes terrestres; illa quæ pedibus incedunt, sive quaternis, ut jumenta & bestiæ agri seu feræ, sive binis, ut Homo, nobilissima omnium visibilum creatura.

Porrò circa hominis creationem historia nobis consideranda proponit octo capita:

1. Consultationem S. S. Trinitatis, Genes 1. v. 26. quâ indicatur hominis excellentia, quæ consistit in imagine Dei, &c.
2. Distinctionem sexus, cujus Moses specialem hic facit mentionem, ut doceat, etiam feminam ad imaginem Dei esse conditam, & quod Deo placuerit sui imaginem propagare.
3. Benedictionem, quâ Deus marem & feminam fecit fœcundos, & ad generis sui propagationem aptos, largiendo scilicet semen prolificum ad speciei conservationem.
4. Modum. Marem Deus condidit ex limo terræ, feminam ex costa maris: De anima verò narrat Moses, quod Deus insufflaverit in nares hominis halitum vitæ, & sic hominem factum esse animam viventem, ut hinc certè constet, corporis & animæ in homine non esse eandem materiam, non eandem esse originem.
5. Institutionem sacri conjugii, Gen. 2. v. 23. cujus regula hic apparet in unius maris & unius feminæ copulatione. Quicunque igitur postea ad πολυγαμίαν accesserunt, contra primam conjugii sanctionem graviter peccarunt, ut nihil dicam de concubinatu, aliisque contra sanctam hanc institutionem flagitiis.
6. Paradisum, hortum amœnissimum, quem Moses Gen. 2. vers. 8. & seqq. describit, 1. quod à Deo fuerit

rit plantatus. 2. à loco, videlicet ad orientem regionis Heden, cujus etiam fit mentio 2 Reg. 19. verſ. 12. Eſaiæ 37. verſ. 12. Ezech. 27. verſ. 23, 28. & verſ. 13, 3. à duabus præcipuis arboribus, quarum altera dicitur vitæ, altera ſcientiæ boni & mali. 4. à Fluvio quo hortus fuit irrigatus. Quum autem hortus hic per diluvium deſtructus ſit, non ampliùs in illum procedit hic fluvius.

7. Interdictum de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali. Voluit enim Deus primis noſtris parentibus ſignificare, ſe Dominum illorum eſſe, & quod ſuis mandatis teneantur obedire.

8. Sanctificationem Sabbathi, quam ſeptimo die obſervandam inſtituit Deus, ut tota ſeptimana pio Dei cultu clauderetur.

De lapſu primorum parentum, ſeu de origine peccati & omnis miſeriæ in vita humana.

QUi in hiſtoriarum lectione verſantur, fere nihil niſi varias hominum calamitates & ærumnas, non ſolùm privatas, ſed etiam publicas, legunt & cognoſcunt. Quocirca neceſſe eſt, ut hunc locum, qui eſt de omnis mali origine, diligenter inſpiciamus, ne cum ethnicis cæcæ fortunæ adſcribamus quicquid in mortali hac comœdia nobis contingit. Agnoverunt ſanè ethnici in hominum vita ἀδικήματα, & ex his tanquam cauſis deduxerunt inſecutas τιμωρίας, ſed primum hunc fontem, quem Moſes in cap. 3. Geneſ. aperit, ignorarunt. In hac igitur hiſtoria teneatur:

1. Per diabolum in figura ſerpentis, vel potiùs in ipſo ſerpente ſeſe apud hominem inſinuante peccatum in mundum eſſe introductum, ſuadendo ſcil. & impudenter urgendo, ut contra Dei interdictum comederet de fructu arboris vetitæ, quæ erat ſcientiæ boni & mali. Primò autem ſolicitavit mulierem, ἐπιθυμίαν in ea efficiendo, quæ mox peperit ipſam externam mandati tranſgreſſionem: deinde per mulierem ipſum quoque aggreſſus eſt virum eâdem fallaciâ & fraude, ſcil. ſpe plenioris rerum cognitionis, & paris cum

Deo dignitatis & gloriæ. Unde liquet, primam originem peccati fuisse diffidentiam & superbiam, ex Diaboli fraude ac seductione natam. Diffidentiam, quia persuadebatur homo quasi Deum haberet invidum; Superbiam, qua æqualitatem cum Deo affectabat. Hæc igitur est hominis ἀποστασία ac defectio à Deo ad Diabolum, quæ omnibus ejus naturalibus hæredibus imputatur.

2. Peccatum primorum parentum insecutam esse pœnam, mortem scil. tum corporalem tum spiritualem, ut Deus ante comminatus fuerat, Gen. 2. vers. 17. Simul autem intelliges omnis generis calamitates. Sub spirituali morte comprehenditur quoque nativa corruptio, quæ peccatum originale dicitur, nempe naturalis tum ἀδυναμία ad omne opus bonum, tum ἔγκλισις ad omne opus malum; ac denique æternus sensus iræ divinæ, qui vocatur mors secunda Apocal. cap. 2. v. 11.

3. In judicio suo Deum exercuisse misericordiam, erigendo lapsum hominem promissione seminis mulieris, &c.

De Cajino & Abele, nec non artium quarundam inventione.

SIc apparet quàm necessaria & utilis sit historiarum primi mundi cognitio de origine humani generis & miseriæ in eo, ut scilicet discamus in rebus adversis non accusare Deum, sed nos ipsos, quia non ex Deo est quod peccamus, sed ex nostra ipsorum perversa natura; quod Deus non obscurè exprobrat Cajino Gen. 4. v. 6 & 7. Ex historia Cajini & Abelis teneatur:

1. Quantus sit impulsus peccati originalis in homine regnantis, scil. ad omnis generis flagitia, ut in exemplo Cajini ad invidiam, odium, iram ac denique cædem.

2. Quod sacrificia Deo placeant, modò in vera fide fiant. Ubi fides est, ibi persona Deo placet, ubi persona placet, etiam sacra actio placet. Hinc ratio apparet quare Deus benignè respexerit sacrificium Abelis, Cajini verò spreverit.

3. Cajini pœna argumentum est divinæ Justitiæ, quæ

quàm


quàm graviter oderit homicidium & privatam vindictam, vel ex eo liquet, quod Deus minatur vindictam ei qui Cajinum interfecerit.

4. Plures fuisse Adamo liberos præter Abelem & Cajinum, quia ex conscientiæ morsu Cajinus metuit fore ut parricidium alii ulciscantur, Gen. 4. v. 14.

5. Quæ fuerit progenies Cajini, ubi simul artium inventores recensentur. Progenies est:

Cajini posteritas & impiorum colluvies.

Cajinus.
|
Hanoch.
|
Irad.
|
Mahujaël.
|
Matusaël.
|
Lamech, primus autor Polygamiæ, qui



De

De genealogia ab Adamo usque ad Noachum.

QUàm ſolicitus fuerit Spiritus S. in temporum annotationibus, quibus ſacræ hiſtoriæ maximè circa mundi exordium illuſtrantur, accuratè docet Moſes per totum cap. 5 Geneſeos, cujus rei & hic ſcopus eſt, ut poſteritati certiùs conſtaret de inſtauratione ac propagatione Eccleſiæ per Sethum. Quum enim Abel jam fratris Cajini nefandâ cæde eſſet interemptus ἄτεκνος, & interim Cajinica familia valde augeretur, placuit Deo in alio Adami filio Setho Eccleſiam inſtaurare. Hic igitur neceſſe eſt, ut impiam Cajini familiam, & piam Sethi poſteritatem ab uno quidem Adamo profectam diſtinctè intueamur. Illa quidem intelligitur ſub appellatione filiorum hominum, hæc verò filiorum Dei, Geneſ. 6. v. 2. Cæterum genealogia hæc eſt:

Sethi poſteritas, in qua fuit vera Eccleſia, & Christi ſecundum carnem γενεαλογία.

		Anno ætatis			
Adam	genuit	130.	& vixit deinde annos	800.	930.
Seth		105.		807.	912.
Enos		90.		815.	905.
Kenan		70		840.	910.
Mahalaleel		65.		830.	895.
Jared		162.		800.	962.
Henoch		65.		300	365.
Metuſalah		187.		782.	969.
Lamech		182.		595.	777.
Noach		500.			

Japhet, & poſt biennium Sem. Cham fuit natu minimus.

Ex hiſce patribus Kenan, Mahalaleel & Jared viderunt Adamum & Noachum, ut annotat Bucholtzerus, & ipſa ſupputatio docet. Et Lamech Noachi pater ipſum Adamum vidit & audivit. ex quo videre eſt quàm longè Adamus doctrinam cæleſtem ad ſuos poſteros propagaverit. Etenim Adam mortuus eſt anno Mundi 930. qui fuit annus ætatis Lamechi 56. Mathuſalami 243. Enoch 308. Jared 470. Mahalaleel 535. Kenan 605. Enos 695. Sethi 800. Sed Noah natus eſt anno 126 poſt

post Adami mortem, & post obitum Sethi anno 14.

De Diluvio.

Diluvii historiam Moses percenset capp. 6. 7. 8. & 9. Geneseos. In ea autem consideranda sunt quatuor capita: 1. de caussis, 2. de ipso diluvii, 3. de fine diluvii, 4. de eventu in Noacho.

Caussæ diluvii indicantur à Mose cap. 6. videlicet vagæ hominum libidines, quibus filii Dei & posteri Sethi cum filiis hominum & cum posteris Cajini sese commiscuerunt, & quidem pro suo lubitu inconsultis parentibus, quæ ἀταξία summè Deo displicuit; accessit præterea gigantum immanitas, hominum sceleratissimorum & apostatarum, qui violentiâ alios oppresserunt. Hæc malitia hujus miseriæ caussa fuit, ut expressè exponitur à Mose, & quidem eò gravior, quod præmonitionem Dei & resipiscentiæ tempus, nempe annorum 120, protervè & impiè contempserunt.

Diluvium ipsum narratur, & quidem 1. patefactione divini decreti de perdendis hominibus. 2. consilio de servando Noacho cum sua familia in arca. quæ ad præscriptum Dei à Noacho fuit fabricata, ut omnium eorum quæ Deus recipi jusserat esset capax. 3. Mandato ad Noachum de ingressu in arcam. 4. Interitu omnium viventium in terra.

Finis diluvii describitur à Mose cap. 8. Genes. Narrat autem Moses crevisse aquas per dies 150. quibus includuntur dies 40 pluviarum continuarum, Gen. 7. v. 17. & 24 Hi dies 150 faciunt menses quinque, quorum quilibet continet dies 30, juxta numerationem Ægyptiorum. Deinde observandum quod Moses dicit, Noachum in arcam ingressum die 17 secundi mensis, Gen. 7. vers. 11. & ex ea egressum die 27 secundi mensis. Quod tempus est unius anni & decem dierum. Juxta nostrum calendarium dicerem, Noachum ingressum esse arcam die 29 Octobris, anni ætatis 600. & egressum die 8 Novemb. anni ætatis 601. Hîc verò obiter tenendum, apud Judæos duplicem fuisse observatum annum, politicum & Ecclesiasticum. Politicus annus observabatur in negotiis politicis, ut emptionibus, venditionibus aliisque contractibus, & hunc acceperant ab Ægyptiis, ut Josephus testatur lib. 1. antiquit. cap. 4. Ecclesiasticus annus

à Deo

à Deo erat sancitus, & observabatur in rebus sacris; Exod. 12. vers. 2. Initium anni politici incidebat in æquinoctium autumnale, quod nobis est dies 13 Septemb. Initium anni Ecclesiastici incidebat in æquinoctium vernale, quod nobis est dies 11 Martii. Intelligitur autem in hac historia annus politicus.

De eventu in Noacho Moses narrat 1. Quod sacrificium εὐχαριστικὸν Deo obtulerit gratum & acceptum, ex quo Deus constituit inposterum mundo licet peccatis dedito generali diluvio parcere, Gen. 8. vers. 20, 21, 22. 2. Quod Deus Noachum ejusque filios insigni benedictione in liberorum procreatione exornaverit, esum carnium concesserit, sed sine sanguine, hoc est, sine vita, scilicet ad evitandam sanguinolentam crudelitatem adversus homines, & inde de sanguine hominis non profundendo gravissimum interdictum promulgaverit. 3. Quod Deus fedus pepigerit cum Noacho & ejus posteris de mundo ampliùs non per diluvium delendo, idque iridis signo confirmaverit. 4. Quod Noachus ebrietate obrutus & genitalia denudatus ludibrio habitus sit à Chamo filio natu minimo, à reliquis verò filiis Japheto & Semo qui retrò accedentes nuditatem contexerunt honoratus. unde Noachus experrectus cognitâ re gestâ Chamum cum suis posteris maledictioni addicit, Semum verò & Japhetum benedictioni, ita ut prophetico spiritu addat fore, ut Japhet habitet in tentoriis Semi, & ut gentes suo tempore ad populum Dei sint accessuræ. 5. Quod Noachus mortuus sit anno à diluvio 350. ætatis verò 950. Vide totum cap. 9. Genes. Mortuus est igitur Noah anno M. 2007. quum Abraham natus esset annos 58. nempe anno 28 ante vocationem Abrahæ ex Ur Chaldæorum.

Atque hæc de historia primi Mundi, videlicet à creatione mundi usque ad ejus interitum per diluvium inclusivè, ubi anni effluxerunt 1657, summâ brevitate ex textu Mosis. Porrò priùs quàm hinc ad historiam secundi mundi abeam, quasdam enarrare lubet quæstiones majoris dilucidationis gratiâ.

Quo anni tempore mundus sit conditus?

Variæ sunt sententiæ, ut ferè nihil certi haberi possit.

Quod

Quod si terræ situm respiciamus ubi eodem tempore alibi ver, alibi æstas, alibi autumnus, alibi hyems est, nihil definiri potest. Si ad cælum oculos evehamus nostros, de signo aliquo zodiaci cogitandum, & hic alii principium in ariete ponunt, alii in libra, nec desunt qui leonem assignant. Plura vide apud Lamb. Danæum in Phys. Christ. part. 1. cap. 39. ubi sentit probabiliter eo mense fuisse conditum mundum qui Hebræis dicitur Tisri, & respondet nostro partim Augusto partim Septembri. Hujus opinionis inter alias hanc quoque adfert rationem, quod mensis Tisri prima die festum tubarum & clangoris fieri lege Dei jubebatur, ut primæ rerum originis & mundi creationis esset memoria. De festo tubarum & clangoris vide Levit. 23. vers. 23. cujus hæc videtur esse caussa, ut populus moneretur de initio anni politici, & Deo gratias ageret pro anno transacto seseque pararet ad proximum diem reconciliationis. vide etiam Numer. 29. vers. 1.

Ubi Paradisus fuerit?

Paradisum alii intelligunt historicè, alii allegoricè, alii utroque modo. Qui historicè accipiunt, etiam sententiis inter se discrepant. Joh. Calvinus & Fr. Junius locum Paradisi referunt in Chaldæam ad Euphratem. Temporarius in Indiam Orientalem ad Gangem & Indum, fluvios. Est autem Ganges qui à Mose Gen. 2. dicitur Phison, Joseph. 1. antiquit. cap. 2.

An literarum ante diluvium fuerit usus?

De literarum origine autores dissentiunt, ut docet Polydorus Virg. de rerum invent. lib. 1. cap. 6. Moses ab omnibus ferè creditur primus suam historiam literis consignasse. Sunt qui Abrahamum inventorem faciunt. Josephus lib. 1. antiquit. cap. 3. ait Adami posteros duas columnas, in quibus siderum scientiam consignarunt, erexisse, alteram lateritiam, alteram lapideam, ut si illa diluvio periret, hæc superstes esset. præcecinisse enim Adamum rerum universalem interitum.

Quomodo Cajin potuerit urbem condere in principio generis humani?

Resp. Nullum est dubium, inter Abelem & Sethum multos fuisse natos filios & filias, siquidem Sethus ab Adamo fuit prognatus anno M. 130. nec putandum toto illo tempore tres duntaxat viros vixisse, Adamum, Cajinum & Hanochum. Legimus enim Cajinum metuisse ne à quovis obvio interficeretur, Gen. 4. v. 13. Fortassis & Abel habuit liberos, quorum metu coactus urbe sese munivit Cajinus.

Quo anno Mundi & Noæ cœperit atque desierit diluvium.

Sunt qui putant anno Noachi 600 completo initium diluvii fuisse, & durasse usque ad annum M. 1657. Noæ 601. in qua sententia sunt Funccius, Bucholtzerus & alii. Qui contradicunt, sentiunt annum durationis diluvii fuisse mundi 1656. Noæ 600. finis verò, M. 1657. & Noæ 601. & probant ex Gen. 9. vers. 28 & 29. quia nimirum post diluvium Noah vixit annos 350, ad complendos annos vitæ 950. sequitur diluvii annum currentem fuisse annum Noæ 600. non 601. Ratio est: quia alias post diluvium non vixisset annos 350. sed 349. quod scriptura negat.

Ubi arca Noæ terrâ jam exsiccatâ constiterit?

Et hic diversæ sunt opiniones. Temporarius putat constitisse eam in monte Caucaso vel Tauro, qui est in Margiana regione. Moses, Gen. 8. vers. 4. nominat montem Ararat, qui ab aliis montes Cordæi dicuntur, videlicet montes Armeniæ. Sic Curtius de rebus gestis Alex. M. dicit exercitum Alexandri Cordæos montes ad lævam, Tigrim ad dextram habuisse, quum exercitus Darii non procul abesset. Vide quid Josephus ex Beroso & Nicolao Damasceno referat lib. 1. antiquit. cap. 4.

An homines ante diluvium comederint carnes?

Qui affirmant his rationibus moventur: 1. quia licentiam

tiam habuerunt; nec enim legitur Deus prohibuisse, imò concessisse potiùs, concedendo dominium in natatilia, volatilia & gressilia super terram. 2. Quia artes pecuarias exercuerunt, Gen 4 vers. 2. & vers. 20. 3. Quia sacrificia obtulerunt quorum carnibus vesci fuit usitatum. Qui negant, moventur eo quod Moses dicit Gen. 9. v. 3. Deum omne animal hominibus in cibum dedisse. Sed facilè apparet nullam esse consequentiam, quia ibidem etiam conceditur dominium in omnia animantia, quod tamen ante diluvium etiam concessum fuit. Quæris forsan, quur Deus hanc concessionem repetiverit? Resp. quia jam quasi novum mundum constituerat: & quod carnium crudarum & quæ adhuc in sanguine essent, esu interdixit, ideò videtur factum, quia paulò ante diluvium eò crudelitatis homines abierant, ut carnes crudas & trementes comedere non sint veriti.

An ante diluvium fuerint bella?

Fuisse bella credibile est, quia perpetuum fuit odium inter Ecclesiam veram & Cajinicam, & ad propulsandam vim Cajinus urbem condidit, qui à Deo maledictus & à patre excommunicatus egressus est à facie Domini, Genes. 4. vers. 14. 16. hoc est, discessit ab Ecclesia patris, & regnum peculiare condidit opibus & potentiâ munitum, novamque religionem instituit. Vide Matth. Dresserum in primo millen.

Quæ est divisio mundi juxta millenarios annos?

Quidam Elias Rabinus Judæorum, ut legitur in parte 4 Talmud, lib. 2. de duratione mundi, vaticinatus est duraturum mundum sex millibus annorum, ductus duobus S. Scripturæ testimoniis. 1. ex historia creationis, ubi legimus Deum sex dierum spacio absolvisse opus creationis, singulos autem dies in duratione mundi notare millenos annos judicat Irenæus lib. 5. 2. ex Psalmo 90. ubi dicitur mille annos ante oculos Dei esse tanquam diem hesternum qui præteriit. Prima duo millenaria dicuntur Inane seu Vacuum, quia doctrina de Deo nondum fuit literis consignata, vel quia maxima pars mundi adhuc

huc ab incolis fuit inanis. Sequentia duo dicuntur Lex, quia lex certa est lata & in tabulis exarata, ut lex de circumcisione & politia Mosaïca. Reliqua duo Messiæ tribuuntur. Singulorum autem millenariorum termini hi ostenduntur.

1. A creatione usque ad Enochum in cælum translatum.
2. A translatione Enochi usque ad Abrahamum.
3. Ab Abrahamo usque ad Salomonem.
4. A Salomone usque ad natum Christum.
5. A nato Christo usque ad Othonem III.
6. Ab Othone III. usque ad finem Mundi. Sed decurtabuntur dies qui decurtabuntur.

An politicus ordo fuerit ante diluvium?

OEconomicum ordinem extitisse extra dubium est, ut & Ecclesiasticum. Sunt qui politicum addunt, eò quod Deus mandatum dedit primis parentibus, ut imperarent terræ & omnibus quæ in ea sunt. Sed ego imaginem potiùs dixerim politici ordinis. Nec enim legimus ante diluvium hominem fuisse homini πολιτικῶς subjectum, ut deinde factum est in dispersione gentium.

Ubi primi parentes post ejectionem ex Paradiso exulaverint?

Eruditiores scribunt, hominem è paradiso ejectum exulasse in agro Damasci, qui ab Hierosolymis distat 40 milliaribus, & volunt, in illo agro Cajinum interfecisse Abelem fratrem, & quidem circa annum mundi centesimum, ut ex Epiphanio autor est Dresserus.

Quæ sit caussa longævitatis patrum ante diluvium?

Triplex narratur caussa: 1. Ut doctrina de Deo & bonis artibus vivâ voce propagaretur. 2. Ut patres tanquam in acie stantes serpentis dolos & sarcasmos refellerent. 3. Ut vivum esset testimonium providentiæ Dei longævitatem tribuentis piis. De impiis in regno Cajini nihil tale affirmat Scriptura.

De

De propagatione generis humani post diluvium.

OMnes igitur homines in diluvio perierunt, exceptis iis qui in arca fuerunt jussu Dei congregati, ibique conservati, videlicet Noah cum sua uxore, & tres filii cum suis uxoribus, ex quibus postea, quasi denuo genus humanum est conditum & propagatum. Utrùm autem ipse Noah post diluvium genuerit liberos, disputatum est. Qui affirmant, nituntur verbis benedictionis Dei, quæ extant Gen. 9. vers. 1. Benedixit Deus Noacho & filiis ejus, dicens: Fœtificate & augescite & replete terram, &c. Et sanè quum Noah post diluvium vixerit annos 350, consentaneum est per id tempus plures genuisse liberos. Sed misso hoc pauca de propagatione generis humani post diluvium moneamus, quam nobis Moses Gen. 10. fusiùs exponit.

Japheti prosapia à Mose primo loco recensetur, qui à profanis vocatur Japetus. Hic pater est occidentalium & septentrionalium populorum, Græcorum, Latinorum & Germanorum. A Gomer deducti sunt Cimmerii, qui hodie Cimbri dicuntur, ut sunt Holsati, Slesvicenses, Dani & Sicambri, qui hodie sunt Geldrienses & Clivenses; item populi in Ponto, Asia, Bithynia, Phrygia & Armenia. Sunt qui ab Ascenas filio Gomeri ortum suum Germanos ducere credunt. Vide Melanchthonem in Chronico. De Græcis nullum est dubium quin sint à Javan & Japhet, quod constat ex Daniele cap. 8. vers. 21. Hinc Iones vetustissimi Græcorum, ut ex Homero constat. Græci autem deinde dicti sunt à quodam Græco Thessali filio, quæ appellatio recentior est. A Magog filio Japheti Scythica gens orta est, ex qua tandem Turci prodierunt. A Madai sunt Medi; à Thubal Hispani seu Iberi; à Meschec Cappadoces; à Thiras Thraces. Posteri ex Javan porrò sunt Æoles, Cilices, Dodonæi qui sunt Rhodii & Dores.

Chami generationem Moses secundo loco narrat, qui meridianum tractum plurimum possedit; nempe terram Africam, cum qua tamen non contentus Syriam etiam & Asiæ majoris regiones armis sibi subjugavit. Hinc Arabes, Æthiopes, Ægyptii, Libyi, Mauritani, Cananæi,

qui postea Palæstini dicti sunt, Sabæi, Lydii, &c.

Ex Semo prognati sunt Persæ, Assyrii, Chaldæi, Syri, Hebræi. Hæc verò summâ brevitate dicta sint de propagatione gentium post diluvium. Ex quibus videre est, Japhetum patrem esse gentium in septentrione & occidente; Chamum in plaga meridionali; Sem verò in plaga orientali. Sed postea horum populorum propter varias migrationes ingens facta est confusio, adeò ut distinctio hæc hodie vix inveniat locum.

De turri Babylonica, quæ fuit initium primæ Monarchiæ.

Ut ante diluvium juxta veram Ecclesiam Cajinus dissseminaverat Ecclesiam falsam & impiam, ita post diluvium impius Chamus suum sibi adjunxit gregem horrendæ idololatriæ addictum, ad quem deinde etiam Japheti posteritas accessit. Solus Sem puritatem cælestis doctrinæ retinuit, & ad posteros deduxit; quamvis & hi postea in Chaldæa ad Chamitarum idololatriam defecerunt, ut exemplo Abrahami notum est, qui in Chaldæa servivit idolis, ut legimus Josuæ 24. vers. 2. Fuit autem Chami religio in cultu ignis sacri, quem historiæ nominant Ur seu Or, item Orimasda, id est, lucem divinam; quod malum porrò temporis tractu ad Persas quoque prorepsit. Credibile autem est hunc ritum ortum esse à victimis, quæ cælitus divinâ flammâ incendebantur. Hac enim κακοζηλίᾳ diabolus miseros homines decipit. Sed ad religionem Chamus etiam addidit novam politiæ formam, rejectâ illâ veteri gubernandi ratione, quæ patria & œconomica erat. Vi & armis homines ad obedientiam adigere cœpit, quam ad rem præcipuam operam contulit nepos Nimrod, qui propterea robustus venator coram Domino, hoc est, crudelis tyrannus & sine timore Domini à Mose dicitur, Gen. 10. vers. 9. Ut autem facilius quod volebat obtineret & conservaret, consilium invenit de arce & turri in valle regionis Sinear (quæ est inferior pars Mesopotamiæ ad montem Singara sita, quò populi ex monte Ararat post diluvium consederant) ædificanda, ut scilicet nomini suo gloriam & autoritatem conciliaret, suumque imperium magis fulciret, Gen. 11. v. 1, 2, 3, 4. Sed humanum hoc & teme-


merarium propositum Deus immissâ linguarum confusione adeò repressit & inhibuit, ut relicto opere cum pudore ædificantes discesserint, alii in hanc, alii in aliam mundi plagam. unde tamen varia in variis orbis terrarum partibus extiterunt regna. Sem verò & hujus posteri quum manerent in Babylone, accidit ut hi relictâ verâ doctrinâ impios Babyloniorum ac Chaldæorum cultus receperint. Ex hac linguarum confusione urbs nomen est adepta, ut diceretur Babel, id est, confusio, & vulgò Babylon, metropolis Chaldææ, ab Hierosolymis distans milliaribus 170 versus orientem, unde regio circumjacens Babylonia est dicta. Postea secessit Nimrodus versus septentrionem in Assyriam, ibique condidit Niniven urbem juxta Tigrin fluvium. Distat autem Ninive Hierosolymis milliaribus 171. versus Orientem & Septentrionem. Creditur vulgò ab Assur ædificata, sed errorem ostendit Franciscus Junius in cap. 10. Gen. vers. 11. Observanda hæc sunt probè, ut rectiùs intelligatur distractio primæ Monarchiæ in regnum Babylonicorum & Medorum, & quomodo per Merodachum Assyril traducti sint ad Babylonios, unde regni Babylonici potestas admodum crevit, postea verò Babylonicum regnum pervenerit ad Darium Medum & Cyrum Persam.

Cæterum diluvii finis incidit in annum M. 1657, primæ autem Monarchiæ initium in annum M. 1788. Subductio igitur relinquit intermedium spacium annos 131 Cœpit autem prima Monarchia annis 161 ante natum Abrahamum. Inter diluvium & natum Abrahamum fuerunt anni 292.

Atque hæc de primo mundo & rebus ante primam Monarchiam dicta sufficiant.

Brevis delineatio primæ Monarchiæ una cum Synchronismis.

1. MOnarchia est summum imperium, quod dignitate & potentiâ cæteris præstat. Sumitur hæc vox in historica lectione paulò aliter quàm in politica. Ubi definitur respublica quando uni alicui suprema potestas & cura in administratione committitur. sic enim cujusvis principis ditio Monarchia dici potest. Unus ille qui Monarchiæ pæest dicitur Monarcha, non quòd solus



lus dominetur in orbe terrarum, qualis nunquam extitir, sed quia dignitate & potentiâ cæteris regibus & principibus antecellit.

2. Monarchiæ in historiis recensentur quatuor; Assyriorum, Persarum, Græcorum & Romanorum.

3. Prima dicitur Assyriorum, quia plurimi ejus Monarchæ sedem suam regiam habuerunt in urbe Ninive quæ in Assyria sita est. Dicitur etiam Babyloniorum, quia primum ejus initium & ultimus finis fuit Babylone, &, quia Babylon sita est in Chaldæa, etiam Chaldæorum dicta est.

4. Hujus Monarchiæ primus author fuit Nimrodus, filius Cuss, nepos Chami, pronepos Noachi, qui anno à diluvio 131, qui est annus M. 1788, ædificavit turrim Babylonicam, & sic primum politicum regnum in mundo auspicatus est, ultimus Monarcha fuit Balthasar, qui anno Mundi 3435 victus à Cyro Persa finem huic Monarchiæ fecit. Duratio igitur hujus Monarchiæ fuit annorum 1647.

Porrò series regum in hac Monarchia hæc est;

	Anni regni.
1. Nimrodus regnavit	56.
2. Belus	65.
3. Ninus	52.
4. Semiramis	42.
5. Ninias, alias Zameis	37.
6. Arius	30.
7. Aralius	40.
8. Baleus, alias Balaneus	30.
9 Armatrites	37.
10. Belochus priscus	36.
11. Baleus junior	52.
12. Altades	32.
13. Mamitus	30.
14. Mancaleus	30.
15. Sphærus	20.
16. Mamelus	30.
17. Sparetus	40.
18. Ascatades	40.
19. Amyntas.	45.
20. Belochus junior	25.

21. Be-

	Anni regni.
21. Belopares	30.
22. Lamprides	32.
23. Sosares	20.
24. Lampares	30.
25. Pannias	45.
26. Sosarmus	19.
27. Mitreus	27.
28. Tautanes	32.
29. Teutéus	40.
30. Thynéus	30.
31. Dercylus	40.
32. Eupales	38.
33. Laosthenes	45.
34. Pyriciades.	30.
35. Ophratéus	20.
36. Ophraganeus	50.
37. Ascrazapes	42.
38. Sardanapalus	20.

Sub hoc Sardanapalo facta est Monarchiæ distractio, quum jam stetisset annos 1360. videlicet anno Mundi 3148. Duo igitur regna exorta sunt, Medorum & Babyloniorum. Regum series in utroque regno hæc est:

MEDI.		BABYLONII.	
1. Arbaces	28.	1. Phul Belochus	48.
2. Sosarmus	30.	2. Tiglat-Pillesér	23.
3. Medidus	40.	3. Salmanassar	10.
4. Cardiceas	13.	4. Sennacherib	7.
5. Dejoces	53.	5. Assarhaddon	10.
6. Phraortes	22.	6. Merodach, qui victo Assarhaddone extinxit Assyriorum regnum, & fecit unum, videlicet Babylonicum seu Chaldæum.	40.
7. Cyaxares	40.	7. BenMerodach	21.
8. Astyages	35.	8. Nabugdonosor 1.	35.
9. Cyaxares seu Darius cum Cyro genero	30.	9 Nabugdonosor Magnus	43.

10. Evilmerodach 30.
11. Balthasar 14.

In horum annorum annotatione secutus sum Theod. Zwingerum in theatro vitæ humanæ.

5. Porrò ad Synchronismos quod attinet, occurrunt historiæ tum sacræ tum profanæ.

6. Sacræ historiæ ordiendæ sunt ab Abrahamo usque ad finem captivitatis Babylonicæ, quamvis sub imperio Nimrodi natus est Serug proavus Abrahami. Hic igitur quasi obiter observetur genealogia Abrahami ex majoribus qui in Chaldæa seu terra Babylonia post diluvium habitarunt.

Genes. 11. a vers. 10.	Noach	genuit anno ætatis	502.	& vixit deinde annos	448.	950.
	Sem		100		500.	600.
	Arphacsad		35		403.	438.
	Selah		30.		403.	433.
	Eber		34.		430.	464.
	Peleg		30.		209.	239.
	Regu		32.		207.	239.
	Serug		30.		200.	230.
	Nahor		29.		119.	148.
	Tharah		130.		75.	205.
	Abraham				vid.Gen. 11.v.ult.	

Ex Abrahamo porrò deducenda est genealogia usque ad Mosen.

Abraham
Isaac
Jacob
Levi
Cahat
Amram { Moses. Aaron.

Exodi 6. vers. 16. & seqq.

Hic inseratur ordo Pontificum seu summorum Sacerdotum ab Aarone usque ad Jesua de quo Esdræ cap. 3. vers. 2. & Hagg. 1. vers. 1.

A Mose porrò inspicienda est series Ducum seu Judicum populi Israëlitici usque ad Samuëlem & Saülem:

Moses. Josua.

Othniel

Othniel.	Ibzan.
Ehud, Samgar.	Elon.
Debora & Barac.	Abdon.
Gideon.	Simſon.
Abimelech.	Eli.
Thola.	Samuël, qui Saülem creavit regem.
Jair.	
Jephtha.	

Hinc à Saüle Regum ſeries ducitur uſque ad finem hujus Monarchiæ, videlicet poſt captivitatem Babylonicam.

Saül.
David.
Salomon, poſt cujus obitum facta eſt diviſio regni in Juda & Iſraël.

Reges in Iuda.	*Reges in Iſraël.*
1. Rehabeam.	1. Jeroboam.
2. Abiam.	2. Nadab.
3. Aſſa.	3. Baëſa.
4. Joſaphat.	4. Ella.
5. Joram.	5. Simri.
6. Ahaſia.	6. Amri, qui condidit Samariam, ex quo regnum Iſraël dictum eſt regnum Samariæ.
7. Athalia.	7. Achab.
8. Joas.	8. Ahaſia.
9. Amazia.	9. Joram, ſub quo ingens bellum & fames in Samaria, 2 Reg. 6.
10. Aſaria, alias Uſia.	10. Jehu.
11. Jotham.	11. Joahas.
12. Ahas.	12. Joas.
13. Hiskias, alias Ezechias.	13. Jeroboam.
14. Manaſſes.	14. Sacharia.
15. Amon.	15. Sallum.
16. Joſias.	16. Menahem.
17. Joahas.	17. Pekaja.
18. Jojakim, alias Eljakim.	18. Pekah, cui bellum infert

fert Tiglat-Pillefer 2 Regum 15. v. 29.

19. Jojachim feu Jechonias. 19. Hofea, qui anno 20 regni Jotham regis in Juda per Salmanafferem regem Affyriæ abducitur, cum univerfo populo Ifraël, 2 Regum. 17. Porrò 2 Reg. 15. v. 30. dicitur annus 20 Jotham, fcilic. à primo anno regni Jotham. Jotham enim in Juda regnavit annos 10. Sed hæc obiter.

20. Zedekia, fub quo captivitas Babylonica.

Hæ funt Hiftoriæ facræ quæ contigerunt fub prima Monarchia.

7. Profanæ hiftoriæ quæ contigerunt in prima Monarchia funt variorum populorum, præcipuè verò Egyptiorum, Græcorum, Italorum & Germanorum.

8. In ferie regum Ægyptiorum magna eft autorum varietas. Ægypti defcriptionem accuratam & longam regum Ægyptiacorum feriem, quæ tamen temporum diftinctione caret, complexus eft Herodotus libr. 2. Nos annotamus quod poffumus, rectiora docentibus obtemperaturi.

1. Mizraim, alias Oceanus, qui anno 15 Nimrodi confedit ad Nilum.
2. Hammon.
3. Dionyfius.
4. Ofiris, qui Saram Abrahami uxorem petebat
5. Orus, cujus filius Bocchoris.
6. Timaus.
7. Alphragmatofis.
8. Amafis, apud quem floruit Jofephus. poft hunc alii obfcuriores quinque.
9. Amenophis 11. qui de Hebræorum mafculis occidendis confilium iniit, & ab aliis Bufiris dicitur. Plures fuerunt Bufirides.
10. Chencres, qui in mari rubro periit, & à Tacito vocatur

catur

catur Bocchoris. Post hunc propter varias seditiones fuit interregnum.

11. Rameses seu Rampses cognomento Ægyptus, à quo regio nomen habuit quæ prius Mizraim dicebatur.

12. Menophis sive Miris, qui longo intervallo post Busiridem à Diodoro nominatur.

13. Thuoris, aliis Protheus, ad quem venit Paris cum Helena & deinde Menelaus. Sub hoc Ilium captum est.

14. Rampsinitus, avaritiæ deditus. Sub hoc accidit insigne illud furtum de quo Herod. lib. 2. Post hunc plures allii sed minùs clari.

15. Sabacus qui videtur esse Sesac tempore Salomonis & Rehabeami, 1 Reg. 14. vers. 25.

16. Sethon, cui bellum illaturus Sennacherib Assyrius progredi non potuit in Ægyptum amisso exercitu in Judæa. Post hunc constituti sunt 12 duces.

17. Psammetichus, cujus maximæ res gestæ narrantur à Diodoro.

18. Necho qui vicit Josiam 2 Reg. 23. vers. 29.

19. Apryes, quem Jeremias nominat Ophrea cap. 44. v. 30. Hic Jeremiam interfecit, postea ab Amasi duce strangulatus.

20. Amasis, qui monuit Polycratem Samiorum regem. In hujus tempora incidunt initia Persicæ Monarchiæ.

21. Psammenitus ultimus, qui captus à Cambyse filio Cyri dixit: Domestica mala lacrymis sunt majora. Recensui reges clariores, reliqui obscuriores à Diodoro & Herodoto ferè sine ordine describuntur. Ordinem tamen aliquem monstrat Theod. Zwing. in theatro pag. 1337. primæ editionis.

9. Ad Græcorum res nunc venio, ubi occurrit:

1. Regum Sicyoniorum, in quo primus rex fuit Ægialius, cujus initium ponitur in anno M. 1880. quo tempore Belus filius Nimrodi in Babylone regnavit, anno ante natum Abrahamum 73. Numerantur ad ultimum regem Zeusippum reges 26 inclusivè. Defecerunt autem Sicyonii reges anno M. 2836, ut annotat Zwingerus in theatro pag. 1339. videlicet circa tempora Samuëlis. Post hos reges secuti sunt Sacerdotes Carmi. Cæterum ab Ægialio est Ægialea dicta quæ hodie nuncupatur Peloponesus.

2. Regnum Argivorum, in quo primus rex fuit Inachus, cujus initium ponitur in anno M.2109, qui est annus natalis Jacobi Patriarchæ. Numerantur ad ultimum regem Acrisium reges 14 inclusivè. Sub Acrisio defecit hoc regnum, translatum ad Mycenas anno M.2622. circa tempora Ehud Judicis in Israël.

3. Regnum Atheniensium, in quo primus rex fuit Cecrops, & ponitur initium in anno M.2412, quo tempore Moses vixit in Midian exul ob homicidium. Numerantur ad ultimum regem Codrum reges 17 inclusivè. Codrus enim, qui mutato habitu pro patria bello Peloponesiaco occubuit, clausit regnum anno M.2899, quum David regnaret in Jerusalem. Post reges Athenis fuerunt ἄρχοντες & principes sive prætores, quorum potestas primò fuit perpetua, deinde decennalis. Primus fuit Medon, unde posteri Medontidæ dicti, inter quos fuit Agamnestor undecimus ἄρχων perpetuus, sub quo Peloponensium & Atheniensium bellum fuit cruentissimum anno M.3168. juxta Zwingerum. Post ἄρχοντας deinde ex nobilibus electi sunt annui principes, qualis fuit Pisistratus & hujus filii Hipparchus & Hippias, de quibus in tertia Monarchia.

4. Regnum Lacedæmoniorum, in quo primus rex fuit Eurysthenes, cujus initium ponitur in anno M.2865, circa infantiam Davidis. Numerantur ad ultimum regem Alcanem, sub quo floruit Lycurgus νομοθέτης, reges 9. quibus deficientibus inceperunt Olympiades, & creati sunt Ephori qui in reges potestatem habuerunt.

5. Regnum Corinthiorum, in quo primus rex fuit Alethes, cujus initium est anno M.2865. Numerantur ad ultimum regem Antomenem, qui vixit anno M.3187. circa tempora Esaiæ prophetæ, reges 12. postea annui principes constituti sunt, inter quos Bacidæ primarii fuerunt, ex qua familia longo tempore post prodiit Cypselus, cujus filius Periander, qui floruit anno M.3335. quo tempore vixit Draco legislator Atheniensium.

6. Regnum Macedonum, in quo primus rex fuit Caranus, & initium habuit anno M.3159. & numerantur ad finem primæ Monarchiæ reges 9. nempe ad Amyntam. Sequuntur deinde 13 qui tempore secundæ Monarchiæ floruerunt: quos tandem sequitur Alexander Magnus tertiæ Monarchiæ autor.

Sunt

Sunt etiam conſiderandæ præcipuæ res in Græcia geſtæ tempore primæ Monarchiæ, ut ſunt:

Pelaſgi gens Æolica Phthiotin Theſſaliæ inhabitantes, ab Ætolis & Locris duce Deucalione pulſi, partim in Epirum, partim in Italiam migrarunt, quidam in Theſſalia remanſerunt, circa tempora nativitatis Moſis & Aaronis anno 2370. Vide Chytræum in Chronolog.

Diluvium quod ſub Deucalione rege Theſſaliæ fuit anno M. 2440. quo ferè apud Græcos nihil extat antiquius, licèt annis 780 ſecutum ſit poſt Noachi diluvium, cum quo apud Ovidium confunditur. Incidit in tempus exitus Iſraëlis ex Ægypto.

Regnum Trojanum conditum eſt à Dardano, qui quum fratrem Jaſium regem Italiæ interemiſſet, aufugit in Samothraciam, indeque reverſus partem Mæoniæ regionis obtinuit, quæ deinde dicta eſt Dardania, & poſteà Phrygia. Accidit hoc anno M. 2488. quo tempore Joſua miſit exploratores in terram Canaan. Succeſſio hæc eſt:

Dardanus.	Ilus.
Erichthonius.	Laomedon.
Tros.	Priamus, qui periit in bello Trojano.

Cadmus literas & doctrinam ex Phenicia in Græciam intulit anno M. 2507. quo tempore Joſua mortuus eſt. Minos regnavit in Creta. Erechtheus Athenienſium rex conſulto oraculo immolat ante excercitum filiam ſuam, & ſic vincit Eumolpum Thracum regem: Prometheus & Epimetheus fratres diſſimillimis ingeniis vixerunt in Theſſalia circa annum M. 2568. quo tempore Ehud fuit Judex in Iſraël.

Theſeus Athenis regnavit anno Mundi 2734. De hoc lege Plutarchum.

Hercules claruit anno M. 2736, & fuit σύγχρονος Theſei. Poſteri ejus dicti ſunt Heraclidæ, qui tenuerunt regnum Lydiæ annis 505, ex quibus ultimus fuit Candaules interfectus à Gyge ſatellite anno M. 3246, quo tempore Hiskias fuit rex in Juda, vel ut alii volunt anno M. 3256 quum in Juda regnaret Manaſſes. Bucholtzerus.

Lapi-

Lapitharum bellum cum Centauris exarſit anno M. 2737. Fuerunt populi Theſſaliæ. Hoc tempore in Iſraële judex fuit Jair.

Bellum Thebanum anno M. 2738. inter duos fratres Eteoclem & Polynicen ex inceſto conjugio OEdipi & Jocaſtæ natos geſtum eſt. Cæterum regni Thebani conditor fuit Cadmus Agenoris filius, qui ex Phœnicia Judææ vicina coloniam duxit Bœotiam fertiliſſimam Græciæ regionem.

Argonautica expeditio in Colchidem ſuſcepta eſt anno M. 2740.

Bellum Trojanum cœpit anno M. 2779. circa tempora Samſonis. Chytræus in chronologia ponit annum M. 2782, idque certis argumentis demonſtrat.

Bœotii ex Arac urbe Theſſaliæ pulſi Bœotiam occuparunt anno 60 poſt captam Trojam. Chytræus ex Thucyd. libr. 1.

Minyæ à Pelaſgis ex Lemno pulſi & à Lacedæmoniis recepti circa Davidis nativitatem. Horum uxores celebrantur propter inſignem φιλοστοργίαν erga maritos incarceratos. Herod lib. 4.

Heraclidæ ex avito regno Argivorum excuſſi deſcendunt in Peloponeſum anno M. 2862. anno 80 poſt excidium Trojæ. Chythræus.

Codrus rex ultimus Athenarum floruit circa tempora & regnum Davidis, interfectus anno M. 2899. ut habet Bucholtzerus.

Iones migrant in Aſiam minorem & ibi condunt 12 urbes anno M. 2898. Chytræus ex Herod. lib. 1.

Olympiades incipiunt anno M. 3203, quo tempore Ahas fuit rex in Juda, ſecundum Chytræum, vel anno M. 3196. Diſtantia eſt 6 annorum. Vide Bucholtzerum.

Battus ex familia Minyarum filius Polymneſti & Phronimes ex inſula Thera coloniam duxit in Libyam, & urbem Cyrenem condidit circa annum M. 3300. quo tempore in Juda regnavit Joſias.

Bellum Meſſenium anno M. 3229. Bucholtzerus.

Cypſelus Corinthi exercet tyrannidem anno M. 3313. quo Jeremias prophetare incepit. De Cypſelo vide Herod. lib. 5.

Homerus floret circa tempora Eliæ prophetæ anno M. 3004, &c. mortuus eſt anno M. 3060, ab excidio

Trojæ

Trojæ anno 272. quo tempore domus Achab deleta fuit à Jehu.

Hesiodus floret circa tempora Esaiæ prophetæ anno M. 3195. qui est sextus ante natum Romulum & Remum.

Æsopus circa tempora Crœsi & Cyri.

Septem sapientes Græciæ eodem tempore, ut & Pythagoras, Phocylides, Epicharmus, Anaximander, Anacreon Lyricus, Stesichorus, Phalaris Siciliæ Tyrannus. Atque hæc de rebus Græciæ in prima Monarchia.

10. Cum rebus Græcorum cohærent etiam res Lydorum, qui ab Hercule ortum suum ducunt, unde Heraclidæ sunt appellati, qui cæso in Attica Eurystheo in Peloponesum descenderunt. Sed quum Hyllus dux Heraclidarum in Monomachia ab Echemo Tegeata interfectus esset, promittunt se intra 100 annos in Peloponesum non redituros, ut refert Herod. lib. 9. Accidit hoc circa annum M. 2762. quum judex in Israël esset Jephtha. Elapsis centum annis Heraclidæ, quum ab Eurystheo primùm & deinde ab Atridis ex avito regno Argivorum excussi essent, tandem in Peloponesum descenderunt, & Spartam, Argos, Messenen, &c. occuparunt. Atque hic est reditus Heraclidarum in Peloponesum. qui à Bucholtzero refertur ad annum M. 2868. quo tempore Samuël judicavit Israëlem. Cæterum Heraclidarum ultimus fuit Candaules, qui à Gyge satellite fuit interfectus, qui deinde in regno successit. Series est:

Candaules.

Gyges, qui cœpit regnare in Lydia anno M. 3256. & regnavit annos 38. Ab hoc continua historia Herodoti incipit. Herod. lib. 1.

Ardys secundus rex Lydorum.

Halyattes tertius rex Lydorum.

Halyattes quartus rex Lydorum, qui Cimmerios ejecit ex Asia, & cepit Smyrnam.

Crœsus quintus rex Lydorum, qui victus est à Cyro Persa. Hæc paucis de Lydorum regum ordine, Lydia autem refertur ad Minorem Asiam.

11. Sequuntur nunc res Italorum sub prima Monarchia, ubi primò occurrunt quæ contigerunt in regno

Thusciæ

Thusciæ sive Hetruriæ, deinde quæ in regno Latinorum, & tertiò in regno Romanorum.

Regnum Thusciæ primò conditum est à Gomero primogenito Japheti, anno Nimrodi 10. Hic enim Gomerus coloniam duxit in Italiam, à quo Cimbri dicti sunt, qui deinde ex Italia profecti sunt in Septentrionem. Porrò longa series est regum Thusciæ à Gomero usque ad Jasium, à Dardano fratre (qui deinde in Samothraciam profugit) interfectum, ubi regnum Trojanorum incipit; indeque porrò ad Hyellum qui in Hetruria regnavit circa annum M. 3416. ubi finis est Monarchiæ primæ, vide apud Theod. Zwingerum in Theatro, fol. 1340. & 1341.

Regnum Latinorum Æneas post obitum soceri Latini, quarto anno post Trojæ excidium, qui est annus M. 2792, quo Samson judicavit Israëlem, administrare cœpit. Series hæc est:

1. Æneas.
2. Ascanius.
3. Sylvius posthumus, frater Ascanii, unde Albanorum reges Sylvii dicti.
4. Æneas Sylvius.
5. Latinus Sylvius.
6. Alba Sylvius.
7. Capetus.
8. Capys.
9. Capetus.
10. Tiberius.
11. Agrippa Sylvius, cujus tempore vixit Homerus.
12. Alladius, alias Remus vel Aremulus.
13. Aventinus, qui suo sepulchro monti Aventino nomen dedit.
14. Procas, qui Amulio natu minori regnum, Numitori verò majori pecunias reliquit.
15. Amulius, qui fratre Numitore expulso hujus filiam Rhean alias Iliam spe partus adimendi Vestæ consecravit; quæ tamen anno 27 patrui Remum & Romulum peperit anno 2 Olymp. 2. qui est annus M. 3201. quum in Judæa regnavit Jotham XI rex.

Re-

[illegible] Romanorum auſpicatus eſt Romulus anno [illegible] anno 1 Olymp.7. quum in Judæa regnavit A[illegible] Eſaias vaticinatus eſt. Series regum hæc eſt:

1. Romulus, qui anno ætatis 18 Romam ædificavit, anno poſt everſionem Trojæ 435.
2. Numa Pompilius.
3. Tullus Hoſtilius.
4. Ancus Martius.
5. Tarquinius Priſcus.
6. Servius Tullius, cujus 40 anno prima Monarchia finita eſt, & Cyrus in Perſia ſecundam inchoavit, videlicet anno M. 3435. Regnavit autem Servius annos 44, quem ſecutus eſt L. Tarquinius Superbus, qui incidit in ſecundam Monarchiam.

12. Res Germanorum à prima origine obſcuriores ſunt, de quibus Jodocus Willichius in Commentariis in Cornelii Taciti Germaniam ſic ait: Quum Germanorum regum, inquit, nullum quod equidem ſciam Chronicum extet, ſylvam ejuſdem quandam adumbrabo, &c. & bona ex parte ex Beroſo & Hebræis informabo. Sic Willichius. Nos ex Willichio & Dreſſero ſeriem regum Germanorum annotamus ut poſſumus:

	Anno mundi.
1. Tuiſco	1812.
2. Mannus	1965.
3. Ingevon	2036.
4. Iſtevon	2074.
5. Hermannus	2125.
6. Marſus vel Mars	2188.
7. Gambrivius	2234.
8. Suevus	2278.
9. Vandalus	2324.
10. Teutanes	2365.
11. Alemannus	2392.
12. Bojus.	2456.
13. Ingram	
14. Adelger	
15. Laërtes	2617.
16. Ulyſſes Ilſing	2668.
17. Brennus	2721.
18. Hichtar	2759.

 19. Fran-

19. Francus 2790.

20. Wolffheim Siclingus 2833. post hunc filios regnasse Kels, Gal, Hyllir, tradit Aventinus. Porrò verò de Germanis nihil memorabile est literis mandatum, usque ad annum M. 3555, qui incidit in secundam Monarchiam. Vide Dresserum in millenario 4. pag. 481.

Ex profanis in hac prima Monarchia doctrinâ celebres fuerunt:

1. Homerus, qui vixit circa tempora Eliæ.
2. Lycurgus.
3. Hesiodus, circa tempora Esaiæ.
4. Solon & cæteri sapientes Græciæ.
5. Æsopus fabulator.
6. Theognis.
7. Phocylides.
8. Pythagoras, &c.
9. Sibyllæ.

Hæc sit brevis delineatio historiarum primæ Monarchiæ, quæ tanquam idea ob oculos ponenda, ut singula majore cum distinctione ac luce legi possint.

MONARCHIÆ SECUNDÆ brevis delineatio.

HUjus Monarchiæ primus autor fuit Cyrus, filius Cambysis Persæ viri ignobilis, & Mandanes filiæ Astyagis regis Medorum. Egressus ex adolescentia fuit socius regis Cyaxaris filii Astyagis, quem Daniel propheta vocat Darium Medum, & magna bella gessit, ut tandem hic Cyaxares ipsi filiam locaret in uxorem, & Cyrum in regni societatem admitteret, in qua cum Dario socero regnavit annos 24 ante captam Babylonem, quamvis alii ponunt annos 20, alii 22. Captâ Babylone & devictis Assyriis delevit primam Monarchiam, & instituit secundam in Persia, unde Persica est dicta; quod factum est anno M. 3435, juxta recentiores verò 3488. Intervallum est annorum 53. Duravit usque ad annum M. 3641.

M. 3641. Fuit igitur annorum 206. Porrò series regum in hac Monarchia hæc est:

	Anni regni.
1. Cyrus	7.
2. Cambyses	8.
3. Darius Hystaspis	36.
4. Xerxes	21.
5. Artaxerxes Longimanus	40.
6. Darius Nothus	19.
7. Artaxerxes Mnemon	43.
8. Artaxerxes Ochus	23.
9. Arsames	3.
10. Darius Codomannus	6.
	206.

In Synchronismis occurrunt historiæ tum sacræ tum profanæ.

Sacræ historiæ ordiendæ sunt à solutione captivitatis Babylonicæ, quâ per Cyrum Judæis facta est potestas redeundi in Judæam, & Templum ac urbem Hierosolymam reædificandi.

In Judaïco populo periit regia dignitas, & alia exorta est imperii forma cum novo Templo & nova urbe; videlicet potestas Pontificum & Ducum, quæ duravit annis 534 usque ad Christum Pontificem ac Principem æternum.

Series pontificum Hierosolymitanorum tempore hujus Monarchiæ hæc est: Nehem. 12. v. 10, 11.

Vide Dresf. in mill. 4. pag. 290. Zwing. in theatro pag 1327. Huic alii tribuunt annos 29. Dresf.

1. Jesua sive Jesus filius Jozadack, Esdræ cap. 3. vers. 2. & Hagg. 1. v. 1. Hic pontificatu functus annos 36 ad Darium Persiæ regem se contulit, pontificatu filio suo Joachim tradito.	36.
2. Joachimus vel Jacimus	48.
3. Eliasibus	21.
4. Jojada	23.
5. Johannes, vel Jonathan, vel Jothamus	24.
6. Jaddus vel Jaddua	10.

Series Ducum seu Principum in populo Judaïco tempore hujus Monarchiæ hæc est:

1. Zorobabel. 74.

2. Mosella vel Riesa 66.
3. Johanna 53.
4. Judas cognomento Hircanus 14.

In profanis historiis occurrunt Ægyptii, Græci & Romani.

Ægyptus. Ægyptus inde usque ad Persica tempora retinuit veterem regni formam, deinde à Cambyse Cyri filio domita & Persicæ Monarchiæ adjecta est. In hac igitur Monarchia Ægyptii reges fuerunt:

1. Amasis, de quo etiam in prima Monarchia, sed anno 10 hujus secundæ Monarchiæ obit. a
2. Psammenitus filius Amasis, qui à Cambyse victus, crudeliter tractatus & interfectus est, Herod. lib. 3. Sic Ægyptus venit in potestatem regum Persicorum, ibique mansit usque ad Darium Nothum, cujus anno 6 Amyrteus Saites defecit à Persis & in Ægypto regnavit. Nota igitur seriem:

a Et quidem anno 1 regni Cambysis, secundum Chytr. vel anno 2, ut Bucholtz.

	Anni regni.
3. Amyrteus	6.
4. Nepherites	6.
5. Achoris	12.
6. Nectanebus I	18.

7. Nectanebus II, quem anno regni 18 profligatum ab Ocho Persa in exilio mortuum scribunt. Sic Ægyptus recuperata est regno Persico; sed post annos ferè 20 occupata ab Alex. M.

Græcia. Ex Græcis in hac Monarchia præcipui fuerunt Athenienses, Lacedæmonii, Thebani, Phocenses, Locrenses, Macedones. Variis hi bellis divexabantur, partim externis, partim internis. Celebratiora sunt hæc:

1. Pugna Marathonia.
2. Expeditio Xerxis in Græciam.
3. Bellum Peloponesiacum inter Athenienses & Lacedæmonios.
4. Acta 30 Tyrannorum cum Thrasibulo.
5. Pugna Leuctrica inter Lacedæmonios & Thebanos.
6. Bellum sacrum inter Thebanos & Phocenses, cujus occasione Philippus Macedo pater Alex. M. in Græ-

Bellum Ægyptium, in quo Cambyses victo Psammenito Ægyptum Persicæ Monarchiæ subjecit.

in Græciam eſt attractus & Græcorum dux conſtitutus.

7. Bellum Olynthiacum & pugna ad Cheronéam inter Philippum & Athenienſes.

Duces verò bellici Græcorum fuerunt:

1. Miltiades Athenienſis.	9. Alcibiades Athen.
2. Ariſtides.	10. Thraſybulus Athen.
3. Cimon.	11. Lyſander Spart.
4. Phocion.	12. Ageſilaüs Spart.
5. Leonides Spartanus.	13. Pelopidas Thebanus.
6. Temiſtocles Athen.	14. Epaminondas Theb.
7. Pauſanias Spart.	15. Philippus Macedo.
8. Pericles.	16. Demoſthenes.

Romanorum ſtatus in hac Monarchia inſignem expertus eſt mutationem quando ejectis regibus conſules ſunt creati. Series eſt: *Italiæ.*

1. Servius Tullius regnat annos 3.

2. Tarquinius Superbus VII & ultimus Romanorum rex regnat annos 25, Dionyſ. Halic. lib. 4 pag. 337. uſque ad finem libri. Hujus Tarquinii filius nomine Sextus Tarquinius, quum ſtuprum intuliſſet Lucretiæ uxori L. Tarquinii Collatini, pater etiam multa crudeliter & nefariè ageret, mutata eſt Reſpublica Romana & annuus Magiſtratus ejectis regibus mandatur Conſulibus, quod factum eſt anno M. 3464, die 24 Febr. qui dies dictus eſt REGIFUGIUM.

3. Conſularis ſtatus introductus, cui acceſſit interdum Decemviratus, Triumviratus, & Dictatura, Halic. lib. 5.

4. Præcipui & celebratiores Romani in hac Monarchia fuerunt:

1. Horatius Cocles.	*In bello Hetruſco contra Porſenam, Halic. lib. 5.*
2. Q. Mutius Scævola.	
3. P. Valerius Publicola.	*In bello contra Sabinos, Halic. lib. 5.*

4. Menenius Agrippa orator, Halic. lib. 6.
5. Coriolanus, qui ad Volſcos abiit, Halic. lib. 7 & 8.
6. Legati Romanorum deſcribunt leges Solonis, unde leges 12 tabularum, Halic. lib. 10.

7. Spurius Cassius invenit leges Agrarias.
8. L. Quintius Cincinnatus ex agro vocatur ad Dictaturam.
9. Camillus contra Germanos missus.
10. M. Curtius, qui equo in specum insiluit.
11. Manlius Torquatus.
12. Decius pater, & Decius filius.

5. Bella Romanorum occurrunt.

1. Bellum Ethruscum.
2. Bellum Latinum.
3. Bellum Gallicum.

Docti viri qui tempore hujus Monarchiæ floruerunt in Græcia recensentur hi:

1. Simonides.
2. Pindarus.
3. Æschylus.
4. Hippocrates.
5. Euripides.
6. Anaxagoras.
7. Socrates.
8. Sophocles.
9 Charondas.
10. Zaleucus.
11. Herodotus.
12. Isocrates.
13. Theophrastus.
14. Thucydides.
15. Plato.
16. Aristophanes.
17. Xenophon.
18. Demosthenes.
19. Aristoteles.
20. Epicurus, & qui sunt plures.

MONARCHIÆ TERTIÆ
brevis delineatio.

HUjus Monarchiæ primus autor fuit Alexander M. Philippi regis Macedonum filius, qui anno M. 3642, anno regni 6, devicit Darium Codomannum ultimum Persarum regem, & Monarchiam ad Græcos seu Macedonas transtulit, scilicet ex Asia in Europam. Recentiores initium hujus Monarchiæ ponunt in anno M. 3692. Differentia est annorum 50. Duravit autem annos 282. Sunt qui numerant ab initio hujus Monarchiæ ad natum Christum annos 382. Tenuit autem Alexander M. Monarchiam septennium, eique defuncto succedit Aridæus frater, qui quum sex annos & menses 4 in Mace-

Macedonia regnasset interfectus est ab Olympiade matre Alexandri M. & in ejus locum successit Cassander, qui numeratur XXIII rex Macedonum, tenuitque regnum annos 18. Quum autem varia essent dissidia & bella inter Asiaticos, tandem de federe sanciendo inter successores Alexandri consilium inventum est anno ab Alexandri obitu 13, qui est annus M. 3661, à quo inchoantur anni Seleucidarum, qui in libris Maccabæorum dicuntur anni Græcorum, quamvis ab aliis inchoentur initio anni sequentis. Porrò fedus inter successores hoc fuit, ut Cassander fuerit præfectus Europæ, Ptolemæus Ægypto, Seleucus Syriæ, & Antigonus Asiæ, cujus filio Seleucus regnum ademit & Syriæ adjecit. Additur hisce Lysimachus, qui Thraciam seu Hellespontum tenuit, Josephus libr. 12. ant. cap. 1. Nos hic maximè respiciemus ad reges Asiæ seu Syriæ, qui à primo Seleuco Seleucidæ sunt dicti; ad reges Ægypti, qui Lagidæ dicti sunt à Lago quodam primi regis Ptolemæi patre; & ad reges Europæ seu Macedoniæ.

Series Seleucidarum hæc est: videlicet ab anno M. 3661.

1.	Seleucus Nicanor	30.
2.	Antiochus Soter	20.
3.	Antiochus Θεός	15.
4.	Antiochus Callinicus	20.
5.	Seleucus Ceraunus	3.
6.	Antiochus Magnus	37.
7.	Seleucus Philopator	12.
8.	Antiochus Epiphanes	12.
9.	Antiochus Eupator	2.
10.	Demetrius Soter	11.
11.	Alexander Epiphanes	6.
12.	Demetrius Nicanor	8.
	Scilicet connumerantur 3 anni Antiochi Thei, & 3 anni Tryphonis.	
13.	Antiochus Sedetes	6.
14.	Demetrius Nicanor II.	4.
15.	Antiochus Gryphus	12.
16.	Antiochus Cyzicenus	18.
17.	Philippus ultimus Seleucidarum	2.
18.	Tigranes.	27.

Hic à Lucullo & Pompeio victus est, & Syria ac Judæa venerunt in potestatem Romanorum, anno M. 3906.

Duratio est annorum	245.

Series Lagidarum hæc est: videlicet ab anno M. 3648.

1.	Ptolemæus Lagi	39.
2.	Ptolemæus Philadelphus	38.
3.	Ptolemæus Euergetes	25.
4.	Ptolemæus Philopator	17.
5.	Ptolemæus Epiphanes	24.
6.	Ptolemæus Philometor	35.
7.	Ptolemæus Euergetes II	29.
8.	Ptolemæus Lathurus	15.
9.	Ptolemæus Alexander	10.
10.	Ptolemæus Lathurus antea expulsus rediit & regnavit	8.
11.	Ptolemæus Auletes, aliàs dictus Dionysius	30.
12.	Cleopatra	22.

Hæc cum Antonio venit in potestatem Octavii Augusti post pugnam Actiacam, anno M. 3942.

Duratio est annorum	292.

Series regum Macedoniæ seu Europæ hæc est, videlicet ab anno M. 3656.

1.	Cassander	18.
2.	Philippus	4.
3.	Demetrius Poliorcetes	6.
4.	Lysimachus	7.
5.	Ptolemæus Ceraunus	2.
6.	Antigonus Gonates	36.
7.	Demetrius	10.
8.	Antigonus Doson	15.
9.	Philippus hostis Romanorum	42.
10.	Perseus filius.	11.

Victus hic est à P. Æmylio Romano, & venit Macedonia in potestatem Romanorum, anno M. 3804.

Duratio est annorum	151.

Atque

Atque hæc de successoribus Alexandri M. unde liquet quodammodo, quo modo hæc Monarchia translata tandem sit ad Romanos.

Videndum nunc quoque est, quis status & quæ conditio fuerit populi Judaici in hac tertia Monarchia. Sciendum autem est primò status Ecclesiasticum & politicum inter Pontifices & principes aliquandiu mansisse distinctos, postea verò factam esse confusionem ex gravissimis bellis quæ Judæis fuerunt cum exteris. Velut in tabula ponamus seriem utriusque status. *Res Judæorum.*

Pontifices.	*Principes.*
Onias filius Jaddi.	Josephus.
Simon Justus.	Matathias.
Eleazarus.	Hagai Heli.
Manasses.	Nassloch Nahum.
Onias.	Amos Sirach.
Simon.	Matathias Siloah.
Onias fil.	Josephus Arses.
Jason frater, qui ab Antiocho Epiphane emit sacerdotium, 2 Maccab. 4. vers. 10.	Hircanus, in quo desiit sceptrum domus Davidis usque ad Christum.
Onias, aliàs Menelaus.	Judas Maccabæus vindex legis patriæ.
Jacimus vel Alcimus.	

Post hosce facta est confusio, ita ut pontificatus & principatus functio ad unam personam fuerit devoluta. Horum series hæs est:

Jonathan frater Judæ Maccabæi.
Simon filius.
Hircanus filius. Joseph. lib. 13. cap. 15.
Aristobulus filius, qui seipsum fecit regem, Josephus lib. 13. cap. 19.
Alexander frater rex Judææ, Joseph, lib. 13. cap. 20.
Alexandra uxor, regina Judææ, & regnat consilio Pharisæorum, Joseph. lib. 13. cap. 24. sed interim filius Aristobulus & Pontifex.
Aristobulus post matris Alexandræ obitum fit rex. Hinc oritur dissidium inter hunc Aristobulum & Hircanum fra-

Pontificatus per Syriæ reges pervenit ad Asmonæam familiam ortam à Simeone Asmonei filio, qua

Principatum tenuit in sacerdotio & regno annos 131 secundum Josephum.

fratrem instigante Antipatro patre Herodis, qui per hanc controversiam quærebat suæ dignitatis amplificationem. Joseph. lib. 14. cap. 1. & seqq.

Hircanus à Pompeio post occupatam Hierosolymam & Templum confirmatur in regno, Aristobulo capto & Romam misso anno M. 3909. Hoc modo Judæa Romanis subjecta & tributaria facta etiam. vide Joseph. lib. 14. cap. 8. & 12. Interea temporis multa perversè aguntur ab Alexandro Aristobuli filio, & deinde ab ipso Aristobulo à Julio Cæsare Româ in Judæam ad opprimendum Pompeium dimisso, quæ res tum malè cessit. Aristobulus enim ita dimissus veneno necatur, & filius Alexander à Pompeianis securi percutitur anno M. 3923. anno proximo ante pugnam Pharsalicam. Post hæc Antipater Idumæus Judæus pater Herodis M. quum jussu Hircani summi Pontif. in bello Alexandrino profuisset Julio Cæsari, procurator seu tutor Judææ à Cæsare constituitur, eique instauratio urbis & templi conceditur ut & αὐτονομία; Hircano verò sacerdotium confirmatur, quod factum est anno M. 3925. Hæc dum Hircano feliciter eveniunt, & interim Antipatri (qui dolo cujusdam Malichi veneno erat sublatus) duo filii Herodes & Phaselus ab Antonio tetrarchæ Judææ crearentur, domi invidiâ æstuans Antigonus Aristobuli filius in Judæam introducit Parthos, qui, dum Antonius hæret apud Cleopatram, Judæam, Palæstinam & Hierosolymam occupant, Hircano summo Pontifici aures & nares præcidunt, Phaselum fratrem Herodis in vincula conjiciunt, ubi mortem sibi conscivit. Hæc dum ita fieri videt Herodes, ipse sibi fugâ cavet & Romam properat, anno M. 3932.

Antipater pater Herodis fit procurator Judaæ.

Herodes & Phaselus tetrarcha Judaæ.

Parthi introducuntur in Palæstinam.

Hircanus auribus & naribus mutilatus.

Phaseli interitus.

Herodis fuga in Italiam.

Antigonus filius Aristobuli post Hircanum patruum regnavit annos 3. & deinde ab Antonio Antiochiæ est occisus anno M. 3936. Ultimus hic fuit regum Judæorum ex Asmonæis. Translata est regia dignitas in Judæa ad Herodem. Joseph. lib. 14. cap. 31.

Antigoni interitus.

Herodes Romæ creatur rex Judaeorum.

Herodes cognomento Magnus, Antipatri filius, quum Parthos, ut dictum est, fugiens Romæ moratur, Judæorum rex creatur & coronatur anno M. 3932, & anno sequenti quum recuperasset Galilæam, primùm regio titulo ingressus est Judæam, & porrò anno M. 3935 Hierosolymam cepit, & sceptrum à Juda abstulit, & Hierosoly-

solymis rex Judæorum regnat annos 37. nempè usque ad annum M. 3972, qui est annus 2 nativitatis Jesu Christi.

Atque hæc summâ brevitate de statu Ecclesiæ seu populi Judaïci sub tertia Monarchia, ubi & hoc est memorabile, quòd circa finem hujus Monarchiæ, regnante in Syria Antiocho Grypho anno ante natum Christum 121 vel circiter, exortæ sunt inter Judæos sectæ Pharisæorum, Sadducæorum & Essæorum, quæ puriori doctrinæ magnam caliginem offuderunt. De hisce sectis vide Josephum lib. 18. ant. cap. 2. *Sectæ inter Judæos ortæ.*

In rebus gestis Romanorum tempore tertiæ Monarchiæ narrantur sequentia bella: *Res Romanorum.*

1. Bellum Samniticum, ubi duces fuerunt T. Veturius Calvinus, Sp. Posthumius Albinus Coss. & L. Papyrius Cursor.
2. Bellum contra Pyrrhum, quod dicitur Tarentinum, ubi duces C. Fabricius Luscinus, & Mannius Curius Dentatus.
3. Bellum Punicum I, ubi M. Attilius Regulus, C. Duillius, & L. Cornelius Scipio.
4. Bellorum quædam congeries contra Insubres, Gallos, Boios, &c. ubi Æmylius Papus, Flaminius & Marcellus.
5. Bellum Punicum II, ubi P. Cornelius Scipio pater, P. Cornelius Scipio filius, qui dictus est Africanus major, L. Paulus Æmylius, Terentius Varro, & Q. Fabius Maximus.
6. Bellum Macedonicum I, ubi Valerius Lævinus, & T. Q. Flaminius.
7. Bellum Antiochenum, in quo Mannius Glabrio & Scipio Asiaticus.
8. Bellum Macedonicum II, in quo L. Paulus Æmylius.
9. Bellum Dalmaticum, ubi P. Scipio Nasica.
10. Bellum Punicum III, ubi Scipio Africanus minor.
11. Bellum Achaïcum, ubi L. Mummius.
12. Bellum Lusitanicum, ubi Decius Junius Brutus.
13. Bellum Numanticum, ubi Scipio Africanus minor.
14. Bellum Servile, ubi C. Fulvius.

15 Bel-

15. Bellum contra Aristonicum, ubi M. Perpenna.
16. Bellum Jugurthinum, ubi L. Calphurnius Bestia, P. Cæcilius Metallus, & C. Marius.
17. Bellum Cimbricum, ubi C. Marius.
18. Bellum Sociale, ubi Rutilius, C. Porcius, Cn. Pompeius pater Pompeii Magni, Marius & Sylla.
19. Bellum Mithridaticum I, cui præfectus est Marius, quod ægrè tulit Sylla, qui tandem obtinuit, unde primum bellum civile exortum est.
20. Bellum Sertorianum, ubi Q. Cæcilius Metellus, L. Domitius Prætor, & Cn. Pompeius.
21. Bellum Mithridaticum II, ubi L. Lucullus & Cn. Pompeius M.
22. Bellum civile Marii & Syllæ.
23. Bellum civile Catilinarium, ubi C. Antonius, quamvis omnia ferè Ciceronis industria fuerint peracta.
24. Bellum Helvetio-Germanicum, ubi C. Cæsar.
25. Bellum civile inter Cæsarem & Pompeium, ubi Cæsar victor evadens inchoavit quartam Monarchiam anno M. 3924.

Viri doctrinâ clari sub hac Monarchia fuerunt:

1. Demosthenes.
2. Aristoteles.
3. Demades orator.
4. Theocritus.
5. Euclides.
6. Menander.
7. Aratus.
8. Ennius.
9. Archimedes.
10. Plautus.
11. Polybius.
12. Terentius.
13. M. Tullius Cicero.
14. Sallustius.
15. Catullus.
16. Virgilius.
17. Horatius, & qui sunt plures.

MONARCHIÆ QUARTÆ brevis delineatio.

QUartæ hujus Monarchiæ primus autor fuit C. Julius Cæsar, qui devicto in pugna Pharsalica Pompeio omnem splendorem ac dignitatem Romanæ gloriæ ad se transtulit, unde Imperator salutatus est, quo titulo supra

ſupra conſularem dignitatem aſcendit, quod factum eſt anno M. 3924, anno ante natum Jeſum Chriſtum Dn. noſtrum 47. & durat in hodiernum uſque diem, ſed non eodem ſplendore ac majeſtate. Tempus edax rerum, tuque invidioſa vetuſtas omnia deſtruitis. Vix enim hodie rudera ſuperſunt, quæ non niſi in exigua Germania continentur. Deceſſit tota Aſia, ablata eſt tota Africa, minima pars Europæ eſt reliqua, adeò labefactata & attrita, ut vix oſſibus hæreat. Sed à principio videamus hujus Monarchiæ ſeriem. Ejus principes dicuntur Imperatores, & à primo autore Cæſares. Dividitur in tres claſſes, quarum prima eſt Imperatorum Italicorum; ſecunda Imperatorum Græcorum; tertia Imperatorum Germanorum.

De prima claſſe Romanæ Monarchiæ, in qua Impp. Italici.

Prima hæc claſſis initium ſuum ſumit ab anno M. 3924, ante Chriſtum natum 47, & duravit uſque ad annum M. 4276, qui eſt annus nati Chriſti 306. Duratio eſt annorum 352.

Imperatores hujus claſſis ſunt hi:

1. C. Julius Cæſar.
2. Octavius Auguſtus.
3. Tiberius.
4. C. Caligula.
5. Claudius.
6. Domitius Nero.
7. Servius Sulpitius Galba.
8. Silvius Otho.
9. Aulus Vitellius.
10. Flavius Veſpaſianus.
11. T. Veſpaſianus.
12. Domitianus.
13. Cocceius Nerva.
14. Ulpius Trajanus.
15. Ælius Adrianus.
16. Antoninus Pius.
17. Antoninus Philoſophus.

18. Com-

18. Commodus. Deinde

Pertinax. } qui ab aliis prætereuntur.
Didius Julianus.

19. Septimius Severus.
20. Caracalla.
21. Popilius Macrinus.
22. Heliogabalus.
23. Alexander Severus.
24. Maximinus.
25. Gordianus.
26. Philippus Arabs.
27. Decius.
28. Valerianus.
29. Gallienus.
30. Flavius Claudius.
31. Aurelianus.
32. Tacitus.
33. Valerius Probus.
34. M. Aurelius Carus.
35. Diocletianus.

Sub hisce Imperatoribus varia fuerunt bella, ex quibus præcipua sunt:

1. Bellum Alexandrinum, Ponticum, Africanum & Hispaniense per C. Julium Cæsarem.

2. Bellum Mutinense inter Augustum & Antonium, in quo Antonius victus.

3. Bellum Philippense contra percussores Cæsaris, ubi Augustus & Antonius socii.

4. Bellum Perusinum inter Augustum & Antonium.

5. Bellum Siculum contra Sextum Pompeium, ubi Augustus & Antonius socii.

6. Bellum Actiacum inter Augustum & Antonium, ubi Antonius periit.

7. Bellum contra Germanos Duce Druso, & postea Quintilio Varo qui à Germanis est victus.

8. Bellum Britannicum sub Caligula & Nerone, ubi defecerunt quoque Armenia, Syria, Gallia, Hispania.

9. Bellum Judaïcum à T. Vespasiano confectum.

10. Bellum Parthicum sub Trajano, L. Aurelio Vero, & Caracalla, &c.

11. Bellum adversus Quados sub M. Antonino Philoso-

losopho, ubi legio κεραυνοϐόλος.

12. Bellum Persicum contra Saporem à Gordiano feliciter, à Valeriano infeliciter gestum.

13. Bellum Scythicum sub Decio & Gallo Hostiliano, ubi pax Romanis dedecorosa, quam emendavit Æmylianus.

14. Bellum contra 30 tyrannos sub Gallieno obortos, quos domuit Fl. Claudius.

15. Bellum Aureliani in Syria contra Zenobiam, ubi Palmyra urbs deleta est.

16. Bellum Constantini Mag. contra Christianorum persecutores. Etenim Diocletianus imperii consortem sibi delegerat Maximianum. Hi duo porrò urgente necessitate alios duos Cæsares nominarant: Diocletianus quidem Galerium Maximinum; Maximianus verò Constantium Chlorum. Atque ita quatuor fuerunt Impp. Constantius Chloris, cæteris in Christianos sævientibus, Galliam & Germaniam regebat quietus, cujus filius Constantinus (postea dictus Magnus) interim apud Diocletianum militabat in Ægypto, ex qua propter insidias in Galliam rediit ad patrem. Hinc odium inter Diocletianum & Constantinum. Extincto Diocletiano Romæ sedebat Maxentius filius Maximiani, qui patrem Romam venientem, ut Imperator crearetur, expulit. Expulsus in Galliam fugit ad Constantinum generum suum, à quo interficitur, &c. Interim Maxentius Romæ omnia perversè agit. Quocirca à nobilibus Romanis è Gallia evocatur Constantinus M. ut tyrannide Maxentii Romam liberet. Constantinus petitioni locum daturus, quum circa vesperam è fenestra prospiciens animo cogitaret quemnam Deum auxiliatorem in hoc negotio invocaret, videt in aëre columnam lucidam crucis specie, cui hæc inscripta erant verba: ἐν τούτῳ νίκα. Vicit Maxentium juxta pontem Milvium cum equo in Tiberim insilientem & postea nunquam visum. Sic factus est Imperator Constantinus M. qui Româ desertâ ut major esset in Oriente tranquillitas abiit Byzantium Græciæ urbem, ibique sedem imperatoriam fixit, unde urbs illa νέα Ρώμη est dicta & à nomine Imperatoris Constantinopolis.

Pon-

Pontifices Hierosolymitani in quarta Monarchia.

Jonathan filius Anani surrogatur in locum Josephi Cajaphæ à Vitellio Syriæ præside, quum jam in locum Pontii Pilati successisset Vitellii amicus.

Theophilus frater Jonathanis, Joseph. lib. 18. cap. 7.

Hircanus filius Alexandri ab Herode interfectus, Joseph. 15. 2.

Ananelus, 15. 3.

Jesus Phabetis filius ab Herode rejectus, Joseph. 15. 12.

Simon Herodis socer, Jos. ibidem. qui dejicitur pontificatu, Jos. 17. 6.

Matthias Theophili filius, Joseph. ibidem, dejectus ab Herode, Joseph. 17. 8.

Jozarus, Jos. 17. 8. dejectus ab Archelao, Jos. 17. 9.

Eleazarus frater, Joseph. ibidem.

Jesus Siæ filius, Joseph. ibidem.

Status politicus Judæorum in quarta Monarchia.

Antipater pater Herodis, quòd C. Julium Cæsarem juvisset in bello Alexandrino, constituitur tutor Judææ, Joseph. lib. 14. ant. capp. 14 & 15.

Ananus Sethi surrogatus Jozaro à Quirinio Syriæ præside, Joseph. lib. 18. cap. 3. Hic Judæa habuit præsides. Remotus est Ananus à Valerio Grato præside, Joseph. 18. 3.

Ismaël, Anano substitutus, Jos. ibid.

Eleazarus Anani filius, Jos. ibid.

Simon Camithi filius, Jos. ibid.

Herodes & Phaselus fratres ab Antonio creantur tetrarchæ Judææ, Jos. lib. 14. cap. 23.

Josephus Cajaphas, Jos. ibid. Hic tempore passionis Christi functus est Pontificatu.

Herodes, Pacoro Parthorum rege ab Antigono in Judæam attracto & Hierosolymam occupante, profugit in Italiam, & Romæ ab Antonio & Augusto creatur Rex Judææ, Joseph. lib. 14. capp. 25 & 26. Factum

est hoc anno 38 ante natum Christum, regnavit autem annos 40.

Archelaüs Herodis filius in Judæa regnat, non ut rex, sed ut tetrarcha. Ita enim ordinaverat Augustus Imp. Jos. lib. 17. cap. 13. Anno autem 10 tetrarchatus Archelaüs à Judæis accusatus mittitur in exilium, & Judæa contributa est Syriæ, ita tamen ut Judææ præficerentur præsides.

Præsides Judææ.

Coponius, qui missus est in Judæam quum Quirinius mitteretur in Syriam, Jos. lib. 18 cap. 1.

M. Ambivius, Jos. lib. 18. cap. 3.

Annius Rufus, quo præside Augustus Imp. mortuus est, Jos. ibidem.

Valerius Gratus, missus à Tiberio Imp. Hic præses 4 pontifices ordinavit: Ismaëlem, Eleazarum, Simonem Camithi, & Josephum Cajapham.

Pontius Pilatus, sub quo Jesus Christus passus est. Præfuit annos 10, & quum crudelius egisset in Samaritanos, à Judæis coram Vitellio Syriæ præside accusatus mittitur Romam, quo antequam pervenit Tiberius vitâ excessit, Jos. lib. 18. capp. 3. 5.

Marcellus amicus Vitellii, Jos. lib. 18. cap. 5.

Ecclesiasticæ historiæ quæ in prima hac classe contigerunt describuntur partim in N Testamento, partim à Fl. Josepho, partim ab historicis & Ecclesiasticis & aliis. Novum Testamentum incipit sub imperio Octaviani Augusti, & finitur sub imperio Neronis, nisi quòd Johannes Evangelista suam Apocalypsin vidit sub imperio Domitiani. Cætera in Ecclesiasticis historiis pertexuntur usque ad Constantinum M.

In personis autem Ecclesiasticis præter ipsum Jesum Christum verè θεάνθρωπον μεσίτην καὶ ἱκέτην ἡμῶν, & Johannem Baptistam, numerantur Evangelistæ & Apostoli, & post hos Episcopi. Evangelistas dicimus eos qui historiam Evangelicam de Jesu Christi persona & officio nobis descriptam reliquerunt, atque ita propheticorum vaticiniorum complementa ob oculos posuerunt, ut sunt, Matthæus, Marcus, Lucas & Johannes, ex quibus duo etiam Apostoli fuerunt, videlicet Matthæus &



Johannes. Apostoli verò sunt, qui à Jesu Christi morte & ascensione ex ejusdem mandato abierunt in universum mundum & Evangelium prædicarunt; ut sunt:

Matth. 10. v. 2, 3. 4. Marci 3. v. 16. &c. Luc 6. v. 13, 14.

Simon Petrus.
Andræas.
Jacobus Zebedæi f.
Johannes.
Philippus.
Bartholomæus.
Thomas.
Matthæus.
Jacobus Alphæi f.
Judas Thaddæus.
Simon Cananites seu Zelotes.
Matthias.
Paulus, qui ultimò miraculosè vocatus est.

Act. 1. v. 13. Act. 9. v. 15.

Episcopi præcipui recensentur hi; vel saltem præcipui Doctores Ecclesiæ post Apostolos:

Timotheus.	Irenæus.
Titus.	Pantænus.
Ignatius.	Clemens Alexandrinus.
Polycarpus.	Origenes.
Papias.	Tertullianus.
Justinus Philos. & Martyr.	Cyprianus.

Ex Onuphrio numerantur Episcopi Romani à Petro usque ad Marcellum primum inclusivè 31. Quem ordinem ac numerum Papæ Romani asseclæ diligenter observant. Vide Dresserum Millen. 5. pag. 176. &c. & Theodor. Zwingerum in Theatro fol. 1328.

Viri docti ethnici in hac prima classe fuerunt:

M. Tullius Cicero.	Cornelius Tacitus.
Virgilius.	Plutarchus.
Horatius.	L. Florus.
Salustius.	Plinius secundus.
Ovidius.	Suetonius.
Quintilianus.	Galenus Medicus.
Seneca.	Ptolemæus Mathematicus.
Martialis.	

A. Gel-

A. Gellius
Papinianus Juriſconſultus.
Ulpianus Juriſconſultus.
Cenſorinus Chronologus.
Arrianus, ſcriptor Alex. M.
& qui plures.

De ſecunda claſſe Romanæ Monarchiæ, in qua Impp. Græci ſeu Orientales.

HÆc ſecunda claſſis initium ſuum ſumit ab anno Chriſti 306, & deducitur uſque ad annum Chriſti 801. Spacium ſeu διάστημα eſt annorum 495. Hic verò primò obſervetur ſeries Imperatorum & quantum fieri poteſt aliorum regum ac bellorum; deinde Eccleſiaſticorum Doctorum, ut & hæreticorum; tertiò Conciliorum Eccleſiaſticorum; & quia regnum Antichriſti in hac ſecunda claſſe valde amplificatum eſt, etiam Pontificum Romanorum catalogus eſt obſervandus.

Imperatores igitur hujus ſecundæ claſſis ſunt:

1. Conſtantinus M.
2. Conſtantinus. Conſtans. Conſtantius.
3. Julianus Apoſtata.
4. Jovinianus.
5. Valentinianus I, cum fratre Valente.
6. Gratianus Orient. & Valentinianus II, Occid.
7. Theodoſius M.
8. Arcadius Orient. & Honorius Occident.
9. Theodoſius II.
10. Valentinianus III, Occid.
11. Martianus Orient.
12. Leo M. & Majoranus Occident.
13. Zeno Orient. ſub hoc deſiit imperium in Occidente.
14. Anaſtaſius.
15. Juſtinus I.
16. Juſtinianus.
17. Juſtinus II.
18. Tiberius.
19. Mauricius.
20. Phocas.
21. Heraclius.
22. Conſtans.
23. Conſtantinus Barbatus.
24. Heraclius Juſtinianus.
25. Philippus.
26. Leo Iſaurus.
27. Conſtantinus Copronymus.
28. Leo IV.
29. Irene cum filio Conſtantino VII.

Exteri reges ac populi, quorum in hac ſecunda claſſe

mentio est præcipua, sunt, Gotthi, Vandali, Hunni, Saraceni, Longobardi; item, Scoti, Britanni, Hispani, Sicambri & Franci, Northumbri, Anglosaxones, Dani. Gothicum regnum in Italia cœpit anno Christi 476 Bucholtz. alii 480 Zwing. Reges fuerunt:

1. Odoacer.
2. Theodericus.
3. Alaricus.
4. Theodatus.
5. Vitiges.
6. Theudobaldus.
7. Araricus.
8. Totilas.
9. Theias.

Vandalorum reges in Africa suas habuere sedes, sed ab anno Christi 455, quando Romam ceperunt, narrantur hi Reges:

1. Gensericus.
2. Hunerichus.
3. Gundabundus.
4. Thrasymundus.
5. Hildericus.
6. Gilimer.

Hunnorum rex fuit Attila, qui circa annum Christi 452 grassatus fuit in Italia, multa occupavit, sed nullam regni formam constituit, nec uni ex filiis Monarchiam tradidit. Habuit tres filios, Ellac, Dincionem & Chaba. Inter hos quum pater distribuisset provincias, inter se verò dissiderent de successione, Ardaricus rex Gepidarum (qui fuerunt pars Gotthorum) bellum contra Hunnos movit, & trucidato Ellac cum 30000 Hunnorum regno Pannoniæ est potitus, quod ante Attilam possidebant Gotthi. Wallemir rex Gothicus Dincionem vicit. Chaba cum parte Hunnorum in veterem patriam fugit, quæ fuit Asia. Neque ante Attilam Hunni Europæ fuerunt noti. Reliqua pars Hunnorum mansit in Pannonia sub imperio Gotthorum, qui regnum Pannoniæ tenuerunt annis circiter 100, donec Hunni & Avares tempore Justiniani Imp. redierunt, & effusi sunt in ea loca quæ nunc Bulgari & Walachi tenent, Melanchth. in Chron. pag. 506. &c. Mellific. parte 2. fol. 301. Sic ergò Gotthi oppressis Hunnis retinuerunt regnum in Pannonia.

Saracenorum dux & propheta Mahometus tempore Heraclii Imp. prodiit, cujus initium collocatur in annum Christi 623. Postea anno Christi 632 Saracenica potentia crevit adeò, ut Persicum regnum occupaverint.

Vide

Vide Peucerum in Chron. pag. 722. Cæterum poſt Mahometum, qui primus fuit propheta Saracenorum, & cœpit anno Chriſti 623, uſque ad annum Chriſti 801 numerantur 21 Duces, quos Amyras vocant. Vide Zwing. in theatro pag. 1336.

Longobardorum regnum in Italia cœpit anno Chriſti 568. Vide Melanchth. fol. 547. & ſeqq. & Mellific. parte 2. fol. 308. Zwing. Theatrum fol. 1344. Reges recenſentur hi:

1. Alboinus.
2. Clephes.
3. Autharus.
4. Egilolphus.
5. Adoaldus.
6. Arioaldus.
7. Rhotaris.
8. Radoaldus.
9. Aribertus.
10. Grimoaldus.
11. Bertarius.
12. Cunibertus.
13. Reginbertus.
14. Aribertus.
15. Aſprandus.
16. Lutbrandus.
17. Hildobrandus.
18. Rachiſius.
19. Aſtulphus.
20. Deſiderius, victus à Carolo Magno.

Longobardis oppoſiti fuerunt Exarchi, qui Imperatorum Orientalium fuere vicarii in Occidente, quorum primus inſtitutus eſt ab Imperatore Juſtino II, poſt obitum Narſetis circa annum Chriſti 569. De quibus Melanchthon in Chron. fol. 557. Mellific. parte 2. fol. 308. Theatrum Zwing. fol. 1344. Series Exarchorum eſt:

1. Longinus.
2. Smaragdus.
3. Romanus.
4. Callinicus.
5. Smaragdus iterum.
6. Joh. Lamigius.
7. Eleutherius.
8. Iſaacius.
9. Theodorus Calliopa.
10. Olympius.
11. Theod. Call. iterum.
12. Joh. Platina.
13. Theophylacius.
14. Paulus.
15. Eurichus, victus ab Aſtulph. Longobardo, contra quem Pipinus accerſitus finem fecit Exarchatus.

Scotorum regnum cœpit anno Chriſti 377, & recenſentur reges in hac ſecunda claſſe:

1. Eugenius, victus à Britanniæ rege, & Scoti Britanniâ ejecti.
2. Barfus & Tenagus fratres instituerunt regnum ad mare.
3. Contanus.
4. Eugenius sive Arcadius.
5. Eugenius.
6. Eugenius.
7. Ambercletus.
8. Achaius. Vide theatrum Zwing. 1353.

Britannorum regnum cœpit anno Christi 379.
Reges sunt:

1. Maximus.
2. Gratianus.
3. Constantinus.
4. Vortigerus.
5. Ambrosius.
6. Uterpondragon.
7. Arthurus.
8. Constantinus.
9. Cadovaladrus, qui relicto regno Romam discessit, & interim Angli totâ Britanniâ potiti sunt, anno Christi 600.

Post hosce Britannorum reges deinde secuti sunt reges Angliæ & Northumbriæ; quorum Catalogum vide in Theatro Zwing. fol. 1351 & 1352, ubi series deducitur usque ad annum Christi 801. Cæterùm quum Britannia subinde à Pictis & Scotis vexaretur, neque Romani suppetias ferre possent, Vortigerus rex Saxones in Britanniam vocavit, quorum Dux fuit Hengistus. Hi sub specie ferendi auxilii magnam Britanniæ partem occupârunt. Hinc Anglosaxones, qui in Britannia Orientali, Occidentali & Australi vixerunt, ab Hengisto, qui cœpit anno Christi 449 usque ad Egbertum, qui anno Christi 800 regnare cœpit, & post annos 27 Northumbriæ regnum pulsis Danis suo adjecit, & postea statuit ut omnes Angli & Saxones, exceptis Scotis, Angli dicerentur, & ipsa insula Anglia posthac uno nomine vocaretur. Hinc deinde Anglorum Reges usque ad nostra tempora. Zwing. in theatro fol. 1352.

Hispa-

Hispanici regni initium ponitur ad annum Christi 378, ubi crebra mentio est Ostrogotthorum & Westgotthorum regum. Vide Theatrum Zwing. fol. 1349.

Sicambrorum & Francorum regum catalogus in hac classe incipit à Degenberto, qui anno Christi 307 regnavit, eique successerunt sex reges usque ad Pharamundum, qui anno Christi 420 auspicatus est regnum, ex quo deinde Francorum sive Gallorum reges numerantur usque ad nostra tempora. Estque hic tenendum Gallicos scriptores in regum suorum familiis tres mutationes numerare; primam à Pharamundo usque ad Pipinum, qui jussu Zachariæ Papæ rex Francorum factus est anno Christi 750; secundam à Pipino usque ad Hugonem Capetum Comitem Parisiensem annorum 237; tertiam ab Hugone Capeto usque ad nostra tempora. Zwing. theat. fol. 1348.

Danorum Reges incipiunt numerari ab anno Christi 796, quo regnavit Gotricus. Zwing. th. fol. 1353. Nunc etiam bella præcipua recenseamus.

1. Bellum Constantini M. contra { Maxentium. / Licinium.
2. Bellum Constantini II contra fratres, de provinciis aliter dividendis.
3. Bellum Constantii & Magnentii.
4. Bellum Persicum Constantii. Mellif. p. 2. fol. 271.
5. Bellum Persicum { Juliani apostatæ. / Joviniani.
6. Bellum Theodosii I contra Eugenium & Arbogastem, ubi venti auxiliatores.
7. Bellum Theodosii II contra Hunnos & Persas, auxilio Gotthorum.
8. Bellum Gotthicum in Italia sub Theodosio II. primus Dux Gotthorum Alaricus.
9. Bellum Vandalicum in Hispania & deinde in Africa. Primus dux Vandalorum Gensericus.
10. Bellum Hunnicum. Hunnorum Dux Attila.
11. Bellum Theoderici Veronensis contra Odoacrum, jussu Zenonis.
12. Bellum Justiniani duce Bellisario, qui Asiam, Africam & Italiam restituit.
13. Bellum Gotthicum Italicum longè acerrimum, ex quo tandem exortum est regnum Longobardicum

in Italia per Narsen Eunuchum. contra hos vero instituitur Exarchatus, unde bella inter Longobardos & Exarchos.

14. Bellum Persicum duce Mauricio Cappadoce.
15. Bellum Longobardicum sub Mauricio Imp.
16. Bellum Ungaricum sub eodem.
17. Bellum Persicum sub Phoca & Heraclio Impp. unde occasio regni Mahometici.
18. Bellum Saracenicum grave ac diuturnum.
19. Bellum Bulgaricum. Bulgarorum autem prima mentio est sub Constant. Pogonato Imp.

Hæc de Politicis. Ecclesiasticæ res propter varias hæreses in hac secunda classe fuerunt turbulentæ & tristes. Ut enim in prima classe Diabolus Ecclesiam turbavit violenter per tyrannos & persecutores; ita in hac classe fraudulenter per falsa dogmata & schismata. Hic igitur considerentur 1. Orthodoxi Doctores. 2. Hæretici. 3. Concilia.

Orthodoxi Doctores præcipui sunt:

1. Eustathius Episc. Antioch.
2. Alexander Episc. Alexandr.
3. Macarius Hierosolym.
4. Paphnutius Ægyptius.
5. Osius Hispanus.
6. Athanasius.
7. Hilarius.
8. Basilius M.
9. Gregorius Nyssenus.
10. Gregorius Nazianz.
11. Epiphanius.
12. Didymus Alexandr.
13. Ambrosius.
14. Augustinus.
15. Hieronymus.
16. Chrysostomus.
17. Cyrillus.
18. Theodoretus.
19. Joh. Damascenus.
20. Beda.

Hæretici præcipui fuerunt:

1. Meletius.
2. Arius.
3. Donatistæ.
4. Photinus.
5. Eunomius.
6. Anthropomorphitæ.
7. Appollinarius.
8. Macedonius.
9. Pelagius.
10. Nestorius.
11. Eutyches.
12. Tritheitæ.
13. Agnoëtæ.
14. Theopaschitæ.
15. Monotheletæ.

Con-

Concilia seu Synodi fuerunt:

1. Nicenum, Oecum. I.
2. Sardicense.
3. Syrmiense.
4. Ariminense.
5. Seleuciense.
6. Constantinop. Oecum. II.
7. Ephesinum, Oecum. III.
8. Ephesinum II. ληστρικόν.
9. Chalcedon. Oecum. IV.
10. Constant. Oecum. V.
11. Constant. Oecum. VI.
12. Nicenum II. Oecum. VII.

Post concilia placet hic numerare Pontifices Romanos eosque celebriores. Qui enim recensentur ante annum Christi 311. fuerunt sancti, Catholici & Apostolici Episcopi. Postea verò secuti sunt turbatores quos nimia ambitio vexavit.

1. Sylvester I, qui ab anno Christi 311 sedit annos 21. & fingitur à Constantino M. dono accepisse urbem Romam & totum Occidentis imperium.
2. Siricius, qui ab anno Christi 382 sedit annos 15, & ministris Ecclesiæ in Occidente interdixit conjugio.
3. Innocentius I, anno Christi 402, qui excommunicavit Arcadium, quòd Joh. Chrysostomum sede movisset.
4. Anastasius II, anno Christi 498, patronus Eutychianorum & Nestorianorum. Effudit in morte intestina ut Arius.
5. Johannes I, anno Christi 523, qui constituit ut Imperator subesset Pontifici.
6. Bonifacius II, anno 530, qui clerum sejunxit à Laïcis in Missæ actione.
7. Vigilius anno 537, qui Ecclesiam Romanam voluit haberi matrem & magistram aliarum omnium.
8. Gregorius M. anno 590. autor purgatorii, invocationis Sanctorum, & multorum abusuum. Restitit Johanni Episc. Constantinop. primatum affectanti.
9. Bonifacius III, anno Christi 607, qui à Phoca impetravit primatum, & apertè se Antichristum declaravit,

De tertia Classe Romanæ Monarchiæ, in qua Impp. Germani.

HUjus tertiæ classis initium ponitur ab imperio Caroli M. vel anno Christi 801, & deducitur tota series ad Carolum V usque, vel si quis plura appetat, usque ad hæc nostra tempora. Quum enim in Imperio varii essent motus, non solùm in tractu Orientali, sed etiam & quidem maximè in Occidentali, ubi Italia ab exteris populis, præcipuè verò Longobardis, miserè affligeretur, defensor tandem quæsitus est Carolus Pipini Regis Francici filius, qui multa egregiæ fortitudinis specimina ediderat. Hic à Germanis & quidem Francis originem duxit, quem deinde in Imperii ordine non nisi Germani sunt secuti. Ex hisce autem Germanis alii fuerunt Franci, alii Saxones, alii Suevi, alii denique Austriaci, ut in ordine videbimus. Quare in hac classe recitabimus 1. seriem Imperatorum Occidentalium, qui fuerunt Germani, & Orientalium, qui fuerunt Græci. 2. seriem exterorum regum. 3. seriem Ecclesiasticorum, ut Pontificum Romanorum, Ordinum, & Doctorum. 4. seriem Conciliorum. 5. Bellorum.

Imperatores hujus tertiæ classis Occidentales. Et quidem primò Francici.

1. Carolus Magnus.
2. Ludovicus Pius.
3. Lotharius.
4. Ludovicus II.
5. Carolus II, Calvus.
6. Ludovicus III, Balbus.
7. Carolus III, Crassus.
8. Arnolphus.
9. Ludovicus IV.
10. Conradus.

Deinde Saxonici:

1. Henricus Auceps.
2. Otho Magnus.
3. Otho II.
4. Otho III.
5. Henricus II, sanguine Saxo, patriâ Bavarus.

Postea facta est quasi alternatio quædam familiarum Francicæ & Saxonicæ. Nam post Henricum II recidit imperium ad Francos, quod Saxonibus movit invidiam. Fuerunt igitur hi:

1. Con-

1. Conradus II, Saliquus Francus.
2. Henricus III, Francus.
3. Henricus IV, Francus.
4. Henricus V, Francus.
5. Lotharius II, Saxo, qui æmulum habuit Conradum Suevum.

Suevici Imperatores fuerunt:

1. Conradus III.
2. Fridericus Barbarossa.
3. Henricus VI.
4. Philippus.
5. Ottho IV, qui fuit Saxo.
6. Fridericus II.
7. Conradus IV.

Post Conradum IV, horrenda secuta est confusio, ex qua ortum est interregnum 17 annorum usque ad Rodolphum Habsburgensem, qui fuit autor familiæ Austriacæ, in qua numerantur hi Impp.

1. Rodolphus Habsburgensis.
2. Adolphus Nassovius.
3. Albertus Austriacus.
4. Henricus VII.
5. Ludovicus V.
6. Carolus IV.
7. Wenceslaus.
8. Rupertus.
9. Sigismundus.
10. Albertus II.
11. Fredericus III.
12. Maximilianus I.
13. Carolus V.
14. Ferdinandus I.
15. Maximilianus II.
16. Rodolphus II.
17. Matthias.
18. Ferdinandus II.

Imperatores Orientales Græci fuerunt:

1. Nicephorus.
2. Michaël Curopolates.
3. Leo Armenius.
4. Michaël Balbus Amorrhæus.
5. Theophilus, fil.
6. Michaël, filius.
7. Basilius Macedo.
8. Leo Philosophus.
9. Alexander, Basilii Mac. f.
10. Constantinus, Leonis f.
11. Romanus junior.
12. Nicephorus Phocas.

13. Johan. Cimisces.
14. Basilius Porphyrogenitus.
15. Constantinus, frater.
16. Romanus Argyrus.
17. Michaël Paphlago.
18. Michaël Calaphates.
19. Constantinus Monomachus.
20. Michaël Stratioticus.
21. Isaacus Comnenus.
22. Constantinus Ducas.
23. Romanus Diogenes.
24. Michaël Parapinaceus.
25. Niceph. Botoniates.
26. Alexius Comnenus.
27. Colojohannes, filius.
28. Manuël Comnenus.
29. Alexius Comnenus.
30. Andronicus Comnenus.
31. Isaacius Angelus.
32. Alexius Angelus.
33. Alexius junior. Constantinopolis à Francis capta est anno Christi 1201, & regnarunt hi quinque qui sequuntur, deinde ad Græcos rediit imperium usque ad finem.
34. Balduinus Flandriæ Comes.
35. Henricus, frater.
36. Petrus Altissiodorensis.
37. Robertus, filius.
38. Balduinus II, puer.
39. Michaël Palæologus.
40. Andronicus Palæologus.
41. Andronicus junior.
42. Johan. Cantacuzenus.
43. Johan. Palæologus.
44. Emanuël Palæologus.
45. Constantinus Palæologus, sub quo Constantinopolis capta est anno Christi 1453.

Turcici regni initium incidit in annum Christi 1300. à quo tempore sequentes reges numerantur:

1. Ottomanus.
2. Orchanes.
3. Amurathes.
4. Bajazetes.

5. Soly-

5. Solymannus f.
6. Musa Celebis.
7. Mahometes.
8. Amurathes II.
9. Mahometes II, qui primus Imperator dictus est.
10. Bajasetes II.
11. Selymus I.
12. Solymannus II.
13. Selymus II.
14. Amurathes III.
15. Mahometes III.

Vide Peucer. in Chr. f. 1094. & Dress. mill. 6. fol. 546.

Tartarorum reges ab anno Christi 1205 a numerantur hi ex Peuceri Chronico fol. 1018. seqq.

a Vel ut alii 1200.

1. Chargius Can.
2. Hocotius Can.
3. Magius Can.
4. Cobelus.
5. Tanogadorus.
6. Argonus.
7. Regatus.
8. Battus.
9. Casanus Argoni F.
10. Carbagadus, ex Christiano factus Mahometanus, sub quo exspiravit Christianismus, & invaluit Mahometismus anno 1310, vel ultra. Sub hoc concidit regnum Tartarorum, crescente Turcorum potentiâ Ottomannorum virtute. Peucer. fol. 1025.

Vide etiam Dresserum Millen. 6. fol. 566. & Zwing. in theatro fol. 1337.

Scotici reges à Congallo, qui cœpit regnare anno Christi 807, usque ad Jacobum V inclusivè, numerantur 38. Cœpit autem Jacobus V regnare anno Christi 1514. Vide Zwing. theat. fol. 1353.

Anglici reges ab Edelwolfo, qui cœpit anno Christi 837, usque ad Elisabetham eximiam illam heroïnam quæ cœpit anno Christi 1558 inclusivè, numerantur 41, Zwinger. theat. fol. 1352. De Britannis & Scotis vide etiam Dress. millen. 6. fol. 661.

Hispanici reges à Raimiri, qui cœpit anno Christi 825, usque ad Philippum Caroli V Imp. filium inclusivè, numerantur reges 37. Zwing. theat. fol. 1350. Confer Dress. millen. 6. fol. 714.

Gallici reges à Carolo M. usque ad Carolum IX, qui cœpit anno Christi 1561, numerantur 38, Zwing. theat. fol. 1348. Dresserus orditur ab Hugone Capeto, qui ex Gallis primus fuit Francorum rex & cœpit anno Christi 997. Vide millen. 6. fol. 676.

Polonici reges à Mietzlao qui cœpit anno 963. usque

ad

ad Sigismundum, qui regnavit anno Christi 1507, numerantur reges 28. Zwing. fol. 1350. Confer etiam Dress. Millen. 6. fol. 609.

Ungarici reges à B. Stephano, qui regnavit anno Christi 997, usque ad Ferdinandum Austriacum qui regnavit anno Christi 1527, numerantur 34. Zwing. fol. 1350. Confer Dress. Millen. 6. fol. 573. &c.

Boëmici reges à Uladislao, qui regnavit anno Christi 1078, usque ad Ferdinandum Austriacum qui regnavit anno 1527, numerantur 18. Zwing. theat. fol. 1351.

Danici reges ab Olao, qui regnavit anno 810, usque ad Christianum qui regnavit anno Christi 1535, numerantur 42. Zwing. theat. fol. 1353. Confer Dress. de Danis & Suecis Millen. 6. fol 655.

Atque hæc de Impp. & regibus præcipuis qui in hac classe numerantur summâ brevitate.

Bella quæ gesta fuerunt varia sunt, partim intestina inter ipsos Imperatores, inter Imperatores & principes Imperii, inter ipsos principes; & hæc intestina bella maximam partem excitata fuerunt à Pontificibus Romanis, qui per imperii cladem suæ cathedræ potentiam stabilire & amplificare annitebantur: partim bella fuerunt externa, ut Saracenica, Turcica & similia. Nimis longum & intricatum foret si bellorum seriem hic enarrare vellem. Reservo igitur ipsi historico cursui.

Hæc igitur de politico statu.

Accedo nunc ad statum Ecclesiasticum, in quo considerantur Pontifices, Orthodoxi Doctores, & Concilia.

Pontifices Romani quamplurimi numerantur in hac classe, nempe à Leone III, qui sedit anno Christi 799, usque ad Sixtum V, qui obiit anno Christi 1520, numerantur inclusivè Papæ 154, ex quibus sceleratissimi fuerunt hi:

Johannes VIII, fœmina, anno 854.
Johannes XII, anno 956.
Sylvester II, anno 998.
Gregorius VII, anno 1073.
Paschalis III, anno 1099.
Alexander III, 1159.
Gregorius IX, 1227.
Bonifacius VIII, 1288.
Johannes XXII, 1316.

Alexan-

Alexander VI, 1492.
Julius II, 1503. &c.

Præcipui Doctores fuerunt qui Scholastici dicti sunt, ut, P. Lombardus dictus Magister sententiarum, Albertus M. Thomas Aquinâs, Johannes Duns Scotus, Wilhelmus Occam, & alii. Hi dum à lectione sacrorum Bibliorum longiùs recesserunt, & Aristotelis scripta scriptis Prophetarum & Apostolorum prætulerunt, sacrarum literarum studium aboleverunt, vel saltem ad Pontificum Romanorum deliria inflexerunt, unde lux Evangelii tandem extincta est, & in ejus locum Pontificum traditiones plusquam ineptæ & ridiculæ invectæ sunt, adeò ut in Scholis nihil nisi argutiæ metaphysicæ & dialecticæ fuerint auditæ, neglectis Prophetarum & Apostolorum scriptis. Extiterunt tamen nonnulli, qui vanis Scholasticorum concertationibus sese opposuerunt, illorumque quisquilias detexerunt, ut in cursu audiemus, graviùsque contra Pontificum impudentiam & avaritiam locuti sunt. *a*. Prodiit circa annum Christi 1400. Joannes Huss in Boëmia cum suo discipulo Hieronymo, item Petrus Dresdensis, & alii, qui sincero studio Papisticos errores maximè circa Missam impugnarunt. Elapso Seculo in Saxonia primùm contra Papales indulgentias, deinde contra reliquos errores acerrimè disputavit Martinus Lutherus cum suo παραστάτῃ Philippo Melanchthone, & eodem tempore in Helvetia Huldricus Zwinglius, quem mox in Gallia sequutus est Johannes Calvinus, & alii. Horum operâ Pontificis Romani potentia miris modis est repressa ac immutata, & per Dei gratiam Evangelicæ doctrinæ lux Ecclesiæ reddita.

Vide Dress. in Millen. 6. fol. 24. & fol. 166.

a Ut: Occam, Taulerus, Wiclefus, & alii.

Concilia præcipua fuerunt:

1. Nicenum II, seu Oecum. VII, à Constantini & hujus matre Irene indictum, in quo imagines sunt restitutæ, maximè imago S. Crucis, Dei & sanctorum reliquiæ in templis asservatæ.
2. Lateranense, institutum à Papa Nicolao II circa annum Christi 1059, in quo Berengarius Andegavensis Ecclesiæ minister ac diaconus damnatus est, & ad retractandum dogma suum contra oralem

lem manducationem corporis Christi coactus. Disputarunt contra Berengarium Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis parens Scholasticæ Theologiæ,& Guidmundus Episcopus Aversanus, ad quos Papæ autoritas accessit, cui Berengarius cessit metu perculsus, unde nihil præjudicatur veritati.

3. In concilio Lateranensi maximo anno Christi 1215 Papa Innocentius III confirmavit transsubstantiationem panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi.

4. Concilium Constantiense anno Christi 1414 celebratum est sub Imp. Sigismundo. Caussa fuit schisma ortum inter tres Papas, Johannem XXIII Romæ, Gregorium XII Arimini, & Benedictum XIII in Hispaniis, quorum quilibet Pontificem summum sese appellavit. Sed hisce ejectis electus est Martinus V, & decretum ut non habitâ ratione institutionis Christi in S. cœna altera species, videlicet vinum, Laïcis detraheretur, propter consuetudinem ad evitanda scandala rationabiliter introductum. Ad ignis supplicium etiam damnatus est Johannes Huss, idque contra fidem ab Imp. Sigismundo datam de salvo conductu. Persuaserant enim Imperatori Pontificii, hæreticis non esse servandam fidem.

5. Concilium Basiliense habitum est anno Christi 1431, sub Papa Eugenio IV. Disputatum fuit de autoritate Pontificis Romani, an superior sit autoritate conciliorum, an verò inferior. Pro Papæ autoritate vehementer pugnavit Cardinalis Nicolaus Cusanus vir egregiè doctus, sed contraria pars obtinuit, & decretum est Papam esse infra concilium.

6. Concilium Tridentinum primò institutum est anno Christi 1545, mense Decembri. Quomodo processerit & ad finem perductum sit, prolixè narrat Joh. Sleidanus in suo commentario, unde simul facile judicari potest quid de Concilio illo sit statuendum.

Exorti etiam sunt in Papatu sacri quidam Ordines Monachorum, ex quibus principes fuerunt Dominicus & Fran-

& Franciscus; ille autor Ordinis Prædicatorum prodiit anno Christi 1206. hic princeps Ordinis Minorum anno Christi 1209. Hinc nati sunt Dominicani & Franciscani, qui ex ambitione mutuis odiis & conviciis sese prosequuti sunt. Habuerunt suos sectatores, Dominicus Thomam Aquinatem; Franciscus Iohannem Scotum: unde Thomistæ & Scotistæ sacrarum literarum & sanæ Philosophiæ pessimi corruptores. Sequuti mox sunt alii Ordines, ut Carthusiensium, Præmonstratensium, Virginum S. Claræ quas Clarissas nominant, Flagellatorum, Capucinorum, aliorumque quamplurium. Inventus est tandem novus ordo, qui à Monachorum colluvie vult esse sejunctus, nempè ordo Jesuitarum, qui superioribus annis primùm prodiit circa annum Christi 1540, cujus autor fuit miles quidam nobilis Hispanus Ignatius Lojola, qui quum in oppugnatione arcis Pompejopolitanæ in utroque crure læsus jam ampliùs ad rem militarem ineptus esset factus, ad sanctiorem vitam animum adjecit, & per Italiam diu multumque vagatus peculiarem tandem ordinem adinvenit, quem à Societate Jesu nominavit, eumque eò usque deducit ut à Pontifice Paulo III confirmaretur. Brevi autem temporis spacio Jesuitarum progenies adeò excrevit & amplificata est, ut fermè per omnes mundi angulos diffusa sit. Atque hæc pro adumbratione tertiæ classis quartæ Monarchiæ sufficiant.

Clarissæ virgines.

Monarchia Assyriorum.

MOnarchia est summum imperium quod dignitate & potentiâ cæteris præstat. Et qui præest dicitur Monarcha, non respectu totius terrarum orbis, sic enim solus Deus Monarcha est, sed respectu τῆς ἐξουσίας τῆς ὑπερεχούσης. Recensentur autem in historiis quatuor Monarchiæ, Assyriorum, Persarum, Græcorum & Romanorum. Prima dicitur Assyriorum, quia plurimi ejus Monarchæ seu reges sedem suam regiam habuerunt in urbe Ninive, quæ in Assyria sita est. Dicitur etiam Babyloniorum, quia primum ejus initium & ultimus finis fuit Babylone. & quia Babylon est urbs Chaldææ, etiam Chaldæorum dicta est. Cæterùm Assyrii nomen traxerunt ab Assur filio Sem, Genes. 10. vers. 22. & tota regio hinc dicta est Assyria, quæ Judææ sita est ad plagam

Orientalem & Septentrionalem, Nordooſt. Verſus ortum finitima eſt Mediæ, verſus occaſum Meſopotamiæ, verſus Septentrionem Armeniæ, verſus meridiem Suſianæ. Hodie Aſſyria eſt Provincia Perſiæ. Babylonia comprehenditur inter Meſopotamiam & Perſicum ſinum, & ab Herodoto pars Aſſyriæ ſtatuitur, nomenque traxit à metropoli Babylone, quam mediam Euphrates perluit. Aſſyriæ proxima eſt Chaldæa, in qua ſita erat Ur, ex qua Abrahamus juſſu Dei profectus eſt in Meſopotamiam, Gen. 12. Duratio hujus Monarchiæ fuit annorum 1647, nimirum ab anno M.1788, quo cœpit regnare Nimrod, uſque ad annum 3435, quo Balthaſar victus fuit à Dario & Cyro Perſa. Dividitur Monarchia hæc in duas claſſes, quarum prima ultimum regem habuit Sardanapalum, eique tribuuntur anni 1360; altera, quæ diſtracta fuit inter Medos & Babylonios, ita tamen ut penes Medos fuerit ſuperior dignitas, duravit annos 287, nempe uſque ad initium Perſicæ Monarchiæ. Synchroniſmi ſunt Judæorum, Ægyptiorum, Græcorum & Romanorum.

NIMROD.

Primæ Monarchiæ primus autor fuit Nimrod filius Cuſſ, nepos Chami, pronepos Noachi. Ejus Moſes meminit, Gen. 10. verſ. 8, 9, 10. & quidem plurimis circumſtantiis, ut ejus dominatum exprimat, & ſic primam originem politici imperii indigitet. Initium regni refertur ad annum M.1788; finis verò ad annum 1144 vel circiter. Regnavit igitur annos 56. Eſtque veriſimile ipſum magnam exercuiſſe tyrannidem, ut crudelitate ac terrore regnum mirificè amplificaverit. Græci hunc Nimrodum falſò crediderunt eſſe Zoroaſtrem. Regnavit primò in Chaldæa & Meſopotamia, regnique ſui principium fuit Babel, unde Michæ cap. 5. verſ. 6. Babylonia dicitur terra Nimrod, & συνεκδοχικῶς tota gentium progenies. Poſtea verò proceſſit in Aſſyriam, ubi ædificavit Niniven, Gen. 10. verſ. 10, 11. Sunt qui putant Nimrodum poſtea Belum fuiſſe appellatum. A nonnullis vocatur Saturnus, quod nomen ab aliis tribuitur Belo.

Synchroniſmus:

1. Serug proavus Abrahami naſcitur ſub Nimrodo, Gen.

Gen. 11. v. 20. Sciendum eſt autem regnum Nimrodi cœpiſſe à diluvio anno 131. Serug autem natus eſt anno regni Nimrodi 32. Ergò nativitas Serug incidit in regnum Nimrodi.

2. Ninive metropolis Aſſyriæ condita eſt à Nimrodo, non ab Aſſur, ut quidam perperam tradunt. Moſes enim, Geneſ. 10. verſ. 11. non de Aſſur ſed de Nimrod narrat quod è terra Sinear, hoc eſt, ex Babylonia exiverit in Aſſyriam, ibique Niniven condiderit, ut oſtendit verſio Fr. Junii.

3. In Germania tempore Nimrodi regnatum fuiſſe extra dubium eſt. Nam Tuiſco primus Germanorum genitor ſcribitur fuiſſe pronepos Noæ, filius Gomeri, ut Melanchthon tradit in Chronico; Et Beroſus Chaldæus Tuiſconem anno 25 Nimrodi ait Sarmatas maximos populos fundaſſe.

BELUS.

Hic Belus filius Nimrodi dictus & Jupiter ab iis qui Nimrodum Saturnum vocarunt, unde patet fabularum poëticarum origo. Nomen Beli videtur idem eſſe quod Baal, id eſt, dominus. Cœpit regnare anno M. 1843, regnavit annos 65. Hujus ſtatuam ſcribunt primam fuiſſe originem cultus idolorum & imaginum. Traditur verſus occidentem amplificaſſe regnum uſque in Sarmatiam Europæam, videlicet ex Aſia longiùs progreſſus eſt in Europam ad Sarmatas uſque. Sarmatia autem eſt Polonia cum vicinis regionibus, ut ſunt, Bulgaria, Walachia, Thracia, &c.

Synchroniſmus;

1. Nahor avus Abrahami naſcitur anno regni Beli 73 poſtea Tarah pater Abrahami anno regni 36, Geneſ. 11. v. 23, 24.

2. In annum regni 37 incidit initium regni Græcorum, & quidem Sicyoniorum, qui ſic dicuntur à rege Sicyone, qui in ordine fuit 19, quum antea dicerentur Ægialéi à primo rege Ægialéo, à quo dicta eſt Ægialéa, quæ nunc vocatur Peloponneſus. Zwingerius in theatro.

3. Cretenses Minotauro filios devictorum Atheniensium devorandos obtulerunt.

NINUS.

Belo successit Ninus tertius Assyriorum rex, qui ab aliis primus Monarcha Assyriorum scribitur, scilicet quia primus inhabitavit Niniven, quam magnificentissimè exornavit, unde ab ejus nomine urbs illa Nina & Ninive est appellata. Transtulit Monarchiam è familia Chami ad familiam Semi. Fuit enim de stirpe Assur, qui fuit filius Sem. Cœpit regnare anno M. 1908, & regnavit annos 52 regnumque mirificè amplificavit.

Synchronismus.

Abrahamus nascitur anno regni 41, qui est annus M. 1949, Gen. 11. Et decennio pòst nascitur Sarah uxor Abrahami. Fuit enim decennio minor Abrahamo, Gen. 17. vers. 17. Hîc verò obiter notandum ex loco Gen. 11. vers. 26. ubi Tarah annos 70 natus dicitur generâsse Abrahamum, Nahor, & Haran, non esse statuendum Abrahamum natum esse patre præcisè septuagenario, sed quòd unus ex istis eo anno natus sit. Nam Tarah mortuus est Charris anno ætatis 205, Gen. 11. vers. 32. & Abraham quum Charris discederet in terram Canaan fuit annorum 75, Gen. 12. vers. 4. Sequitur ergò ex subtractione 75 à 205, Abrahamum natum esse quum Tarah esset annorum 130. Ex hac supputatione sequetur Abrahamum natum esse anno M. 2008.

SEMIRAMIS.

Uxor fuit Nini, & marito per fraudem in regno successit. Petiverat enim à marito regnandi potestatem ad dies quinque, quâ impetratâ Ninum in carcerem conjecit & à satellitibus trucidari jussit. Cœpit regnare anno M. 1960, & regnavit annos 42. Mira de hac femina in historiis narrantur, & penè fide majora. 1. Urbis Babylonis eximia amplificatio. 2. Singularis in bellicis rebus fortitudo & felicitas, quâ imperio suo adjecit Æthiopiam & Indiam. 3. Nimia in veneream turpitudinem pro-

projectio. 4. Sepulchri dolosa inscriptio, quâ Darius Persarum rex argutè fuit deceptus. Inscripserat sepulchro hæc verba: Quicunque rex pecuniâ eget, ex hoc sepulchro capiat quantum lubet. Darius visâ hâc inscriptione aperuit loculum, sed pro pecunia invenit hæc verba: Nisi vir malus & avarus esses, mortuorum loculos non moveres.

Synchronismus.

1. Zoroastres Bactrianorum rex hac ætate vixit, incantator insignis & magicæ artis inventor. Fertur jam primùm in lucem natus risisse. Fuerunt autem Bactriani Scythiæ populi. Zoroastres ut ἀποθέωσιν sibi conciliaret, quum ex astris scintillulas eliceret, & suum cacodæmonem nimiùm frequentaret, tandem à spiritu suo igni succensus & crematus est. Ita dicunt.
2. Urbs Treviris ad Mosellam sita, in qua sedem habet Archiepiscopus Elector, tempore Semiramidis scribitur condita à quodam Trebeta, unde & nomen accepit. quæ communis est historicorum sententia. Quis autem ille Trebeta fuerit, diversum sentiunt scriptores. Æneas Sylvius & hunc sequutus Sebast. Munsterus volunt fuisse privignum Semiramidis, qui à noverca regno exclusus per varios itinerum errores in Rhenum & hinc in Mosellam devenerit, ibique urbem condere cœperit. Aventinus hunc Trebetam dicit fuisse filium Manni secundi Germanorum regis, Tuisconis nepotem, qui sexto anno Semiramidis regnavit apud Rheni Sarmatas, ut refert Berosus lib. 5. Apparet hinc Germanorum gentem esse antiquissimam.

NINIAS, aliàs ZAMEIS.

Hic Ninias quintus rex Assyriorum filius fuit Semiramidis & Nini, alio nomine Zameis dictus, homo ignavus, de quo Athenæus: ἄριστος ἐσθίειν καὶ πίνειν, τὰ δὲ ἄλλα κατὰ πατρῶν ἀθλ. Cœpit regnare anno M. 2002, & regnavit annos 37. Nihil memorabile de hoc homine extat.

Synchronismus.

1. Noah moritur anno regni 6, qui est annus M. 2007,

2007, quum Abraham jam esset natus annos 58. Tandiu Noah vidit Abrahamum.

2. Abraham à Deo vocatur ex Ur Chaldæorum quum esset annorum 70, videlicet anno Mundi 2020, anno post mortem Noæ 12. Vocatio hæc describitur Gen. 11. vers. 31. & 12. vers. 1. & seqq. ubi legitur primò substitisse Charris seu in Haran, quæ est metropolis Mesopotamiæ, deinde elapso quinquennio migrasse ex Haran in terram Canaan, anno ætatis 75, Genes. 12. vers. 4. Porrò Mesopotamia Græcis sic dicta est à situ inter duos fluvios Tigrin & Euphratem, & à Mose Gen. 28. vers. 3. dicitur Syria, quia est pars Syriæ, ubi Haran Padan vocatur. Hic igitur rerum Judaïcarum initium est, & contigerunt sub hoc Ninia quæ leguntur Gen. 12. usque ad cap. 16. inclusivè.

3. Abraham ob Saræ uxoris sterilitatem consentiente Sarâ alteram ducit uxorem vel potiùs pellicem Agar ancillam, anno ætatis 85, quum jam decennium vixisset in Palæstina, Gen. 16. vers. 3. Erant enim in ea opinione, quia Sara sterilis erat, promissum semen ex Abrahamo quidem proditurum, sed non ex Sara. Natus hinc est Ismaël, Gen. 16. vers. 11. 15.

4. Ægypti rex fuit Pharao Nechia, qui ex errore rapiebat Saram Abrahami uxorem, quod crederet esse hujus sororem, Gen. 12. vers. 15. Ab aliis vocatur Osiris. Hîc verò obiter observetur, Ægyptiorum regnum ferè cum Assyriaco cœpisse, & in eo quamplurimos reges numerari, qui tempore primæ Monarchiæ vixerunt, & quidem celebriores 37. Est & hoc sciendum, nomen Pharaonis non fuisse proprium sed regium, ut hodie in Romano imperio Cæsares dicuntur.

ARIUS.

Niniæ successit Arius sextus rex Assyriorum, de quo nihil memorabile legitur, nisi quod Bactrianos Scythiæ populos suæ ditionis fecit. Cœpit regnare anno M. 2039. regnavitque annos 30.

Synchronismus:

1. Circumcisio instituitur Gen. 17. quo eodem anno, qui est M. 2048, facta est conflagratio Sodomæ & Gomorrhæ, Gen. 19.

2. Isaacus


2. Isaacus nascitur anno ætatis Abrahami 100, qui est annus M. 2049. Hic est filius promissionis, Genes. 21. vers. 2.

ARALIUS.

Ario successit Aralius septimus rex Assyriorum, clarus quidem ingenio & studio militari, sed mulierosus. Cœpit regnare anno M. 2069, & regnavit annos 40. Creditur esse ille Amraphel de quo Gen. 14. vers. 1. ubi dicitur rex Sinear. Nam consentaneum est reges Assyriæ cæteros reges habuisse sibi tributarios & Cedor Lahomero subjecisse, quorum defectio à Cedor Lahomero caussam hujus belli præbuit.

Synchronismus:

1. Abraham jubetur mactare filium Isaac, Genes. 22. vers. 2.
2. Sara Abrahami uxor moritur anno ætatis 127, Gen. 23. vers. 1. Fuit annus regni Aralii 17.
3. Abraham servum suum Eleazarem mittit in Mesopotamiam ad Bethuelem filium Nahor, ad petendum Isaaco uxorem Rebeccam filiam Bethuelis, unde nuptiæ Isaaci & Rebeccæ, Gen. 24. Quum enim Abraham migraret ex Mesopotamia in terram Canaan, mansit Nahor frater cum sua familia in Haran urbe Mesopotamiæ. Tabella:



BALEUS.

Baleus fuit octavus rex Assyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2109, & regnavit annos 30.

Synchronismus.

1. Isaaco ex Rebecca nascuntur Esau & Jacob gemini anno ætatis Isaaci 60, Gen. 25. vers. 24. anno M. 2109, Et Isaaco in Gerar habitanti promittitur Christus, Genes. 26. vers. 4.
2. Regnum Argivorum in Græcia inchoatum est ab Inacho anno M. 2109, qui est annus regni Sicyoniorum 229.

ARMATRITES.

Nonus rex Assyriorum, de quo nihil memoratur nisi quod voluptarius & ignavus fuit. Cœpit regnare anno M. 2139, regnavitque annos 37.

Synchronismus.

1. Esau ducit duas uxores gentiles natus annos 40, Genes. 26. vers. 34. quod factum est anno Isaaci patris 100.
2. Sem filius Noæ moritur anno ætatis 600, Genes. 11. vers. 10, 11. anno à morte Noæ patris 152. Vixit igitur Sem post mortem Abrahæ annos 35. & mortuus est quum Isaac esset annorum 110, Jacob verò annorum 50.
3. In hæc tempora incidit Ogyges Thebanorum & totius Bœotiæ rex. Scribitur in Bœotia circiter 1500 annos ante Romam conditam Thebas extruxisse. Et Varro de re rustica lib. 3 in prologo: Est, inquit, oppidum vetustissimum Bœotiæ Thebæ, quod rex Ogyges ædificavit peractis jam annis 2100. Hujus Ogygis tempore accidit maxima illa aquarum inundatio quâ tota Græcia ita vastata dicitur, ut intra 200 annos inculta & inhabitata fuerit.

BELOCHUS.

Decimus rex Assyriorum, dictus Belochus priscus ad diffe-

differentiam junioris, qui fuit in ordine vicesimus. Cœpit regnare anno M. 2176, & regnavit annos 36.

Synchronismus.

1. Nuptiæ Jacobi cum Lea & Rahel filiabus Labanis, qui fuit avunculus Jacobi, Genes. 29. Fuit Jacob annorum 80.

2. Josephus filius Jacobi ex Rahel nascitur, Genes. 30. vers. 23, anno M. 2260, qui est annus regni Belochi 24, ætatis Jacobi 91. Vixit autem Josephus annos 110, Genes. 50. vers. ultim. Jacobus verò pater vixit annos 147. Nam quum Jacob staret coram Pharaone fuit annorum 130, Genes. 47. vers. 9. & deinde mansit in Ægypto, ubi mortuus est, annos 17, quia anni ætatis Jacobi fuerunt 147, Gen. 47. vers. 28.

3. Ex lucta quâ Jacob victor evasit à Deo mutatum est nomen ut diceretur Israël, Gen. 32. vers. 28. Accidit hoc anno ætatis 97, quum Josephus esset annorum 6.

BALEVS junior.

Undecimus rex Assyriorum bello clarissimus. Cœpit regnare anno M. 2212. & regnavit annos 52.

Synchronismus.

1. Josephus venditur in Ægyptum à fratribus anno ætatis 17, Gen. 37. vers. 2, 27. Vixit igitur Joseph in Ægypto annos 93, quia mortuus est anno ætatis 110.

2. Isaac pater Jacobi, avus Josephi moritur anno ætatis 180, Gen. 35. vers. 28. anno M. 2229. quum Jacob filius post diuturnam peregrinationem in Mesopotamia ipsum revisisset, & cum ipso deinde annos 23 vel circiter conversatus esset. Rediit enim Jacob in terram Canaan quum esset annorum 96, quum verò esset annorum 120 mortuus est Isaacus pater.

3. Jacob descendit in Ægyptum anno ætatis 130, Genes. 47. vers. 9. qui est annus M. 2239, annus Iosephi 39. Quumque in Ægypto vixisset annos 17, ibi moritur, Genes. 47. vers. 28. Porrò descensus hic Jacobi in Ægyptum accidit anno 215 à vocatione Abrahæ ex Chaldæa, & postea elapsis annis 215 accidit exitus Israëlis ex Ægypto. Hi sunt anni 430 servitutis Ægyptiæ, de qua Moses

Exodi 12. verſ. 40. & Paulus Galat. 3. v. 17. cum quo confer Gen. 15. v. 13. & Act. 7. verſ. 6.

ALTADAS.

Fuit rex XII, homo ignavus & inglorius. Cœpit regnare anno M. 2264, & regnavit annos 32.

MAMITUS.

Fuit rex Aſſyriorum XIII, vir bellicoſus. Cœpit regnare anno M. 2296, & regnavit annos 30.

Synchroniſmus:

1. Joſeph in Ægypto moritur anno ætatis 110, anno M. 2310, anno poſt obitum patris Jacobi 54, quum jam Æpypto præfuiſſet annos 80.

2. Finitur Geneſis, id eſt, primus liber Moſis, qui comprehendit annos 2310, juxta eos verò qui annum natalem Abrahami ponunt in anno Taræ 130, comprehendit annos 2368. Hoc verò hic velim notari, conſenſum eſſe in Chronologia à condito mundo uſque ad annum natalem Abrahami. Hic enim (quod ſupra breviter attigimus) ab aliis tribuitur anno Taræ 70, quia dicitur Gen. 11. verſ. 26. Tarah poſtquam vixiſſet annos 70 genuiſſe Abram, Nahor & Haran. Sed obſervare debuiſſent, Moſen non dicere quòd anno 70 genuerit Abrahamum, & ſimul conſiderare quòd Tarah dicitur mortuus in Haran anno ætatis 205, Gen. 11. verſ. ultim. quo tempore Abraham fuit annorum 75, ut liquet ex Gen. 12. verſ. 4. Subducantur igitur 75 à 205, quod reliquum eſt indicat annos Taræ quum naſceretur Abraham, videlicet 130. Quare qui in Chronologia annum natalem Abrahami referunt ad annum Taræ 70, negligunt 60 annos, quos in ſua Chronologia addunt recentiores.

MANCALEUS.

Fuit hic rex XIV Aſſyriorum, de quo nihil memorabile relictum eſt. Cœpit regnare anno M. 2326, & regnavit annos 30.

1. EXODUS, hoc est, secundus liber Mosis sumit initium ab anno M. 2311, vel ut recentiores volunt 2366 vel circiter.

2. A morte Josephi ad nativitatem Mosis interfluxerunt anni 63. Natus autem est Moses anno M. 2373. Interea temporis Israëlitæ in Ægypto graviter fuerunt afflicti sub Pharaone tertio, Exodi cap. 1. Hic verò obiter notabis in S. Scriptura sex recenseri Pharaones. Primus est qui Saram Abrahami uxorem rapiebat, Gen. 12. v. 15. Secundus est, sub quo vixit Josephus. Tertius, qui afflixit Israëlitas & in mari rubro submersus periit, Exod. 1. & 14. Quartus, cujus filiam duxit Salomon, 1 Reg. 11. v. 1. Quintus, Pharao Necho, 2 Reg. 23. v. 29. Sextus, qui temporibus Zedekiæ voluit solvere obsidionem Hierosolymitanam, Jerem. 37. vers. 5. Hi quidem Pharaones sunt quorum S. Scriptura meminit. Profani scriptores longè plures recensent, adeò ut nullam ferè temporis distinctionem addant, quod magnam obscuritatem peperit, ut nihil certi de serie regum Ægyptiorum habere possimus. Apud Herodotum de regibus Ægypti multa incertæ fidei narrantur. Ut autem reges Ægyptii primò Pharaones fuerunt dicti, ita post obitum Alexandri M. Ptolomæi vocitabantur, quemadmodum reges Palæstinæ Abimelech, Parthorum Arsacidæ, & hodie in Imperio Rom. Cæsares. Pharao, sub quo Josephus florebat, proprio nomine dictus est Amasis. Post hunc alius prodiit qui Josephum non novit, Exod. 1. vers. 8, & metuens Israëlitarum incrementum consilium de masculis Hebræorum occidendis iniit, diciturque Amenophis II, seu Amenoptes, cujus regno tribuuntur anni 31. Hinc alii obscuriores numerantur usque ad Chencren, qui in mari rubro submersus est.

SPHÆRUS.

Assyriorum rex xv, qui cœpit regnare anno M. 2356, & regnavit annos 20. Celebratur ejus virtus & prudentia.

Synchronismus:

1. Aharon nascitur anno M. 2370. Nam in exitu ex Ægypto est annorum 83. Exitus autem ille incidit in annum M. 2454.

2. Mo-

2. Moses frater Aharonis nascitur anno M. 2373. Ejus nativitas describitur Exodi 2. Fuit septimus ab Abrahamo, ut docet hæc genealogia:

Abraham.
|
Isaac.
|
Jacob ex Lea genuit
|
Levi.
|
Kahat. Jochebed.
|
Amram. — Jochebed.
|
Aharon. Moses.

Levi filium genuit Kahat & filiam Jochebed, quam in uxorem ducit Amram, nempè patris sororem. Vide Exod. 6. vers. 20. Num. 26. vers. 58, 59. Tale autem conjugium Deus deinde prohibuit, Levit. 18. vers. 12.

MAMELUS.


Assyriorum rex XVI, qui cœpit regnare anno M. 2376, & regnavit annos 30.

Synchronismus.

Circa hæc tempora creditur vixisse sanctus ille Jobus, cujus liber extat. D. Augustinus existimat Jobum natum ex posteris Esavi, & esse illum Jobab de quo Gen. 36. vers. 33. Et sanè est convenientia quædam inter cognatos Jobi qui consolandi gratiâ venerant & inter cognatos Jobabi. Illic numerantur Eliphas Themanites, Bildad Suchonites, & Zophar Nahamanites, Job 2. v. 11.

De

De Jobabo dicitur quod regnaverit in Edom, Geneſ. 36. verſ. 33. Ex poſteris porrò Eſavi patris Edomæorum narratur Theman filius Eliphas, nepos Eſavi, Gen. 36. v. 11. Hujus Themanis filium fuiſſe illum Elipham Jobi cognatum admodum veriſimile eſt, quia Themanites dicitur. Accedit quòd Jobab dicitur fuiſſe è Bozra, Gen. 36. verſ. 33. quæ eſt metropolis Idumææ, & terram Utz partem Idumææ eſſe apparet ex lament. Jeremiæ, cap. 4. verſ. 21. Jobab rex dicitur, Gen. 36. verſ. 31 & 33. & Job regem fuiſſe apparet ex ejus libro cap. 29. verſ. 7 & ſeqq. Auguſtinus Jobum tertiâ generatione poſteriorem Iſraële ſeu Jacobo facit, quod Jobabo convenit hâc tabellâ:



Ortum ſuum Jobus etiam ex Iſmaële ducit, quia Eſavi uxor fuit Baſemath filia Iſmaëlis, ex qua ſuſcepit Rehuel, Gen. 36. verſ. 4. & ex priore uxore Ada Eſau ſuſcepit Elipham, qui deinde filium genuit Theman à quo condita eſt urbs Theman in qua Eliphas cum ſuo filio habitavit, unde Themanites eſt dictus, Job 2. verſ. 11. Hic Eliphas pellicem habuit Timna ex qua ſuſcepit Amalec, unde Amalekitæ, Gen. 36. verſ. 12. Vide Henricum Buntingium fol. 204.

SPA-

SPARETUS.

Rex XVII Assyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2406, regnavitque annos 40.

1. Moses propter Ægyptium à se occisum profugit in Midian, Exodi 2. vers. 11. Est autem Midian urbs sita ad mare rubrum in Arabia Petræa, distans 40 milliaribus ab Hierosolymis versus meridiem. Hinc Midianitæ, qui nomen traxerunt à Midian filio Abrahami ex Ketura. Legimus enim Abrahamo ex Ketura natos esse sex filios: Simram, Jocksan, Medan, Midian, Jisback & Suah, qui unà cum suis posteris possederunt partim Arabiam, partim Syriæ partem Arabiæ vicinam. Vide Gen 25.v.2.

2. In Græcia inchoatur regnum Atheniensium anno M. 2412. Primus rex fuit Cecrops, à quo Athenienses Cecropidæ dicti sunt. Numerantur autem ad ultimum regem Codrum reges 17. Post reges fuerunt ἄρχοντες, id est, principes, primò perpetui, deinde annui. Sic ergò, quod obiter annoto, in Græcia tria sunt regna, Sicyoniorum, Argivorum & Atheniensium.

3. Diluvium Deucalionis refertur ad annum M. 2440. Hujus historia ferè antiquissima est apud Græcos, unde & Ovidius lib. 1. Metam. eam poëticè enarrat, sed non sine confusione cum diluvio Noachi. Fuit autem Deucalion Thessaliæ rex, filius Promethei, cujus uxor Pyrrha filia fuit Epimethei. Hinc fabulæ poëticæ natæ sunt. Porrò hæc inundatio totam Thessaliam demersit, ut pauci qui ad summorum montium culmina profugerant servati fuerint, ex quibus fuit rex Deucalion. Est autem Thessalia regio Græciæ, quæ olim sub Attica comprehendebatur, & ex una parte Bœotiam ex altera Macedoniam attingit. Distat diluvium hoc à diluvio illo universali Noachi annis 784.

ASCATADES.

Rex XVIII Assyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2446, & regnavit annos 40. Dicitur etiam Ascades. Berosus Chaldæus, qui scripsit quinque libros antiquitatum, suam historiam pertexuit usque ad hunc Ascatadem, nempè circa tempora Josuæ. Jungendus igitur est Ma-

Manetho Ægyptius, qui in historia Assyriorum pervenit usque ad Eupalem regem XXXII, qui Salomoni fuit σύγχρον☉. Postea Metasthenes Persa seriem contexit, & bipartitæ post Sardanapalum Monarchiæ reges usque ad Cyrum & hinc Persicos reges usque ad Alexandri M. mortem recenset. Vixit Berosus tempore Alexandri M. ut meminit David Chytræus in libro de ratione legendi historias, ubi ejus opera non temerè rejicienda esse sentit, quicquid contrà Ludovicus Vives & beatus Rhenanus statuant. Citatur à Josepho lib. 1 Antiquit. Judaïcarum cap. 4. ubi inter barbaricæ historiæ scriptores numeratur; Et Manethonis meminit idem Josephus lib. 1 contra Apionem pag. 825, & 835.

Synchronismus:

1. Exitus Israëlis ex Ægypto duce Mose fideli Dei servo, qui ad hoc munus à Deo vocabatur anno ætatis 80, Exod. 7. vers. 7. qui est annus M. 2453. Sequenti verò anno, Pharaone invito, sed potenti Dei brachio, Israëlitas ex Ægypto eduxit, videlicet anno M. 2454 (secundum recentiores 2508) quum ante annos 430 Abrahamo prima promissio facta esset de terra Canaan possidenda. Etenim ab anno vocationis Abrahæ ex Ur Chaldæorum sumendum est initium annorum 430, de quibus Moses in Exod. cap. 12. vers. 40, & Paulus ad Galat. 3. vers. 17. meminerunt, idque evincit sequens epilogismus:

A promissione seu vocatione Abrahami ad natalem Isaaci sunt anni	30.
A natali Isaaci ad natalem Jacobi, Gen. 25. v. 23. sunt anni	60.
A natali Jacobi ad descensum in Ægyptum, Genes. 47. vers. 9. anni	130.
A descensu Jacobi in Ægyptum ad exitum duce Mose, anni	210.
Summa	430.

Quod si calculum simpliciter subducas à natali Isaaci ad exitum ex Ægypto, exhibebuntur tibi anni 400, quos Deus Abrahamo prædixerat, Gen. 15. vers. 13. Sunt qui à descensu Jacobi ad eductionem ex Ægypto numerant annos 215.

2. De-

2. Decalogus in duabus lapideis tabulis digito Dei ſcriptus promulgatur die 50 ab exitu, ſeu, ut Moſes loquitur, in tertio novilunio. Vide Exodi 19 & 20, ubi deinde leges forenſes quoque ſanciuntur, capp. 21. 22. 23. 24.

3. Tabernaculum arcæ federis in deſerto erigitur, & dedicatur anno 2 ab exitu, Exod. 40. verſ. 17. Exſtruitur tabernaculum Exod. 25. 26. & porrò de ritibus ſacrificiorum agitur capp. 27. 28. 29. 30. Vitulus ex auro ad idololatriam urgente populo ab Aarone funditur; unde ſumma Moſis indignatio & ira Dei capp. 32. 33. Poſt confractas à Moſe tabulas fedus renovatur cap. 34. Vaſa tabernaculi & ejus erectio ac dedicatio porrò deſcribitur uſque ad finem Exodi.

4. Leviticus, hoc eſt, liber tertius Moſis incipit die 1 Menſis 1. ſcilicet, poſteaquam erectum ac dedicatum fuit tabernaculum. & finitur in initio menſis 2 ejuſdem anni. Continet igitur hic liber hiſtoriam unius menſis.

5. Numerorum, hoc eſt, libri quarti Moſis hiſtoria κατὰ πόδα ſequitur Leviticum. Incipit enim primo die menſis ſecundi, qui fuit anni ſecundi ab exitu, Num. 1. verſ. 1. Excurrit autem hiſtoria Numerorum uſque ad menſem 11 anno 40 ab exitu. Totos enim 40 annos Iſraëlitæ fuerunt in deſerto, Pſalmo 95. verſ. 10.

AMYNTA.

Rex XIX Aſſyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2486, & regnavit annos 45.

Synchroniſmus.

1. Initium & finis Deuteronomii. Nam quæ à cap. 7 Exodi per Leviticum uſque ad finem capitis 14 Numerorum leguntur, acciderunt intra biennium ab exitu ex Ægypto; quæ porrò leguntur à cap. 15 uſque ad finem capitis 19, per ſequentes 37 annos in deſerto geſta ſunt. Cætera quæ ſequuntur à cap. 20 Num. uſque ad finem Deutéronomii, contigerunt in deſerto anno ab exitu 40, qui eſt ultimus in deſerto, nempe annus M. 2493, vel juxta recentiores 2548.

2. Moſes & Aharon moriuntur eodem anno, & quidem Moſes anno ætatis 120, Aharon verò anno ætatis 123, Deut. 34. verſ. 7. & Num. 33. verſ. 38. Et hic finitur Pentateuchus.

3. LIBER JOSUÆ incipit anno M. 2494, & continet historiam 18 annorum. Recenset varia beneficia quæ Deus in populum Israëliticum contulit à morte Mosis usque ad mortem Josuæ, videlicet usque ad ingressum populi in terram Canaan per siccum Jordanis alveum; & primo septennio devictis regibus terræ occupationem, Cananæorum ejectionem, ac denique terræ in 12 tribus Israëlis partitionem per Josuam factam. Esse hanc historiam 18 annorum hinc patet: Quum Josua nasceretur fuit Moses 28 annorum. Mortuus est autem Moses anno ætatis 120, Josua verò anno ætatis 110. Josuæ cap. 24. vers. 29. Subducantur anni 28 ab annis 120, relinquuntur 92, qui fuerunt anni ætatis Josuæ quum Moses moreretur; ab anno autem 92 usque ad annum 110 est distantia annorum 18, quibus Josua præfuit populo. Ut autem Moses primus dux populi Israëlitici fuit ex tribu Levi, ita Josua secundus dux fuit ex tribu Ephraïm, 1 Chron. 7. v. 27. Mortuus est anno M. 2512.

4. Liber Judicum incipit anno M. 2512, & continet historiam à morte Josuæ ad Sacerdotem Eli annorum 299. Recensetur series judicum ab Othniel, qui fuit secundus à Josua, usque ad Simsonis mortem duodecim.

5. Othniel judicat Israëlem. Ejus initium ponitur in anno M. 2512, & tribuuntur ei anni 40, Judicum 3. v. 11. Fuit Othniel ex tribu Juda, filius Kenas ex familia Caleb. Vide Judic. 3. vers. 9, 11. & 1 Chron. 4. v. 13.

6. Ad tempora Mosis, Josuæ & Caleb ex Græcis rebus sequentia referuntur:

1. Græci Ἕλληνες dicti sunt ab Hello Deucalionis filio, Thucyd lib. 1.
2. Ægyptus filius Beli ejecto fratre Danao tenuit Ægyptum; sed Danaüs postea Argis regnavit socer Lyncei, de quo Herodotus lib 2.
3. Lydi duce Tyrrheno filio Atyis regis Lydorum ex Asia in Italiam migrarunt fame coacti, & pulsis Umbris in Hetruria consederunt, & vicino mari Tyrrheno nomen dederunt, Herod. lib. 1. Hujus Tyrrheni frater fuit Lydus, à quo Lydia nominata est.
4. Trojani regni initium refertur ad annum M. 2488. Conditum scribunt à Dardano, qui interfecto fratre Jasio aufugit in Samothraciam, unde longo tempore reversus, ab Aro rege Mœoniæ partem regionis obti-

nuit, quæ ab ipsius nomine Dardania est dicta, postea verò Phrygia nominata est. Numerant Chronologi ab initio regni Trojani ad excidium urbis Trojæ annos 300. Reges fuerunt, Dardanus, Erichthonius, Tros, Ilus, Laomedon & Priamus.

5. Cadmi seculum refertur ad annum M. 2507 vel circiter. Fuit autem Cadmus filius Agenoris regis Phœnicum, qui ex Phœnicia in Bœotiam navigavit, ibique primus literas docuit, Polyd. Virg. lib. 1. cap. 6. Scribitur etiam Thebas Bœotiæ condidisse, Herodotus lib. 5. Hinc Lucanus:

Phœnices primi, famæ si credimus, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

David Chytræus Cadmi historiam refert ad tempora Deboræ & Barac, videlicet ad annum M. 2631.

BELOCHUS junior.

Rex XX Assyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2531, & regnavit annos 25. Theodorus Zwingerus in theatro existimat hunc Belochum esse qui in sacris dicitur Chusan Riseathaim, rex Mesopotamiæ & Syriæ, cui Israëlitæ servierunt octennium, Judic. 3. vers. 8. &c. Nam Othniel, qui Israëlitas liberavit, & Belochus simul regnârunt, quisque in suo populo per annos 19, ut docet Chronologia.

Synchronismus.

1. Ehud tertius Judex in Israël cœpit populum judicare anno M. 2552. Fuit ex tribu Benjamin, & judicavit annos 80, in quibus etiam comprehenditur Samgar, Jud. 3. vers. 12. usque ad finem. Interfecit hic Ehud regem Moabitarum Eglon, cui Israëlitæ serviverant annos 18, & profligatis Moabitis trucidavit 10000 hominum. Supputatio ostendit, Ehud vixisse post Belochum annos 76. Cæterùm hujus judicis temporibus putant quidam accidisse historiam Michæ Ephraimitæ, qui ex pecunia matri surrepta fecit idolum & Levitam conduxit sacerdotem, Jud. 17. ex quo deinde Danitæ captâ urbe Laïs idololatriam instituunt, quia tunc non fuit rex in Israël, Judic. 18. Ad hoc tempus etiam refertur immane illud stuprum Gibeonitarum in uxore cujusdam Levitæ perpetratum, ex quo deinde factum est, ut tribus Benjamin

fermè

fermè tota ad internecionem deleretur, Judicum capp. 19. 20.

2. Io filia Inachi regis Argivorum circa hoc tempus à Phœnicibus rapta & abducta esse creditur. Postea Græci, & inter hos Cretenses, ut par pari rependerent, Tyrum appulsi filiam regis Europam ex Phœnicia in Græciam & quidem in Cretam abduxerunt, à qua deinde tertia pars orbis terrarum nomen accepit. [a] Hanc historiam deinde poëtæ suis fabulis mirificè obscurarunt, ut liquet ex Ovidii Metam. lib. 1. fab. 10 & 14. & lib. 2. fab. 13. Porrò Io à Phœnicibus rapta in Ægyptum delata scribitur, & in matrimonium collocata Osiri Ægyptiorum regi, cui cognomen erat Ammoni seu Jovi, teste Diodoro Siculo, & hinc fingitur à Jove amata. Europa, quoniam in Cretam abducebatur navi in qua taurus erat pictus, & in Creta tum temporis rex erat Jupiter, nata est inde fabula de Europa à Tauro rapta. Vide Sabinum in Metamorphosin Ovidii. Ex Europa Jupiter genuit filios Minoa & Rhadamantum.

[a] Herodotus lib. 1. in principio.

BELOPARES.

Rex XXI Assyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2556, & regnavit annos 30.

Synchronismus.

1. Ehud post Beloparis mortem vixit annos 46.

2. Prometheus & Epimetheus fratres dissimillimis ingeniis in Thessalia vixisse putantur circa annum M. 2568. Prometheus sapientiæ laude celebris fuit; Epimetheus verò homo fuit vanus & voluptatibus deditus. Hinc fabula nata est, quam vide apud Hesiodum libr. 1. ἔργων καὶ ἡμερῶν.

3. Minos & Rhadamantus, Jovis Cretensis ex Europa filii, regnasse scribuntur circa annum M. 2559, ille in Creta, hic in magna parte Asiæ. Chytræus refert ad annum M. 2671 circa tempora Gideonis. Uterque justitiæ fuit observantissimus, unde cum fratre Æaco finguntur à poë[illegible]ud inferos bonorum & malorum judices. Rhadamanti versus recitatur ab Aristotele lib. 5. Ethic. Εἴ κε πάθοι τὰ ἔρεξε, δίκη ἰθεῖα γένοιτο, hoc est, si quis quod fecit patitur justissima pœna est.

4. Erechtheus Atheniensium rex hoc tempore vixit, cui

cui quum bellum inferret Eumolphus Thracensis, consuluit oraculum, quo pacto victoriâ potiri posset; responsum est, si filiam ante exercitum immolasset. Paruit oraculo & hostem vicit, Herod. lib. 8.

5. Sunt qui in hæc tempora rejiciunt Sesostrin Ægypti regem, de quo scribitur, quòd in curru aureo vehi solitus sit qui à quatuor regibus domitis trahebatur, ex quibus quum unus sæpius respiceret ad rotam, interrogatus à Sesostre cur id faceret, respondit: Rotæ volubilitatem specto, quæ citò ima summis permutat, & me de fortuna nostra admonet. Hoc sermone permotus Sesostres captivos reges dimisit. Fuit & Thules Ægypti rex, cum quo Sesostres totum terræ ambitum peragravit & circumnavigavit. De hoc Thule Suidas refert quòd ex oraculo in Serapidis templo quæsierit (fuit Serapis primarius apud Ægyptios dæmon,) quis ante eum regnasset, postve regnaturus esset, aut æqualis illi aut superior; & respondisse Serapin: πρῶτα θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς. Quâ voce audita rex vix è templo egressus à suis interfectus est, justamque pœnam superbiæ & insolentiæ luit.

LAMPRIDES.

Rex XXII Assyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2586, & regnavit annos 32.

Synchronismus.

Ehud post Lampridis mortem vixit annos 14.

SOSARES.

Rex XXIII, qui cœpit regnare anno M. 2618, & regnavit annos 20.

Synchronismus.

1. Post mortem Ehud Sosares regnavit annos 6. Mortuus est Ehud anno M. 2632. Et succedunt Debora & Barac ex tribu Naphthali, & judicant Israëlem annos 40. Israëlitas, qui jam Cananæis serviverant a[illegible] 20, liberarunt ex manu Jabin regis Cananæorum, cujus regia erat Hazor in sorte Napthali. Dux ejus fuit Sisera, qui à Jahele fœmina clavo per tempora transfixo interficiebatur, Jud. 4.

2. Per-

2. Perſeus filius Jovis & Danaës poſteaquam ad Cepheum Beli filium commeavit, & Andromedam ejus filiam uxorem duxit, ſuſtulit ex ea filium Perſen, cumque illic reliquit, à quo cognomen ſortiti ſunt Perſæ, Herodotus libr. 7. Poſtea propè montem Parnaſſum ſcholam condidit, in qua poëtices & matheſeos ſtudia floruerunt, unde ungula equi ſui Pegaſi fingitur fontem Muſarum aperuiſſe qui Hippocrene dicebatur, Ovid. lib.4. Metam. fab. 17. & lib.5. fab. 1. Cepheus autem fuit rex Æthiopum. Hinc deinde ſiderum nomina nata ſunt, quia Cepheus, Perſeus & Andromeda propter eximiam aſtrorum peritiam aliaſque virtutes à poëtis ſummè celebrabantur.

3. Pelops Tantali filius fugiens patris crudelitatem ex Phrygia in Græciam venit, & Peloponneſo, quæ Apia dicebatur, nomen dedit, Herod. lib.7. & Ovidius lib. 6 Metam. fab.6. Eſt autem Peloponneſus nobiliſſima Græciæ regio, mari Ionio & Ægeo intercluſa, & per Iſthmum reliquæ Græciæ adhæret. Hodie Morea dicitur. Celeberrima ejus urbs fuit Corinthus totius Peloponneſi propugnaculum.

LAMPARES.

Rex XXIV Aſſyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2638, & regnavit annos 30.

Synchroniſmus.

Debora & Barac adhuc judicant Iſraëlem ad quadriennium, poſt mortem Lamparis.

PANNIAS.

Rex XXV Aſſyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2668, & regnavit annos 45.

Synchroniſmus.

Gideon cœpit judicare Iſraëlem anno M. 2672, fuitque quintus judex per annos 40. Recentiores ejus initium ponunt in anno M. 2725. Superant igitur anni 53. Fuit ex tribu Manaſſe, & liberavit Iſraëlem à tyrannide Midianitarum. Vide Judic. capp. 6. 7. 8. Pannias poſt mortem Gideonis vixit annum unum.

SOSARMUS.

Rex XXVI Assyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2713, & regnavit annos 19.

Synchronismus.

1. Abimelech Gideonis ex concubina filius, Judic. 8. vers. 31. trucidatis 70 fratribus, excepto Jotham, qui sese occultaverat, per tumultum rex eligitur, & post triennium per tumultum jactu lapidis molaris à muliere interficitur, Judic. 9.

2. Abimelecho successit Thola, septimus judex in Israël anno, M. 2715, & judicavit annos 23. Fuit ex tribu Isaschar, Judic. 10. vers. 1. & 2. Thola post Sosarmi mortem vixit annos 6.

3. Ad hæc tempora eruditiores referunt historiam Ruth feminæ Moabiticæ, uxoris cujusdam Israëlitæ, quæ marito in terra Moab defuncto cum socru Naëmi profecta est Bethlehemam Judæ, ibique nacta est maritum Boas, cui peperit Obedum avum Davidis. Vide librum Ruth.

MITREUS.

Rex XXVII Assyriorum, qui regnare cœpit anno M. 2732, & regnavit annos 27.

Synchronismus.

1. Jair octavus Judex in Israël cœpit judicare anno M. 2738, & judicavit annos 22. Fuit ex tribu Manasse in Gilead, quæ regio fuit ultra Jordanem versus Libanum & Arabiam, postea dicta Ituréa, id est, scopulosa, quod Græcis est τραχωνίτις, id est, aspera. Etenim tribus Manasse divisa erat in duas partes, quarum altera, seu dimidia pars habitabat trans Jordanem versus ortum in montibus Gilead, altera cis Jordanem versus occasum juxta mare Mediterraneum, vide Josuæ 13. vers. 7 & 8. item cap. 17. Num. 32. v. 33 & 39. De Jair vide Judic. 10. vers. 3. Vixit post obitum Mitrei annum unum. Porrò anno Jair 17, qui est annus M. 2755, finiuntur anni illi 300, quibus Jephtha per præscriptionem temporis & jus belli demonstrat terram Canaan ab Israëlitis jure possideri & honesto titulo, si nimirum initium illorum

annorum sumatur exitu ex Ægypto. Vide Judicum 11. vers. 26.

2. Thesei & Herculis intimorum amicorum seculum in hæc tempora incidit. Etenim Theseus Athenis regnavit anno M. 2734, eique in regno tribuuntur anni 30. Egregia narrantur ejus facinora; quod homines in agris vagantes in civitatem collegerit; quod Minotaurum Atheniensium crudelissimum hostem interfecerit; quod Amazonum exercitum subegerit, earumque reginam Hippolyten uxorem duxerit. Pro tantis autem beneficiis Athenienses ipsum per calumniam oppressum ostracismo expulerunt. Plura vide apud Plutarchum in vita Thesei. Cæterùm oriundus fuit Theseus ex familia Erechthei, qui fuit sextus rex Atheniensium à Cecrope primo rege. Erechtheidarum series hæc est:

1. Erechtheus.
2. Cecrops II.
3. Pandion II.
4. Ægeus.
6. Theseus.
6. Mnestheus.
7. Demophoon.
8. Oxynthes.
9. Aphidas.
10. Timoëtes, ultimus Erechtheidarum.

3. Hercules anno M. 2736. celeberrimus fuit, natus patre Amphitryone rege Thebano, & matre Alcmenâ adulterâ. Mirabilia de Hercule extant scripta, sed pleraque fabulosa, unde plures hujus nominis extiterunt. Linum præceptorem suum tabulæ, in qua literæ erant exaratæ, jactu interfecit. Post præclara facta tandem libidini succubuit in gynæcéo colum & lanam tractans & Omphalæ serviens. Uxorem habuit Dianeiram, cujus insidiis interemptus est, Ovidius in Epistolis heroïdum. De Herculis adventu in Italiam vide Dionysium Halicarn. lib. 1 antiquitatum. Posteri Herculis Heraclidæ dicti sunt, qui tenuerunt regnum Lydiæ à morte Herculis annos 505, usque ad mortem Candaulis regis Sardium, ultimi Heraclidarum. De Hercule vide etiam Ovidium in Metamorph. lib. 9. fabb. 1. 2. 3. 4. & in hunc locum Sabinum. Herculi σύγχρονος fuit OEdipus Thebanus.

4. Lapitharum & Centaurorum Thessaliæ populorum gravissimum bellum exarsit anno M. 2737. eò quod Centauri in nuptiis Hippodamiæ Pirithoi filiæ vino ebrii

feminis, quæ in nuptiis erant, vim adferre conati essent. Hanc injuriam Theseus & Lapithæ ulturi multos Centauros interemerunt, reliquos expulerunt. Vide Plutarchum in Theseo, & Diodorum libr. 4 cap. 8. Plutarchus nuptias illas dicit fuisse ipsius Pirithoi cum Deianira.

5. Thebanum bellum inter duos fratres, Eteoclem & Polynicen ex incesto conjugio OEdipi & Jocastæ natos, gestum est anno M. 2738. Chytræus ponit annum M. 2750. Caussa belli fuit Eteoclis πλεονεξία, quâ regnum Thebarum adeptus fratrem suâ hæreditate privavit, & regno expulit. Polynices igitur Argos profugiens, ductâ Adrasti regis Argivorum filiâ, ope soceri partem regni hereditarii recuperare studuit, & exercitum in Bœotiam adduxit, matre Jocastâ filium Eteoclem frustra de pace solicitante. Quum diu dubio Marte pugnatum esset, ad μονομαχίαν res devenit, in qua ambo fratres mutuis vulneribus ceciderunt. Mater superveniens educto ex alterius corpore gladio manus sibi attulit. Redintegrato deinde inter Thebanos & Argivos bello, & Argivis in fugam conjectis, Creon victoriâ & regno potitus est, qui deinde OEdipum & hujus filiam Antigonem in exilium ejecit, in quo OEdipus jam senex & decrepitus terræ hiatu periit, Antigone verò, quòd contra leges fratrem Polynicen sepeliisset, viva in terram defossa est.

6. Argonautica expeditio, ab Argo nave prætoria sic dicta, à quibusdam Græciæ principibus suscepta est anno M. 2740. Profecti sunt principes illi in Colchidem Asiæ regionem juxta Pontum, Æetæ regi patri Medeæ subjectam, ad repetendum aureum vellus, hoc est, ad pervestigandas venas metallicas, quæ in illa regione erant locupletissimæ. Nomen Argo significabat certam figuram navis. Principes Græciæ præcipui fuerunt: Jason filius Æsonis, Admetus Alcestidis maritus, Peleus pater Achillis, Telamon pater Ajacis, Oileus, Talaus rex Argivorum pater Adrasti, Castor, Pollux, Idas, Lynceus, Periclymenus frater Nestoris, Acastus, Meleager, Orpheus, Mopsus, Hercules, Theseus, & alii quorum nomina & familias Apollonius & Orpheus recensent. Melanchthon & Chytræus Argonauticam expeditionem bello Thebano præponunt. Sunt qui per aureum vellus intelligunt magnam auri vim ab Æeta rege congestam,

gestam,

gestam. Nostri Hispani imitantur Jasonem dum in Indiam ad auferendum aurum navigant. De Jasone & Medea vide Ovid. lib. 7 Metamor. fab. 1. & in hunc locum mythologiam Sabini. Porrò, quod obiter addo, ferunt Carolum Burgundiæ Ducem mirificè delectatum fuisse fabulâ Jasonis, ejusque exemplo incensum maximarum rerum gerendarum cupiditate flagrasse; ideoque instituisse societatem cujus Symbolum esset aureum vellus. Hæc societas hodie servatur inter Hispaniarum regem & principes ipsi adhærentes.

7. In Italia cœpit regnare anno M. 2756 Latinus, à quo Latini dicti sunt, cujus filiam deinde uxorem duxit Æneas, quum ex Troja in Latium venisset. Regnavit Latinus annos 35, Dionys. Halic. lib. 1.


TAUTANES.

Rex XXVIII Assyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2759, & regnavit annos 32.

Synchronismus.

1. Jephtha nonus Judex in Israël cœpit judicare anno M. 2760, & judicavit annos 6. Fuit ex tribu Manasse, & quidem spurius, qui rejectus à fratribus postea à senioribus in Gilead revocatur, & dux belli contra Ammonitas constituitur, quos masculè vicit. Vide Judic. cap. 11. & 12. Post Jephtha Judex fuit Ibzan seu Abesan Bethlehemites ex tribu Juda annos 7. Post Ibzan Judex fuit Elon ex tribu Sebulon annos 10. Post Elon fuit Abdon ex tribu Ephraïm annos 8, Judicum 12. vers. 8. & seqq.

2. Agamemnon Mycenis ab anno M. 2771, regnavit annos 18. Nam regnum Argivorum quum inde ab Inacho primo rege stetisset annos 544, defecit tandem in Acrisio, & translatum est ad Mycenas, ubi primus regnavit Perseus, inde Sthelenus, postea Eurystheus qui regnum Mycenarum stabilivit. Post Eurystheum Atreus, & post hunc Atrei filius Agamemnon. Fuit Atreus avunculus Eurysthei, quod sic apparet:



 3. He-


3. Heraclidæ cæso in Attica Eurystheo in Peloponnesum duce Hyllo Herculis filio descendunt. Sed quum Hyllus in monomachia ab Echemo Tegeata interfectus esset, promittunt Heraclidæ se intra annos 100 non redituros in Peloponnesum. Huic Eurystheo deinde successit Atreus pater Agamemnonis.

4. Belli Trojani primus annus incidit in annum M. 2779, quo tempore Judex in Israël fuit Elon, Judic. c. 12. Hujus belli historia inter Græcorum res, quæ tempore primæ Monarchiæ contigerunt, omnium est celebratissima. Fuit Troja urbs Phrygiæ in minore Asia, quæ & Ilium ab Ilo rege dicebatur. Rex postremus fuit Priamus à Dardano sextus, ut supra ostendimus. Caussam huic bello præbuit Priami filius Alexander, qui alio nomine Paris est dictus. Hic enim hospitio exceptus ab Helena Menelai uxore, quum maritus abesset deperire cœpit feminam, quam etiam volentem per Sidonem & Phœniciam navigio in Ilium abduxit. Herodotus scribit Paridem adversis ventis in Ægyptum fuisse depulsum, ibique Helenam apud regem Proteum fuisse retentam, donec post confectum bellum Menelaüs eam reduxit. Herod. lib. 2. Fuit hoc bellum decennale, quo tandem Troja funditus est deleta, ut tum historici tum poëtici scriptores testantur. Chytræus belli Trojani initium ponit in anno M. 2772. Melanchthon refert ad tempora Davidis vel paulò ante. Finitum est bellum hoc anno 6 Abdonis Judicis in Israël.

5. Dirutâ Trojâ Trojani navigant in Siciliam duce Ænea, Dionys. Halic. lib. 1. Venit autem Æneas in Italiam cum sociis anno M. 2790, videlicet anno 70 post Euandri in Italiam ingressum. Deletâ enim Trojâ mox in Autumno per Hellespontum navigavit in Thraciam, ibique hybernavit, sequenti anno ex Thracia in Siciliæ portum invectus est. Tertio anno solvit ex Sicilia, & per mare Tyrrhenum venit in Italiam, & ad Laurentum consedit. Latinus rex admonitus in somniis Æneam in regni societatem recepit filiâ Laviniâ ipsi in matrimonium locatâ. Rutuli Latium inhabitantes frustra oppugnarunt Trojanos duce Turno. Quod autem Virgilius de appulsu Æneæ in Africam commemorat, id prorsus ποιητικὸν est & fabulosum, & ad exemplum Ulyssis ex Homero confictum. Defuncto Latino postea succes-

sit

ſit gener Æneas, qui deinde cum ſuis poſteris fundamenta Romanæ majeſtatis jecit. Porrò Æneæ genealogia notetur in hac tabella:



TEUTEUS.

Rex XXIX Aſſyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2791, regnavitque annos 40.

Synchroniſmus.

1. Simſon decimus tertius Judex in Iſraël cœpit judicare ab anno M. 2791 annos 20. Fuit ex tribu Dan. Ejus hiſtoria deſcribitur Judicum capp. 13.14.15.16.

2. Liber Judicum finitur anno M. 2810, & incipit Liber primus Samuëlis anno M. 2811, eſtque annorum 80.

3. Defuncto Simſone ſumma autoritas in Iſraël fuit penes Eli ſummum Sacerdotem, qui judicavit Iſraëlem annos 40, vide 1 Samuël. 4. verſ. 18. Hiſtoriam Eli lege 1 Sam. capp. 1.2.3.4. Ubi præcipuè obſervandum, primò quòd negligens & nimis lentus fuit in filiorum petulantia coërcenda, quam ob cauſam per prophetam quendam ipſi totius familiæ interitus eſt denunciatus, 1 Sam. 2. verſ. 27.

verf. 27. & feqq. & per Samuëlem difcipulum, 1 Sam. 3. verf. 1. & feqq. Deinde quod cæfo à Philiftæis Ifraële arca federis capitur & abducitur, quo cognito Eli præceps de fella fractâ cervice moritur, petulantes verò filii in acie pereunt, 1 Sam. 4. Cœpit autem Eli Ifraëlem judicare anno M. 2810.

4. Æneas focero Latino in prælio occumbenti fuccedit in regno anno M. 2791, & regnat annos 3. Numeratur primus rex Latinorum, fcilicet ex iis qui ex Afia poft dirutam Trojam venerunt in Italiam. Elapfo triennio occiditur Æneas in prælio contra Rutulos, quibus fefe adjunxerat Mezentius rex Tyrrhenorum feu Hetruriæ, Dionyf. Halic. lib. 1. A morte Æneæ ad Romam conditam numerantur anni 426.

6. Afcanius fuccedit patri Æneæ, fecundus rex Latinorum, & regnavit in Latio annos 38, Dionyf. Halic. lib. 1.

THINEUS.

Rex XXX Affyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2831, & regnavit annos 30.

Synchronifmus.

1. Arca Domini capitur à Philiftæis, 1 Sam. 4. verf. 11. quæ poft feptem menfes Ifraëlitis redditur, 1 Samuel. 6. verf. 1.

2. Samuel fucceffor Eli fummi facerdotis incipit judicare Ifraëlem anno M. 2850. Fuit igitur Samuel & propheta & judex politicus, ex tribu Levi, 1 Chron. 6. verf. 27. ubi pater Samuelis Elkana in tribu Levi numeratur. Præfuit autem Ifraëli annos 40, fcilicet fi addas annos Saulis, Act. 13. verf. 21. Solus enim Samuel præfuit annis 31, deinde Saul cum Samuele annis 9.

3. David nafcitur anno M. 2860, fed ex fupputatione recentiorum 2915. Superant 55.

4. Afcanio Æneæ filio defuncto fuccedit Sylvius frater, tertius rex Latinorum, qui ab anno 2833 regnavit annos 29, Dionyf. Halic. lib. 1.

DERCYLUS.

Rex XXXI Affyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2861, & regnavit annos 40.

Syn-

Synchronismus.

1. Israëlitæ ad κακοζηλίαν Gentium, spreto rege Deo, petunt à Samuele sibi dari regem, eò quòd Samuelis filii Joël & Abija essent δωροδόκοι & justitiæ violatores, cui petitioni Samuel ex consensu Dei morem gerit, & Israëlitis jus regis exponit 1 Sam. 8. Factum est hoc anno regni Samuelis 31.

2. Saul, primus rex Israëlitarum ex tribu Benjamin, quærens patris asinas invenit regnum & à Samuele ungitur in regem, 1 Sam. capp. 9 & 10. & devictis Ammonitis confirmatur in regno, 1 Samuel. 11. vers. 14. Samuel verò abdicat sese administratione, & populo ingratitudinem exprobrat, maximè quòd regem postulasset, 1 Sam. 12.

3. Saul rejicitur à Deo per Samuelem, quòd sacrificaverat, 1 Sam. 13. vers. 14 & quia Amalekitas non funditus deleverat, 1 Sam. 15. Devolvitur autem regnum ad Davidem domi paternæ in Bethlehem per primam unctionem, 1 Sam. 16. v. 13. Hinc deinde variæ persequutiones quibus Saul Davidem afflixit.

4. Saul moritur anno M. 2890. & hic finitur liber primus Samuelis; incipit verò liber secundus Samuelis, qui est annorum 40.

5. Regnum Davidis, cujus initium est anno M. 2891. Primò autem regnavit in Hebron annos 7 & menses 6, 2 Sam. 2. vers. 11. & deinde in Jerusalem annos 33, 2 Samuel. 5. vers. 5. Prolixa est ejus historia à cap. 16 libr. 1 Sam. usque ad vers. 13 capitis 2 lib. 1 Regum. Anni igitur Regni Davidis sunt 40, lib. 1 Reg. cap. 2. vers. 11.

6. Æneas Sylvius, quartus Latinorum rex ab anno M. 2862, regnavit in Italia annos 31.

7. Heraclidæ elapsis 100 annis redeunt in Peloponnesum ex avito regno Argivorum, primò ab Eurystheo deinde ab Atridis expulsi, & occuparunt Spartam, Argos, Messenen, Tisameno filio Orestis Spartæ ac Mycenarum rege pulso, & Nelidis Pyli & Messeniæ dominis ex Epidauro ejectis, Thucyd. lib. 1. Accidit hoc anno ab excidio Trojæ 80. Nelidæ ab Heraclidis ita pulsi venerunt Athenas, ibique Pœonidarum & Alcmæonidarum familias condiderunt, Herodotus lib 5.

8. David Chytræus ad tempora Samuelis refert historiam Minyarum, qui à Pelasgis ex Lemno pulsi & à Lacedæ-

cedæmoniis recepti, sed insolentiores facti & in carceres conjecti ingeniosâ uxorum suarum φιλοστοργία permutatis vestibus è carceribus egressi & mortis periculo liberati sunt, Herod. lib. 4.

9. Latinus rex quintus Latinorum regnat in Latio ab anno M. 2893 annos 51.

10. Codrus ultimus rex Atheniensium interficitur. Oraculi enim suasu in hostium castra, ut interficeretur & morte suâ patriam liberaret, mutato habitu concessit. Sic regius status Athenis exspiravit, & constituti sunt ἄρχοντες, quorum primus fuit Medon, unde Medontidæ.

EUPALES.

Rex XXXII Assyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2901, & regnavit annos 38.

Synchronismus.

1. Davidis lapsus, 2 Sam. 11 & 12, refertur ad annum M. 2908, ætatis Davidis 48, regni 17.

2. Salomon nascitur ex Davide & Bethseba, 2 Sam. 12. vers. 24. anno M. 2910, ætatis Davidis 50. Dictus est Salomon ex mandato Dei, quòd in summa pace esset regnum administraturus, Domino templum ædificaturus. vide 1 Chron. 22. vers. 9.

3. Absolonis impietas incipit anno M. 2915, ætatis Davidis 55, regni 24. Describitur 2 Samuel. 13. 14. 15. 16. 17. 18. capp.

4. Liber primus regum incipit anno M. 2930, & continet historiam annorum 118, ex quibus 40 pertinent ad regnum Salomonis, reliqui 78 ad sequentium regum gubernationem.

5. Regnum Salomonis incipit anno M. 2931, ad quod inaugurabatur vivo patre Davide, 1 Reg. 1. vers. 32. & seqq. Regnavit Salomon annos 40, 1 Reg. 11. vers. 42. Vixit igitur Salomon post Eupalem annos 33. Tota historia Salomonis describitur lib. 1 Regum à cap. 1. usque ad finem capitis 11.

6. Templum Hierosolymitanum ædificatur à Salomone anno ab exitu ex Ægypto, 1 Reg. 6. vers. 1. qui est annus M. 2934, vel juxta recentiores 2988, quum Salomon jam regnasset annos 4, & natus esset annos 25.

Ab

Ab initio autem templi ad destructionem per Babylonios factam numerantur anni 429, vel ut aliis placet, 431.

7. Iones duce Neleo, Androclo & cæteris Codri filiis in Asiam migrarunt,& duodecim urbes condiderunt, Ephesum, Miletum, Myuntem, Prienen, Colophonem, Lebedum, Teum, Clazomenas, Phocæam, Samum, Chium,& Erythræas; videlicet in minore Asia & vicinis insulis. Accidit hoc annis 522 antequam Iones à Cyro victi sunt. Chytræus ex Herodoti lib. 1.

LAOSTHENES.

Rex XXXIII Assyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2939, & regnavit annos 45.

Synchronismus.

1. Templum Hierosolymitanum magna cum festivitate & gaudio à Salomone dedicatur, & arca federis in illud transfertur, 1 Reg. 8. In arca illa fuerunt duæ lapideæ tabulæ Mosis, 1 Reg. 8. vers. 9. & ante arcam urna aurea habens manna, & virga Aaronis quæ germinavit, Hebr. 9 vers. 4. cum quo confer Exod. 25. vers. 16. & Num. 17. vers. 10.

2. Salomon incipit ædificare regiam suam anno M. 2941, quam absolvit spacio 13 annorum, 1 Reg. 7. vers. 1. nempè anno 20 à condito templo, 1 Reg. 9. vers. 10.

3. Regina Austri seu Æthiopiæ, quæ à Josepho lib. 8 antiquit. cap. 2. dicitur Nicaule, adit Salomonem auditum ejus sapientiam, lib. 1 Reg. 10. vers. 1. Accidit hoc anno M. 2954, regni Salomonis 23, ætatis Salomonis 44. Postea elapsis annis 15 exterarum mulierum amore victus in summam stultitiam & impiam idololatriam Salomon delabitur, 1 Reg. 11. & biennio pòst moritur. Estque admodum probabile ante obitum scripsisse Salomonem suum Ecclesiasten, quod ex certis circumstantiis & ipso libri argumento elucet, ubi docet vanas esse hominum cogitationes quæ extra Dei verbum suscipiuntur, veramque felicitatem humano consilio inveniri non posse. Quod argumento est Salomonem relictâ idololatriâ ad meliorem mentem & verum Dei cultum rediisse. Mortuus est anno ætatis 61.

4. Post Salomonis obitum regnum distrahitur & in duo

duo regna dissecatur, videlicet in regnum Juda & in regnum Israël, 1 Reg. 12. vers. 16. & seqq. quod Deus comminatus fuerat Salomoni propter idololatriam, 1 Regum. 11. versf. 11, 12, 13. & prædixerat Jeroboamo per prophetam Ahija, 1 Reg. 11. vers. 31. & seqq. Cæterùm distractio hæc ita se habet: Quum Rehabeam filius Salomonis suasu juvenum consiliariorum recusaret mitigationem publicorum onerum à patre subditis impositorum, defecerunt ab ipso decem tribus, manserunt verò qui in urbibus Juda habitabant, videlicet tribus Juda, tribus Simeon, cujus terra per tribum Juda erat dispersa, & pars tribus Benjamin; sed hæ tribus κατ' ἐξοχὴν seu propter excellentiam vocantur tribus Juda, 1 Reg. 12. v. 17. & 20. Levitæ quoque accesserunt ad tribum Juda, 2 Chron. 11. vers. 13. Est autem hic tenendum in decem tribubus numerari Ephraïm & Manasse pro duabus, siquidem tribus Levi non habuit propriam terram, sed per reliquas tribus erat dispersa. Desciverunt igitur à domo David, hoc est, à Rehabeamo, Ephraïm, Manasse, Ruben, Gad, Isaschar, Aser, Sebulon, Naphthali, Dan, & pars Benjamin. Ex quibus præcipuæ partes fuerunt penes Ephraïm, quia primus rex in Israël fuit Jeroboam, qui fuit ex tribu Ephraim, 1 Reg. 11. vers. 26. unde decem tribus regni Israëlis dicuntur filii Ephraïm, Psal. 78. v 9. & 67. Confer Esaiæ 7. vers. 2, 5, 9, 17. & cap. 9 vers. 9. Oseæ 4. vers 17. & cap. 5. vers. 3, 5, 9, 11, 12, 13, 14. Accidit autem distractio hæc anno M. 2971, vel juxta recentiores 3025. Duravit regnum Israëlis annos 262, sed regnum Juda annos 395.

5. REHABEAM primus rex in Juda regnat ab anno M. 2971 annos 17. JEROBOAM verò primus rex in Israël annos 22. Utriusque historiam vide 1 Regum capp. 12. 13. 14

6. Templi primi direptio facta est per Sisack regem Ægypti, anno 5 regni Rehabeami, quum templum jam stetisset annos 42, 1 Reg 14. vers. 25.

7. Alba Sylvius, sextus rex Latinorum, regnat ab anno M. 2944, annos 39.

8. Capetus, septimus rex Latinorum, regnat ab anno M. 2983, annos 26.

PYRI-

PYRICIADES.

Rex xxxiv Assyriorum, qui cœpit regnare anno M. 2984, & regnavit annos 30.

Synchronismus.

1. Abia rex ii in Juda successor patris Rehabiam regnavit ab anno M. 2988 annos 3. Impii patris impius filius. Bellum ipsi fuit cum Jeroboam, quod suis circumstantiis describitur 2 Chron. 13. v. 1 & seqq.

2. Asa rex iii in Juda filius Abiæ regnavit ab anno M. 2991 annos 41. Pius fuit. Ejus historia describitur 1 Reg. 15. vers. 9 usque ad vers. 25. item 2 Chron. capp. 14. 15. 16. Vidit Asa hoc tempore septem reges Israëliticos, videlicet, Jeroboam, Nadab, Baësa, Ella, Simri, Amri, & Achab, qui cœpit regnare anno 38 regni Asæ, 1 Reg. 16. vers. 29.

3. Nadab rex ii in Israël succedit patri Jeroboam anno M. 2993, & regnavit annos 2. Impius fuit. Ejus historia describitur 1 Reg. 15. verss. 25, 26, 27.

4. Baësa rex iii in Israël per parricidium invasit regnum anno M. 2995, & regnavit annos 24, 1 Reg. 15. v. 27. Delevit totam posteritatem Jeroboami.

5. Æthiopum rex Serah numerosissimum exercitum, millies millenorum hominum, ducit contra Asa regem in Juda, sed precibus regis Asæ vincitur, 2 Chronic. 14. vers. 9. &c.

6. Homerus omnium poëtarum princeps circa hæc tempora claruit, videlicet ab anno M. 3000, quo natus Creditur ELIAS propheta, regum Israëliticorum malleus.

7. Capys rex viii Latinorum ab anno M. 3009, in Latio regnavit annos 28.

OPHRATEUS.

Rex xxxv Assyriorum, qui cœpit regnare anno M. 3014, & regnavit annos 20.

Synchronismus.

1. Ella rex iv in Israël succedit patri Baësa anno M. 3019, quumque regnasset duos annos interficitur à servo suo Simri, qui totam domum Baësa delevit, 1 Reg. 16. vers. 8 usque ad 15.

2. Simri rex V in Israël succedit Ellæ, & regnat dies 7. Quum enim populus resciviffet ejus facinus in rege Baëta perpetratum, contra ipsum creat alium regem, nempè Amri, à quo Simri in urbe Thirza obsessus sese & regiam domum igni tradidit, 1 Regum 16. vers. 15. & seqq.

3. Amri rex VI in Israël cœpit regnare anno regni Asæ 31, qui est annus M. 3020, & regnavit annos 12. Condidit urbem Samariam, ibique regiam sedem regni Israëlitici fecit. Antea enim reges Israël habitabant in Thirza. Hinc deinde regnum Israël dictum est regnum Samariæ. Historiam Amri vide 1 Reg. 16. à vers. 22 usque ad 29.

4. Ahab rex VII in Israël, filius Amri, succedit patri in regno anno regni Asæ regis in Juda 38, qui est annus M. 3028, & regnavit annos 22. Impietate omnes ante se reges superavit. Ejus historia legitur 1 Reg. 16. à v. 29 ad 34. & quæ ẽgit cum Elia propheta 1 Reg. capp. 18. 19. cum Benhadad rege Syriæ cap. 20. cum Naboth cap. 21. cum Micha propheta, qui contradicebat Pseudoprophetis suadentibus Ahabo bellum contra Syros, cap. 22.

5. Josaphat rex IV in Juda succedit patri Asæ anno 4 Ahabi regis in Israël, qui est annus M. 3032. Fuit pius, & regnavit annos 25. Commendatur ejus studium in judiciis rectè constituendis: Non hominis exercetis judicium, sed Dei, 2 Chron. 19. vers. 6, 7. Ejus historiam vide 1 Reg. 22. à vers. 41 usque ad v. 52. & 2 Chron. capp. 17. 18. 19. 20.

6. ELIAS & ELISÆUS temporibus Ahabi & postea in regno Samariæ, in quo erant nati, suum propheticum munus gnaviter obeunt. Hos Deus in regno tam impio excitabat, ut in media idololatria nihilominus sibi conservaret Ecclesiam. Eliæ historiam vide 1 Regum 17. 18. 19. 21. v. 17, &c. 2 Reg. capp. 1 & 2. Elisæi historiam vide 1 Reg. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 12. vers. 14. usque ad vers. 22.

OPRAGANEUS.

Rex XXXVII Assyriorum, qui cœpit regnare anno M. 3034, & regnavit annos 50.

Syn-

Synchronismus.

1. Elias mactat Baalitas anno M.3042. vide 1 Regum 18.

2. Ahab sagittâ ictus perit, & canes sanguinem ejus ex curru defluentem lambunt, 1 Reg. 22.

3. Ahasias rex VIII in Israël succedit patri Ahabo in regno Samariæ, anno regni Josaphati 17, qui est annus M. 3047. Vocatur etiam Ochozias. Regnavit annos 2. Ejus historiam lege 1 Reg.22. vers.52. & 2 Reg. cap. 1. Sic ergò finitur liber primus Regum. Incipit verò *Liber secundus Regum*, qui continet acta cæterorum regum in Juda & Israël, captivitatem Assyriacam decem tribuum in regno Israël seu Samariæ, & captivitatem Babylonicam tribus Juda. Excurrit hic liber ad annos 320.

4. Elias in igneo curru vivus subvehitur in cælum successore sibi constituto Elisæo, 2 Reg. 2. Creditur hoc accidisse anno M. 3050. Præfuit autem Elias Ecclesiæ in regno Samariæ annos 30 vel circiter. Assumptus itaque est in cælum anno 18 regni Josaphati regis in Juda. Quod autem 2 Paral. 21. vers. 12. dicitur epistola ab Elia missa ad Joram filium Josaphati jam regem in Juda, intelligendum est de epistola tempore Josaphati scripta, in qua Elias de futuro statu regni Juda sub Joramo vaticinatus erat; quemadmodum propheta Ahia de regno Josiæ 1 Reg. 13. vers. 2. & Esaias de Cyro cap.44. vers. ult. & cap 45. vers. 1. Totum autem tempus quo Elisæus cum Elia & postea Ecclesiæ præfuit in regno Samariæ fuit annorum circiter 70. Attigit enim tempora Amasis regis Juda, 2 Reg. 13. v. 12, 14.

5. Joram rex IX in Israël succedit fratri Ahasiæ in regno Samariæ, anno 18 Josaphati, & regnavit annos 12. Ejus historia legitur 2 Reg.3. & 6. vers. 8. Memorabile est bellum inter Benhadad regem Syriæ & Joram; ubi intolerabilis fames in urbe Samaria, 2 Reg. 6. vers. 24. &c. & repentina annonæ copia, 2 Reg. 7.

6. Joram vivo patre Josaphato creatur rex V. in Juda, triennio ante mortem patris, anno 5 Jorami regis in Israël, & regnavit annos 8. Dissimilis patris Josaphati, crudelis fratricida & idololatra. Uxorem habuit filiam Ahabi. Ejus historia legitur 2 Reg. 8. vers. 16. usque ad

vers. 25. & 2 Chron. 21. Cum patre Josaphato regnavit annos 4 & solus totidem.

7. Ahasia rex VI in Juda succedit patri Joram anno 12 Joram regis in Israël, regnavitque annum unum. Conjunxerat sese Joramo contra Jehu, sed infeliciter. Ejus historia legitur 2 Reg. 8. vers. 25. & cap. 9. vers. 16 & seqq. Eodem igitur anno perierunt Joram rex Israël & Ahasia rex Juda, occisi à Jehu, qui constitutus erat à Deo ad delendam totam domum Ahab, 2 Regum 9. vers. 7. &c.

8. Athalia filia Ahabi, mater Ahasiæ regis in Juda, quæ tenet locum VII inter reges Juda, per sævissimam tyrannidem occiso toto stemmate regio, excepto puerulo Joas, invadit regnum, idque tenet in annum 7. Vide historiam 2 Reg. 11. Interfecta est in tumultu, ibid. vers. 16.

9. Jehu rex X in Israël deletâ totâ domo Ahabi in regno succedit Joramo, & regnat annos 28. Ejus historia legitur 2 Reg. cap. 9. & 10.

10. Joas rex VIII in Juda succedit Athaliæ puer 7 annorum, curâ & operâ Sacerdotis Jojadæ, anno 7 Jehu, regnavitque annos 40. Tum temporis Jojada fuit annorum 90, quia mortuus est anno ætatis 130, 2 Chronic. 24. vers. 15. Pius rex fuit Joas, cujus historia legitur 2 Reg. 11. & 12. Item 2 Chron. 22. vers. 11. & cap. 23. 24. Sunt qui scribunt in hoc rege Joas factam esse translationem regni Juda à stirpe Salomonis ad stirpem Nathan, & per Athaliam omnem stirpem Salomonis esse deletam, & ob hanc caussam apud Lucam Euangelistam in genealogia Christi omisso Salomone insertum esse Nathan, Lucæ 3. vers. 31. Alii sentiunt contrarium, & volunt, Joas verè fuisse filium Ahasiæ. Judicent doctiores.

11. Capetus Sylvius rex IX Latinorum, ab anno M. 3037, regnat annos 13, Dionys. Halic. lib. 1.

12. Tiberius Sylvius rex X Latinorum regnat annos 8. Hic commisso prælio juxta fluvium Albulam periisse fertur & à fluvio abreptus ei nomen dedisse ut Tiberis sit dictus, Dionys. lib. 1.

13. Agrippa Sylvius XI rex Latinorum regnat annos 41, Dionys. ibidem.

A S-

ASCRAZAPES.

Rex XXXVII Assyriorum, qui cœpit regnare anno M. 3084, & regnavit annos 42.

Synchronismus.

1. Joahas filius Jehu rex XI in Israël succedit patri anno M. 3087, anno regni Joas 23, & regnavit annos 17. Ejus historia legitur 2 Reg. 13. à vers. 1 ad 10.

1. Joas filius Joahas rex XII in Israël succedit patri, sed adhuc vivo, anno Joas regis in Juda 37, & à patris obitu regnavit annos 16. Ejus historia legitur 2 Reg. 13. à vers. 10.

3. Amasias IX rex in Juda succedit patri Joas anno 2 Joas regis in Israël, qui fuit annus M. 3105. Regnavit annos 29. Temerarium bellum suscipiebat contra Joas regem in Israël infelici eventu. Ejus historia legitur 2 Regum 14. à vers. 1 ad 21. Item 2 Chron. 25.

4 Jeroboam XIII rex Israël succedit patri Joas anno 15 regni Amasiæ regis in Juda, & regnavit annos 41. Ejus historia legitur 2 Reg. 14. vers. 23.

5. Jonas Propheta, qui est ex numero minorum prophetarum, vixit ætate hujus Jeroboami, ut liquet ex 2 Reg. 14. vers. 25. prædicavit igitur Jonas in regno Samariæ circa annum M. 3119, qui est annus 7 ante Sardanapalum.

6. Lycurgus Lacedæmoniorum legislator vixit circa tempora Joas regis in Juda. De hoc vide Plutarchum in vitis illustrium.

7. Alladius seu Allades XII rex Latinorum ab anno M. 3099, regnavit in Latio annos 19. Deorum contemptor, qui machinas fulmina imitantes quum excogitasset fulmine de cœlo ictus periit, Dionys. Halic. lib. 1.

8. Aventinus XIII rex Latinorum, ab anno M. 3118, regnavit annos 37. Ab hoc unus è septem collibus qui mœnibus Romanis cinguntur nomen habet, Dionys. Halic.

SARDANAPALUS.

Sardanapalus rex XXXVIII Assyriorum cœpit regnare anno M. 3126, & regnavit annos 22. Hujus vitam

 histo-

historici descriptam reliquerunt propter insignem mutationem quæ ex ignavia & plusquam scelerata hujus regis vita in' Monarchia hac contigit. Homo fuit mollis, effeminatus & impudicus, qui stolâ muliebri indutus inter pellices in gynæcéo latuit, omni gubernationis curâ longè sepositâ. Meminit ejus Cicero lib. 5 Tusc. quæst. Quum ergò regni administratio planè negligeretur, & omnia ruinam minarentur, de publica salute soliciti fuerunt præfecti, Arbaces Medorum, & Belesus alias Phul Belochus Babyloniorum, qui conjunctis viribus exercitùm contra Sardanapalum duxerunt, eumque in urbe Ninive latitantem obsederunt, ubi Sardanapalus exstructâ pyrâ se cum omnibus suis deliciis in ignem conjecit. Hinc jam facta est distractio Monarchiæ in duo regna, quorum alterum fuit Medorum sub quo & Persæ; alterum Babyloniorum quod in sacris nomen Assyriorum retinet. Illius rex factus est Arbaces; hujus Belesus qui & Phul Beloch dicitur. Huc usque igitur stetit Monarchia hæc annos 1360, ut scribit Diodorus Siculus lib. 2. c. 7. & dilaceratio hæc facta est anno M. 3148, anno Asariæ regis in Juda 4, anno Jeroboami regis in Israël 30. Nos propter sacram lectionem jam in posterum tenebimus ordinem regum Babyloniorum, qui in sacris Assyrii dicuntur, quippe qui Assyriis quoque imperarunt, & plerique Niniven inhabitarunt.

Synchronismus.

Asaria rex X in Juda succedit patri Amasiæ anno 27 Jeroboami regis in Israël, qui est annus M. 3145. Fuit igitur interregnum annorum 11. Vocatur alio nomine Uzias seu Osias; & regnavit annos 52. Initium ergò regni Asatiæ incidit in annum 19 regni Sardanapali. Historiam Asariæ lege 2 Reg. 15. à vers. 1 usque ad 8. & 2 Chron 26.

PHUL BELOCHUS.

Hic Phul Belochus post Sardanapalum in Assyria cœpit regnare anno M. 3149, & regnavit annos 48. Dicitur aliàs Belesus, & in sacris Phul 2 Reg. 15. vers. 19. Hactenus usque ad Sardanapalum Assyriis nulla fuerunt bella cum populo Dei, sed deinde, ut audiemus, gravissima sequuta sunt, donec tandem decem tribus per Salmanassarem

sarem in Assyriacam, & tribus Juda per Nebucadnezarem in Babylonicam captivitatem abducerentur.

Synchronismus.

1. Jeroboam rex in Israël moritur anno M 3159, anno 15 Asariæ regis in Juda, anno 11 Phul Belochi. Fuit deinde in regno Israël interregnum per annos 22, quia filius Jeroboami Zacharias successit demum anno 38 Asariæ. Regnavit hic Zacharias menses 6, 2 Regum. 15. vers 8. &c.

2. Zachariam regem XIV in Israël interfecit Sallum, & regnum invasit, 2 Reg. 15. vers. 10.

3. Sallum fit rex XV in Israël anno Asariæ 39, & regnavit Samariæ mensem 1, 2 Reg. 15. v. 13. &c.

4. Menahem XVI rex in Israël regnum per cædem Sallum invadit anno 39 Asariæ regis in Juda, quod tenuit annos 10. Huic bellum intulit Phul rex Assyriorum & Babyloniorum, sed quum ingentem pecuniam penderet Menahen & sese tributarium faceret Phul Belocho, sedatum est bellum. Historiam lege 2 Reg. 15. à vers. 17 ad finem.

5. Pekahia XVII rex in Israël succedit patri Menahem anno 50 Asariæ regis in Juda. Regnavit annos 2, & interficitur à Peka filio Remalia. vide 2 Regum 15. vers. 23. &c.

6. Oseas & Amos prophetæ suum munus obierunt sub Asaria & Jeroboamo circa initium distractionis Monarchiæ anno M. 3150, Oseæ cap. 1. v. 1. & Amos cap. 1. vers. 1.

7. Esaias propheta docere cœpit temporibus Asariæ regis in Juda, & anno ultimo hujus regis vidit Dominum in gloria, Esaiæ 1. vers. 1. & cap. 6. vers. 1. Unde colligi potest Esaiam ad minimum concionatum fuisse annos 47, si numerentur ab ultimo anno Usiæ seu Asariæ usque ad annum 14 Hiskiæ, quo legati Babylonici ad Hiskiam venerunt, Esaiæ 39. & 2 Reg. 20. vers 12. Tradunt Rabbini Esaiam jussu Manassis serrâ dissectum esse.

8. Arbaces in Media cœpit regnare anno M. 3149, & regnavit annos 28.

9. Sosarmus Arbaci in regno Medorum succedit anno 28 regni Phul Belochi, qui est annus Asariæ regis in Juda 32.

10 *Regnum Macedonum* incipit anno M. 3159, qui est

annus 15 Asariæ regis in Juda, annus 11 Phul Belochi. Primus rex fuit Caranus, aliàs Gramaus, à quo usque ad Philippum Alexandri M. patrem numerantur reges 22 inclusivè, anni verò 445 vel circiter.

11. Hesiodi seculum incidit in hæc tempora. Scribitur enim in primæ Olympiadis auspiciis periisse jugulatus à duobus fratribus & in mare abjectus. Vide Erasmum in proverbio, Hesiodi senecta

12. OLYMPIADES Græcorum incipiunt anno M. 3196, qui est annus ultimus Phul Belochi, annus ultimus Asariæ. Diligenter hoc est observandum, quia Græcis usitatum fuit rerum gestarum seriem juxta Olympiadas in publicis monumentis perscribere. Est autem Olympias spacium 4 annorum, factum ab ordinario conventu Græcorum ad Elidem, oppidum in occidentali tractu Peloponnesi, ubi certamen Olympicum celebrabatur. Hic conventus semper agebatur post quartum annum in plenilunio quod solstitio æstivo erat proximum. Nimirum erant Græcorum quasi nundinæ. Estque observatione dignum quod Justinus Martyr scribit in parænetico ad Græcos: οὐδὲν πρὸ τῶν ὀλυμπιάδων ἀκριβὲς τοῖς Ἕλλησιν ἱστόρηται, hoc est, nihil ante Olympiades accuratè Græcis scitur. Et certè constat historias Græcorum ante Olympiades nimis esse fabulosas. Durarunt autem Olympiades usque ad Synodum Nicenam, ubi Constantinus M. pro iis indictiones instituit, quibus singulis quindenos annos tribuit; alii ad Augustum Cæsarem referunt, qui anno 3 ante Christum natum indictionem excogitasse fertur, ut scilicet indicium esset subditis quando tributa persolvenda essent, unde nomen habet Indictio quod tributa indicerentur.

PHUL ASSUR.

Phul Assur cœpit regnare anno M. 3197, & regnavit annos 23. In sacris literis vocatur Tiglath-Pileser, 2 Regum 15. vers. 29. Galilæam vastavit, 2 Reg. 15. v. 29. & postea Syriam occupavit, 2 Reg. 16. vers. 9. ipsum quoque Ahas, à quo in auxilium fuit vocatus, duriter tractavit, 2 Chron. 28. vers. 20.

Synchronismus.

1. Pekah invadit regnum Israël anno 52 seu ultimo

Asariæ

Asariæ regis in Juda, & regnat Samariæ annos 20. Bello vincitur à Phul Assur, qui totam tribum Naphtali captivam abducit in Assyriam, 2 Reg. 15. vers. 27. & seqq. Fuit autem Pekah rex XVIII in Israël.

2. Jotham filius Asariæ succedit patri in regno Juda anno 2 Pekah regis in Israël, & regnavit annos 16. Tempore hujus regis cœpit Deus contra Juda mittere Pekah regem in Israël & Rezin regem Syriæ, 2 Reg. 15. à v. 32 usque ad finem, & 2 Chron. 27. v. 1 ad finem. Fuit Jotham pius & in ordine rex XI.

3. Micheas & Joël prophetæ tempore Jothami claruerunt. De Michea certò constat ex cjus prophetia cap. 1. v. 1.

4. Achas rex XII in Juda patri Jotham in regno succedit anno 17 Pekah regis in Israël, qui est annus Phul Assuris 17, annus M. 3213. Regnavit Achas Hierosolymæ annos 16. Impius fuit, & bello petitus à duobus regibus Rezin Syriæ & Pekah in Israël, sed à Deo per prophetam Esaiam erectus & confirmatus. Ab hostibus agitatus petit auxilium à rege Assyriorum Tiglath-Pileser, unde ejus impietas & idololatria augetur. Lege 2 Reg. 16. 2 Chron. 28. v. 20.

5. Hosea filius Ela rex XIX in Israël invadit regnum anno ab initio regni Jotham 20, 2 Reg. 15. v. 30. anno Achas 12, 2 Reg. 17. v. 1. anno Phul Assuris 22.

6. Romanæ historiæ à nativitate duorum fratrum ROMULI & REMI incipiunt anno M. 3201, qui est annus 5 Phul Assuris, & 6 Jothami regis in Juda. Porrò historiam conceptionis & nativitatis Romuli & Remi narrat Dionysius Halic. lib. 1 antiquit. & Plutarchus in vita Romuli. Hic historias suas ordiuntur Dionysius Halicarnassæus, Livius, Florus, Vellejus, Eutropius, Orosius, Plinius secundus, & Zonaras.

SALMANASSAR, aliàs NABONASSAR.

Salmanassar, aliàs dictus Nabonassar, cœpit regnare anno M. 3220, & regnavit annos 10. Regno Israëlis finem fecit abductione decem tribuum in Assyriam non sine ingenti calamitate, 2 Reg 17. & in Samariam misit homines exteros, nempe Assyrios, qui terram colerent:

ſed quum à leonibus dilacerarentur, mittuntur ex Aſſyria Iſraëlitici Sacerdotes, qui veram colendi Deum rationem docerent. Quod dum fit, ſuam tamen idololatriam Aſſyrii Samaritani cum Iſraëliticorum Sacerdotum doctrina conjungunt, unde Samaritana religio ex Judaïſmo & Paganiſmo conſuta originem traxit. Sunt tamen qui hanc Aſſyriorum in Samariam tranſmiſſionem tribuunt Eſſarhaddon filio Sennacheribi, idque probant ex Eſdræ 4. verſ. 2. ubi Samaritani operam ſuam in reædificatione templi Judæis offerentes dicunt, ſe ex quo tempore ab Eſſarhaddon eſſent in Samariam tranſmiſſi coluiſſe Judæorum Deum.

Synchroniſmus.

1. Hoſeas rex XIX in Iſraël cœpit regnare eodem anno quo Salmanaſſar in Aſſyria, & regnavit annos 9, 2 Reg. 17. verſ. 1. Sub hoc regnum Iſraëlis totum exſpiravit, ut præter tribum Juda & partem tribus Benjamin nihil manſerit in populo ſancto reliquum, 2 Reg. 17. verſ. 18.

2. Ezechias alias Hiskias rex XIII in Juda ſuccedit patri Achas anno 3 Hoſeæ regis Iſraël, & regnavit annos 29. Hujus hiſtoriam vide 2 Reg. 18. 19. 20. & 2 Chron. 29. 30. 31. 32. & Eſaiæ 38. v. 1.

3. Bellum Meſſenium, quod fuit inter Meſſenios & Lacedæmonios, exortum eſt anno M 3229, & duravit annos 20. Meſſene & Lacedæmon civitates Peloponneſi ſummâ inter ſe devinctæ erant conjunctione, ut altera alteri virgines ſuas ad ſacra peragenda tanquam ad ſolennes epulas mitterent. Sed Meſſenii hâc amicitiâ peſſimè abutentes Spartanorum virgines ad ſe hoc modo miſſas vitiaverant. Hanc injuriam Spartani indignè ferentes arma in Meſſenios ſumpſerunt, & Lycurgi legibus fortunatiores facti religioni ſeſe obſtringebant non reverſuros ſe domum priusquam Meſſenen expugnaſſent, quam tamen non niſi poſt 20 annos demum expugnarunt & Meſſenios duriſſimâ ſervitute preſſerunt, unde proverbium, Meſſene ſervilior. Hujus ſervitutis Meſſenii impatientes redintegrarunt bellum. Quocirca Lacedæmonii conſulto Delphico oraculo ab Athenienſibus belli ducem petere juſſi nacti ſunt Tyrtæum poëtam claudum, ſed diu in pugnando infelicem, qui ad extremum carmine à ſe compoſitio militum

tum animos ad spem vel victoriæ vel honestæ sepulturæ erexit, ubi denuo Lacedæmonii victores evasere, Justinus lib.3. Messenii patriis sedibus pulsi venerunt in Siciliam, ibique Messanam condiderunt, sed post multos annos redierunt in Peloponnesum & Messenen instaurârunt, anno 3 Olymp. 102, ut Pausanias refert in Messenicis.

4. Roma urbs condita anno M. 3220, qui est annus 8 Ahas regis in Juda; annus 1 Olymp. 7. Ab hoc anno numerantur anni V. C. Regnavit Romulus annos 37. Dionys. Halic. Plutarchus. Hinc ad Monarchiam Julii Cæs. anni 700.

SENNACHERIB aliàs SANHERIB.

Sennacherib rex IV Assyriorum & Babyloniorum cœpit regnare anno M.3235, & regnavit annos 7. Vocatur etiam Sanherib Esaiæ 36. vers. 1. Hic anno 24 Hiskiæ regis in Juda obsidione cinxit Hierosolymam, quam per suos ministros multis blasphemiis ad deditionem adigere voluit; sed Deus ad preces regis Hiskiæ per angelum suum unâ nocte totum Sennacheribi exercitum fudit occisis 185000 hominum. Quâ strage factâ rex Sennacherib summo cum dedecore relictâ Hierosolymâ reversus est in urbem Niniven, ubi quum in templo adorâsset idolum suum Nisroch, à filiis suis Adramelech & Sarezer interfectus est, quibus in Armeniam profugientibus Essarhaddon tertius filius regni gubernationem suscepit. Historiam Sennacheribi lege 2 Reg. 18. à vers. 13 usque ad finem capitis 19. item Esaiæ capp. 36. 37.

Synchronismus.

1. Ezechias sive Hiskias incidit in gravissimum morbum, quem pestem fuisse consentaneum est, sed ad pias preces Deus per prophetam Esaiam ipsi denunciat sanitatem à morbo, & vitæ ad 15 annos prorogationem, idque confirmat miraculoso regressu umbræ in horologio solario ad 10 gradus, atque adeo ipsius Solis, ut deinde Brodach Baladan de ratione hujus miraculi cognoscenda literas & dona regi Hiskiæ miserit, 2 Reg. 20. Esai. 38. & 2 Chron. 32. vers. 24, &c.

2. To-

2. Tobiæ historia incipit circa obitum Sennacheribi. Abductus enim fuerat Tobias cum sua familia per Salmanassarem, quum 10 tribus abducerentur in Assyriam.

3. Sethon rex & sacerdos Ægypti à Sennacheribo qui Pelusium obsederat frustra est bello petitus. Etenim Sethon ad dæmonem suum confugiens impetravit, ut mures catervatim in Assyriorum castra irruperint, & pharetras, lora, ac sagittas arroserint, ipse verò Sennacherib cum dedecore ac ignominia discesserit. Postea verò Sethon dæmoni illo suo imaginem Sennacheribi dedicavit, quæ in manu tenuit murem cum hac inscriptione: εἰς ἐμὲ τις ὁρέων εὐσεβὴς ἔστω. Herodotus lib. 2. Ita in Ægyptiaco templo per ludibrium collocata est statua Sennacheribi. David Chytræus in sua Chronologia existimat Herodotum hic memoriâ vel inscitiâ lapsum voluisse obsidionem Hierosolymitanam à Sennacheribo factam describere, sed veram historiam ipsi non fuisse integrè notam.

4. Tempore Sennacheribi in Media, ubi vixit Tobias, regnavit Medidus tertius rex Medorum.

ASSARHADDON.

Assarhaddon v & ultimus rex in Assyria & Ninive, filius Sennacheribi, cœpit regnare anno M. 3242, & regnavit annos 10. Sub hoc Assarhaddone accidit altera mutatio hujus Monarchiæ, quâ Babylonii, qui à tempore Sardanapali interempti inferiores fuerunt Assyriis, jam facti sunt superiores. Quum enim filii Sennacheribi post patratum parricidium exularent, & nihilominus fratri Assarhaddoni regnum tenenti bellum facerent, interim Merodach intestini hujus belli occasione ductus de amplificanda Babyloniæ, cui præfectus erat, dignitate cogitaret, ab Assarhaddone defecit, quem bello vicit, & omnem Assyriacam dignitatem in Chaldæam transtulit. Hinc Babylonicum ἀξίωμα mirificè fuit auctum, & ipsa urbs Ninive per Babylonios devastata & eversa est.

Synchronismus.

Cardiceas rex IV in Media regnat.

ME-

MERODACH.

Merodach eo modo ut dictum est domitis Assyriis factus est Chaldæus Monarcha, & cœpit regnare anno M. 3250, regnavitque annos 28, nempè post devictum Assarhaddonem. Ab hoc regnum Babylonicum seu Chaldaïcum dicitur regnum Merodach, Jerem. 50. v. 2. Dicitur etiam hic Merodach Brodach Baladan, 2 Reg. 20. v. 12. & à Ptolemæo Mardocempados.

Synchronismus.

1. Hiskias legatis regis Merodach, qui partim miraculi in Solis regressu cognoscendi caussâ, partim recuperatam valetudinem gratulandi erant missi, ostendit thesauros, & propterea à propheta Esaia objurgatur, 2 Reg. 20. vers. 13. & seqq. 2 Chron. 32. vers. 25. Esai. 39.

2. Manasse rex XIV in Juda succedit patri Hiskiæ duodecennalis, & regnavit annos 55. Idololatriæ admodum fuit addictus, sed correptus à Deo per durissimam captivitatem in Babylone ad meliorem mentem rediit, ut liberatus & in urbem Hierosolymam redux idolorum cultus amoverit. In annis regni 55 continentur etiam anni captivitatis. Historiam Manassis lege 2 Reg. 21. à vers. 1 ad vers. 18. & 2 Chron. 33. à vers. 1 ad vers. 21. Initium regni Manassis incidit in annum 6 regni Merodach. Scribunt Rabbini Manassis tyrannico mandato Esaiam prophetam serrâ fuisse dissectum.

3. Medorum rex fuit Dejoces ab anno M. 3259, per annos 53, vir sapiens & justus, qui condidit Ecbatana, Herodotus lib. 1. Creditur hic Dejoces fuisse Arphacsad, cujus dux fuit Holophernes à Judita interfectus.

4. Gygis regnum in Lydia incidit in hæc tempora circa annum M. 3256. Hactenus à morte Herculis in Lydia regnârunt Heracl dæ per annos 505 usque ad mortem Candaulis, qui ex Heraclidis fuit postremus, interfectus à satellite suo Gyge, qui in regno successit idque gubernavit annos 38, uxore Candaulis potitus. Gygis posteri dicti sunt Mermnadæ, ex quibus fuit Crœsus, Herod. lib. 1. Fabulam de Gygis anulo vide in Chiliadibus Erasmi.

5. Romulus moritur anno M. 3257, ætatis 55, regni 37; succedit Numa secundus Romanorum rex anno M. 3258,

M. 3258, regnavitque annos 43. Vide Dionys. Halic. lib. 2.

BEN MERODACH.

Fuit Ben Merodach filius Merodach, quod etiam nomen indicat; qui cœpit regnare anno M. 3278; regnavit annos 21. Hujus sacra Scriptura non meminit.

Synchronismus.

1. Post Sethonem in Ægypto sequuti sunt 12 Duces, de quibus Herodotus lib. 2. Ex hisce quomodo Psammetichus, quòd inter cæteros nullam à Vulcani sacerdote accepisset phialam, & pro hac suam usurpasset galeam, regnum adeptus sit, legatur apud Herod. dicto loco. Regnavit Psammetichus in Ægypto annos 54. Hinc porrò certa series annorum & rerum in Ægypto gestarum apud Herodotum extat.

2. Ardys rex secundus Lydorum defuncto Gyge cœpit regnare anno M. 3294, regnavitque annos 49. Fuit filius Gygis: & Prienenses expugnavit, Herod. lib. 1.

NABUGDONOSOR primus.

Hic Nabugdonosor in ordine sequitur Ben Merodachum, quamvis ab aliis præteritur. Cœpit regnare anno M. 3299, & regnavit annos 35.

Gessit bellum cum rege Ægyptio Necho, cui infeliciter sese immiscuit Josia rex in Juda, qui interfectus est in Megiddo. 2 Reg. 23. vers. 29. & seqq. Item 2 Chron. 33. vers. 21. & seqq.

Synchronismus.

1. Amon rex XV in Juda succedit patri Manasse anno M. 3311, & regnavit annos 2. Impius fuit. Vide 2 Regum 21. vers. 19. & seqq. Item 2 Chron. 33. v. 21. & seqq.

2. Josia rex XVI in Juda succedit patri Amon, puer octennis, regnavitque annos 31. Piissimus princeps & puritatis divini cultus instaurator ac sincerus reformator. Ejus historiam lege 2 Reg. 22. 23. usque ad vers. 31. & 2 Chron. 34. 35. In hoc Josia completum est vaticinium prophetæ illius qui ex Juda mittebatur in Bethel ad Jeroboam, quòd esset mactaturus Sacerdotes excelsorum.

Con-

Confer 1 Reg. 13. verſ. 2. & 2 Reg. 23. verſ. 15, 16, 17.

3. JEREMIAS propheta concionari ac prophetare incipit ſub Joſia, & quidem anno regni Joſiæ 13. Vide Jerem. cap. 1. verſ. 2. Concionatus eſt annos 41 & ultra, ſiquidem ab anno 13 Joſiæ ad annum 11 Zedekiæ ſunt anni 41, & poſtea etiam in Ægypto prædicavit, Jerem. capp. 43. 44.

4. Pſammeticho in Ægypto ſuccedit Necho rex, qui regnavit annos 17, Herod. lib. 2. Contra hunc, quum regem Aſſyriorum eſſet debellaturus, arma temerè ſumebat Joſias, ſed triſti eventu. Periit enim ſagittâ trajectus. Vide 2 Reg. 23. verſ. 29. & 2 Chron. 33. verſ. 21. & ſeqq.

5. Phraortes rex VI Medorum ſucceſſit Dejoci anno M. 3311, & regnavit annos 22, Herod. lib. 1. Dejocis filius fuit, & Perſas in Medorum poteſtatem ſubegit. Periit in bellô quod contra Aſſyrios moverat, Herodot. d. l.

6. Defuncto Numa Pompilio ſecundo Romanorum rege devolvitur regnum ad Tullum Hoſtilium, qui tertius Romanorum rex cœpit regnare anno M. 3301, & regnavit annos 32. Dionyſ. Halic. lib. 3. Veriſimile eſt, eodem anno mortuos eſſe Nabugdonoſorem primum, Phraortem Medum, & Tullum Hoſtilium, videlicet anno M. 3333.

7. Battus filius Polymneſti & Phronimes ex inſula Thera coloniam duxit in Libyam, & urbem Cyrenen condidit, Herod. lib. 4.

8. Cypſelus pater Periandri tyrannidem exercet Corinthi. Fuit filius Eetionis, & regnavit annos 30, Herod. lib. 1. & lib. 5.

NABUGDONOSOR Magnus.

Cœpit hic Nabugdonoſor regnare anno M. 3347, & regnavit annos 44. ſic ſupputat Bucholtzerus, quod ſi verum eſt, à morte Nabugdonoſoris primi ad regnum Nabugdonoſoris magni interjecti ſunt anni 14. Porrò hic Nabugdonoſor aliàs dicitur Nebucadnezar, in hiſtoria ſacra celebratiſſimus propter exilium tribus Juda in Babylone. Ejus mentio fit 2 Reg. 24. 25. & 2 Chron. 36. v. 6. & ſeqq. Danielis capp. 1. 2. 3. 4. Jerem. 25. verſ. 1. & 39. verſ. 1. & alibi.

Syn-

Synchronismus.

1. Joahas rex XVII in Juda succedit patri Josiæ, & regnavit menses 3. victus deinde à Pharaone Necho rege Ægypti & regiâ dignitate exutus. In ejus locum Necho surrogavit fratrem ejus Eljakim, quem mutato nomine vocavit Jojakim, 2 Reg. 23. vers. 31,&c. 2 Chron. 36. vers. 1. & seqq.

2. Jojakim antea Eljakim dictus, filius Josiæ, frater Joahas, rex XVIII in Juda constituitur à Necho rege Ægypti, & regnat ab anno M. 3344 annos 11. Contra hunc prodiit rex Babylonius Nebucadnezar, & Jojakim sibi subjecit per triennium. Quo elapso defecit à rege Babylonio sed magno suo malo. Reversus enim Babylonius cepit Jojakim, eumque interfici jussit, & cadaver ante urbem Hierosolymam inter cætera cadavera projici, ut prædixerat Jeremias cap.22. versf.18,19. Sepulturâ asini sepelietur, hoc est, sepulturæ honore privabitur. Historiam Jojakim lege 2 Reg.24. à v.1 ad 7.& 2Chronic. 36. versf.5,6,7,8. & Jerem 22. à v. 13 ad 24, & cap. 36. vers. 23. ubi librum Jeremiæ igne combussit annis fermè 7 ante obitum.

3. Jechonias, aliàs Jojachin rex XIX in Juda, succedit patri Jojakim eodem anno quo sepulturâ asini fuit sepultus. Quum autem regnasset tres menses & 10 dies, abductus est una cum preciosis quibusdam vasis templi in Babylonem, posteaquam consilio Jeremiæ spontaneam deditionem fecit. Vocatur etiam Chonia, Jerem. 22. vers. 24. & 37. vers. 1. Anno 37 ab abductione in Babylonem iterum exaltatus est, ut dicetur. Historiam Jechoniæ lege 2 Reg. 24. vers. 8 usque ad 18. 2 Chron. 36. versf 9, 10. Jerem. 52. vers. 31. & seqq. item 2 Regum 25. vers. 27, &c.

4. DANIEL propheta abductus est in Babylonem in prima expeditione Nebucadnezaris quâ Jojakim extinctus est. Quare Jechoniæ & Danielis transmigratio incidit in eundem annum M. 3354 Incipit igitur hoc anno LIBER DANIELIS.

5. Zedechias patruus Jechoniæ rex XX & ultimus in Juda, antea dictus Mathania, à Nabugdonosore constituitur rex in Jerusalem ante finem anni M.3354,& regnat annos 11. Anno regni 9 à Nebucadnezare, à quo defecerat, invaditur, & in biennium obsidetur, vincitur,

tur, & oculis effossis in Babylonem æneis catenis vinctus abducitur, 2 Reg. 25. à verſ. 1 ad 7. 2 Chron. 36. à verſ. 11 ad 21. Jerem. 32. verſ. 1 & ſeqq. Item cap. 37. verſ. 1 & ſeqq cap. 38. 39. verſ. 1 ad 15. cap. 52. verſ. 1 ad 31. Non paruit Zedechias conſilio Jeremiæ, ſed perjurus factus Nabugdonoſori gravem luit pœnam. Vide etiam Ezech. 17. verſ. 16. &c. & cap 21. verſ. 30. Sub hoc igitur Zedechia deletum eſt regnum Juda, dum Chaldæi primò in urbem Hieroſolymam magnâ fame afflictam irruerunt, & regem Zedechiam ceperunt, ejuſque milites trucidarunt, 2 Reg. 25. verſ. 4. &c. Deinde Nebuſar Adam dux belli regis Nabugdonoſoris urbem Hieroſolymam diruit, & populum captivum abduxit, 2 Regum 25. verſ. 8 ad 22. Denique abducti quoque ſunt illi, qui in Judæa ſub præfectura & gubernatione Gedaliæ erant relicti, 2 Reg. 25. verſ. 12. ad 26. & Jerem. 52. v. 30. Et hoc accidit anno 22 regni Nabugdonoſoris, qui eſt annus M. 3369.

6. Hæc ergò eſt CAPTIVITAS BABYLONICA, quæ duravit annos 70 juxta vaticinium prophetæ Jerem. cap. 25. verſ. 11. cujus complementum vide Danielis 9. verſ. 2. Initium hujus Captivitatis ponitur in anno M. 3365. à recentioribus 3417, ubi diſtantia eſt annorum 52. Cœpit captivitas anno regni Nabugdonoſoris 18. viditque hic rex in ſuo regno captivos Judæos per annos 26.

7. Ezechiel propheta incepit concionari anno 5 tranſmigrationis Jechoniæ in terra Chaldæorum inter captivos Judæos, Ezech. 1. verſſ. 1, 2, 3. Abductus eſt hic propheta cum Jechonia in Babylonem, ubi de futuro excidio Hieroſolymæ vaticinatus eſt eodem tempore quo Jeremias in Judæa, nempe ſexennio ante ipſum excidium.


8. Pharao Necho bello invaditur à Nabugdonoſore, vincitur, & eò adigitur, ut neque ipſe neque poſteri ejus aliquid moliantur contra Chaldæos. Omnia enim quæ Pharaonis erant Nabugdonoſor abſtulerat, quod accidit circa tempora Jojakim, 2 Reg. 24 verſ. 7. Jerem. 46. v. 2. ubi notatur annus 4 Jojakim. De hoc Necho, qui regnavit annos 17, vide Herod. lib. 2.

9. Pſammis, aliàs Spammus filius Necho regnat in Ægypto annis 6, & in Æthiopia bellum geſſit. Herod. lib. 2.

10. Apryes filius Psammis regnat in Ægypto annis 25, ut tradit Herod. lib. 2. Alii ei tribuunt annos 35, ut Chytræus & Zwingerus. Hic est ille Apryes quem Jeremias propheta vocat Ophrea cap. 44. vers. 30. & cui Deus minatur gladium Cyrenæorum Ezech. 29 vers. 1. &c. & cap. 30. vers. 20. ubi vaticinatur contra Ægyptum. Delevit Sidonem, & Jeremiam interfecisse scribitur, postea victus à Græcis ad Cyrenen ab Amasi duce, qui Cyrenaicam, quæ defecerat, pacavit, strangulatus est, quod Jeremias prædixerat cap. 44. v. 30. De Aprye vide Herod. lib. 2.

11. Cyaxares rex VII Medorum successit Phraorti anno M. 3334, & regnavit annos 40. Hic totam Asiam usque ad Halym fluvium Medis subjecit, & Niniven cepit, ut à propheta Nahum erat prædictum, Herodot. lib. 1.

12. Astyages VIII Medorum rex successit Cyaxari patri anno M. 3374, & regnavit annos 35. Fuit sororius Crœsi Lydorum regis & avus Cyri maternus. Soror autem Crœsi fuit Aryene. De Astyage vide Herod. libr. 1. Natus est Astyages Cyaxare patre, & uxorem habuit Aryenen filiam Halyattæ Lydorum regis, sororem Crœsi. Crœsus enim fuit filius Halyattæ. Tabula est:



13. Sadyattes rex III Lydorum cœpit regnare anno M. 3342, & regnavit annos 12. Fuit filius Ardyis, Herod. lib. 1.

14. Halyattes rex IV Lydorum successit Sadyattæ anno M. 3354, & regnavit annos 57. Gessit bellum cum Cyaxare Medorum rege & Crœsum habuit successorem, Herod. lib. 1.

15. Draconis leges circa initium regni Nabugdonosoris scriptæ traduntur Athenienisibus, tantâ severitate, ut capite pariter omnia delicta plecti jusserit, unde Demades dixit, non atramento sed sanguine esse scriptas. Quare correctæ deinde & abrogatæ sunt à Solone, exceptis iis quæ de cæde erant latæ. Suffocatus est Draco à turba in theatro.

16. So-

16. Solonis νομοθεσία à nonnullis refertur ad finem regni Nabugdonoforis. Chytræus refert ad tempora Amafis regis Ægypti, qui fucceffit Apryi. Fuit Solon philofophus & princeps populi Athenienfis. Videatur Plutarchus in vita Solonis.

17. Thales Milefius circa hæc tempora in Græcia floruit, fic dictus à minoris Afiæ civitate Mileto ex qua fuit oriundus. Phyfiologiæ & Mathematicæ fundamenta docuit, & inter feptem Sapientes Græciæ fuit connumeratus. Ei tribuitur nobilis hæc fententia; Ἐγγύα πάρα δ᾽ ἄτη Senex in Spectaculo Gymnici certaminis à turba & æftu extinctus eft.

18. Ancus Martius rex IV Romanorum cœpit regnare anno M. 3333, & regnavit annos 24, nempè ufque ad annum 9 regni Nabugdonoforis; quo Jojakim in Babylonem fuit abductus. De hoc Martio vide Dionyf. Halic. lib. 3.

19. Tarquinius Prifcus fucceffit Anco Martio anno M. 3357, qui eft annus U.C. 138. Regnavit annos 38, & fuit in ordine rex V, Dionyf. Halic. lib. 3.

EVILMERODACH.

Evilmerodach filius Nabugdonoforis Magni fucceffit patri anno M. 3390, & regnavit annos circiter 28; alii tribuunt ei annos 30. Ejus mandato Jechonias in Babylone ex carcere liberatus eft & regio honore affectus, quod accidit anno I regni Evilmerodach, qui eft annus 37 tranfmigrationis Jechoniæ, 2 Reg. 25. verf. 27. &c. & Jerem. 52. v. 31. & feqq.

Synchronifmus.

1. Libri *Regum & Chronicorum* hic finiuntur. Quid autem interea de Judæis actum fit in Babylone cognofcendum eft ex hiftoria Danielis.

2. Amafis Ægypti rex fucceffit Apryi, & regnavit annos 44. initio regni facto ab anno M. 3401 vel circiter. Fuit confederatus Crœfi & amicus Polycratis Samiorum regis, Herod. lib. 2. & lib. 3.

3. Crœfus rex V Lydorum patri Halyattæ fuccedit anno M. 3410, & regnavit annos 14. Ephefum & vicinas urbes Ionicas fuo regno adjecit. Cum Aftyage forio bellum geffit & victor evafit, Herod lib. I.

4. Cyrus capto Astyage avo materno Medorum rege ditissimo inchoat regnum suum in Media & Persia, & regnavit ab anno M. 3413 annos 30. Cum Cyaxare verò Astyagis filio, quem Daniel nominat Darium Medum Ahasueri filium, cap. 6. vers. 1 & 29. item cap. 9. v. 1. regnavit annos 20, priusquam Babylonem caperent. Hic Cyrus in sacris literis vocatur Coris, Esaiæ 44. vers. 28. & cap. 45. vers. 1. 2 Chron. 36. vers. 22. Esdræ cap. 1. v. 1, 2. De Cyro vide Herod. lib. 1. & Justinum lib. 1. & 5.

5. Septem Sapientes Græciæ floruerunt hoc seculo: 1. Solon Atheniensis. 2. Thales Milesius. 3. Chilon Lacedæmonius. 4. Bias Prienensis. 5. Pittacus Mitylenæus. 6. Cleobulus Lyndius ex Rhodo. 7. Periander Corinthius. Hisce addantur σύγχρονοι Philosophi & Poëtæ, Pythagoras, Phocylides, Epicharmus, Anaximander, Anacreon, Arion Musicus, Stesichorus, &c. Item Æsopus fabularum autor & Zaleucus Locrensium legislator, Epimenides Cretensis, Anacharsis, &c.

6. Pisistratus filius Hippocratis Nisæam arcem capit & astu tyrannidem Athenis occupat, unde ejectus ab Alcmæonidis Eretriæ in Eubœa exulat annos 11, Herod. lib. 1. Rediit autem Athenas circa annum M. 3414. Quomodo deinde Pisistratidæ Athenis fuerint pulsi narrat Herodotus lib. 5.

7. Servius Tullius VI rex Romanorum succedit Tarquinio Prisco anno M. 3395, qui est annus 600 à morte Æneæ, annus U.C. 176 Regnavit annos 44, Dionys. Halic. lib 4.

8. Phalaris Siciliæ tyrannus crudelissimus, qui falsum lento torruit igne bovem fabricatore Perillo, in quo primum hujus supplicii experimentum factum est, tempore Evilmerodachi, vixit circa annum M. 3400. Chytræus refert ad annum M. 3334, vel circiter.

BALTHASAR.

Post Evilmerodach alii ponunt Regassar, qui etiam Assur vocatur, item Niglissar seu Niglossor, quem Josephus lib. 10 Antiquit. cap. 12. dicit filium Evilmerodachi, eique tribuit annos 40 magno errore, quum Berosus ei tribuat annos 4. Post hunc Niglossor idem Josephus eodem loco ponit Labasardachum filium, eique tribuit 9 menses. Ut ut sit, accedimus nos ad Balthasarem, qui

à Da-

à Daniele vocatur Belsazer, & cœpit regnare anno M. 3418, & regnavit annos 17, ut Josephus affirmat lib. 10 ant. cap. 12. Herodotus eum vocat Labynitum, libr. 1. Vide Dan. cap. 5. & 7. v. 1. Insignis extat narratio apud Daniel. cap. 5. de blasphemiis hujus Balthasaris adversus Deum Israël, & profanatione sacrorum vasorum quæ avus ejus Nebucadnezar ex templo Hierosolymitano secum Babylonem avexerat. Extat etiam ibidem exemplum divinæ vindictæ, quam Deus in blasphemo illo & luxurioso rege ostendit. Vidit rex inter pocula manum parieti inhærentem & certas quasdam literas pingentem, quas nisi unus Daniel nemo neque legere neque interpretari potuit. Sensus autem fuit: Deus perfectè numeravit regnum tuum, hoc est, certam metam ac periodum ei statuit, quæ ad finem est deducta; in trutina examinatus es & nimis levis es inventus, hoc est, autoritas tua periit; regnum tuum divisum est, & Persis ac Medis traditum, Dan. 5. vers. 25. & seqq. Nempè hoc significavit illa scriptura: Periodis circumactis collabitur imperiorum autoritas & sequitur divisio. Et sanè ea ipsa nocte quâ Balthasar securè inter pocula hærens digitos ad parietem scribentes videbat, regnum Babylonicum Medis & Persis præda factum est, & ipse rex miserè trucidatus est à duobus Satrapis Gobrya & Gadata, ut refert Xenophon lib. 7. Cyri pæd. eò quòd rex per ignominiam Gadatam castrasset, Gobryæ verò filium in venatione interemisset. Hinc conspiratio horum duorum Satraparum contra Balthasarem & simul defectio ad Cyrum orta est, cui omnem modum ac viam occupandi Babylonem ostenderunt. Cyrus Euphrate fluvio Babylonem interluente in fossas deducto per alveum introduxit exercitum in urbem Gobrya & Gadata præeuntibus, qui arcem regiam ingressi ipsum regem trucidarunt & urbem Cyro tradiderunt, quod factum est anno M. 3434, anno captivitatis Babylonicæ 70.


Synchronismus.

1. Daniel in visione videt quatuor bestias præcipuorum regnorum imagines, videlicet Assyrii, Persici, Græci & Seleucidarum. Daniel cap. 7. Et triennio pòst visionem habuit de ariete hircum feriente, cap. 8.

2. Crœsus felicitate ebrius victo Astyage sororio & explorata oraculorum veritate, imprimis Delphici: Κροῖ-

σος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει, hoc eſt, Crœſus Halyn ſuperans magnam pervertet opum vim: bellum movet adverſus Cyrum Medorum & Perſarum regem; ſed in Cappadocia vincitur, & ſtatim poſtea Sardibus obſeſſus à Cyro capitur, atque ita finem regni Lydorum facit, quod duravit annos 170, Herod. lib. 1. Factum eſt anno M. 3425. Hoc ergo modo Perſicum regnum acceſſione regni Lydiæ adauctum eſt, & Crœſus imperratâ clementiâ conſiliarius Cyri factus eſt.

3. Cyrus quum continentem univerſam ſuæ ditionis feciſſet, Aſſyriis bellum intulit. Aſſyriæ autem celeberrimum oppidum & validiſſimum erat Babylon, ubi poſt everſam à Babyloniis Ninivem regia erat, in qua Balthaſar, aliàs Labynitus dictus regnabat. Adverſus hunc Cyrus exercitum duxit operâ & auxilio Cyaxaris ſeu Darii Medi ſoceri, Babylonem occupavit, & interempto Balthaſare totum Babylonicum ſeu Aſſyrium regnum Perſico regno adjunxit. Hæc eſt deſtructio *primæ Monarchiæ*, & initium *Monarchiæ ſecundæ*, quæ incidit in annum M. 3435, juxta recentiores 3487, ubi diſtantia eſt annorum 52. Vide Dan. cap. 5. & Herod. lib. 1. Nota Cyri genealogiam:



Quare Darius Medus fuit & avunculus & ſocer Cyri.

Idea & quaſi ἀνακεφαλαίωσις primæ Monarchiæ cum Synchroniſmis.

Prima Monarchia, quæ Aſſyriorum, item Babyloniorum, item Chaldæorum dicitur, initium ſumpſit à Nimrodo & deſiit in Balthaſare, nempè ab anno M. 1788, uſque ad annum 3435. Duratio igitur eſt annorum 1647.

In hac verò Monarchia ſunt duo intervalla, quorum primum

primum eſt à Nimrodo uſqe ad Sardanapalum & continet reges 38, annos 1360; alterum intervallum eſt in diſtractione Monarchiæ in duo regna, Medorum & Babyloniorum. In regno Medorum ab Arbace ad Cyrum uſque numerantur reges 10: & in regno Babyloniorum à Phul Belocho uſque ad Balthaſarem fuerunt reges 11.

Occaſione belli inteſtini inter Aſſarhaddonem Aſſyrium & ejus fratres exules Merodach Aſſyriorum regnum Babylonico adjecit, quâ acceſſione Babylonicum regnum valde amplificatum eſt. Duo igitur jam florent regna, Medorum & Babyloniorum deletâ urbe Ninive. Tandem per conjunctionem Medorum & Perſarum tranſlatum eſt Babyloniorum regnum ad Perſas, ubi primus Monarcha fuit Cyrus.

In Synchroniſmo conſiderantur hiſtoriæ tum ſacræ tum profanæ.

Hiſtoriæ ſacræ ſub prima Monarchia incipiunt à vocatione Abrahæ ex Ur Chaldæorum, & deducuntur uſque ad finem captivitatis Babylonicæ. Diſtingui poſſunt in tres claſſes: prima eſt ab Abrahamo uſque ad Moſen, in qua ſtatus OEconomicus fuit; Secunda à Moſe ad Samuelem, in qua fuerunt 16 duces ſive judices; Tertia à Saule uſque ad Zedechiam qui in Babylonem abducebatur; & in hac claſſe ſtatus fuit regius, qui ſub Saule, Davide & Salomone manſit integer; poſt Salomonis verò obitum diſtractus eſt in regnum Juda, & regnum Iſraël. In regno Juda numerantur à Rehabeamo ad Zedechiam 20 reges. In regno Iſraël à Jeroboamo uſque ad Hoſeam reges 19.

Hiſtoriæ profanæ ſub prima Monarchia ſunt Ægyptiorum, Græcorum, Lydorum & Italorum.

In hiſtoriis Ægyptiorum tenendum eſt ab aliis plures, ab aliis pauciores reges recenſeri, & hanc varietatem inde eſſe ortam, quòd à ſcriptoribus nulla eſt tradita temporum diſtinctio. Conſtat tamen ex hiſtoria ſacra tempore Abrahami in Ægypto fuiſſe regnum, unde ejus antiquitas perſpicitur & integritas uſque ad Monarchiam ſecundam, in qua Cambyſes filius Cyri Ægyptum bello domuit & Perſicæ Monarchiæ adjecit.

In rebus Græcorum obſervetur duplex eſſe hiſtoriarum genus; primum earum quæ ante Olympiadas contigiſſe ſcribuntur, & hæ propter admixtas poëtarum fa-

bulas admodum obscuræ sunt & incertæ, cujusmodi sunt de regno Sicyoniorum, Argivorum, Atheniensium, Lacedæmoniorum, Corinthiorum & Macedonum, &c. item de Heraclidis, bello Thebano, Argonautica expeditione, bello Trojano & similibus. Alterum genus est illarum historiarum quæ leguntur accidisse post Olympiadas, & propter temporum distinctionem majorem habent certitudinem, ut sunt res inter Athenienses, Lacedæmonios, Thebanos & alios Græcos gestæ.

In rebus Lydorum itidem duo observanda sunt: 1. Quæ acta sunt inter Heraclidas, nempè ab Hercule usque ad Candaulem, qui fuit ultimus Heraclidarum, & hæc maximâ parte sunt fabulosa. 2. Quæ acciderunt à Gyge usque ad Crœsum, & ab Herodoto certioribus circumstantiis describuntur.

In rebus Italorum etiam duo sunt tenenda: Primum est eorum quæ acciderunt sub regibus Latinorum, videlicet ab Ænea usque ad Amulium, ubi numerantur reges 15; deinde quæ facta sunt sub regibus Romanorum, videlicet à Romulo usque ad Servium Tullium, ubi numerantur reges 6. Etenim anno 40 regni Servii Tullii finita est prima Monarchia, & Cyrus in Persia secundam inchoavit. Regnavit autem Servius annos 44, quem sequutus est L. Tarquinius Superbus, qui incidit in initium Persicæ Monarchiæ. Finis.

Monarchia Persarum.

MOnarchiam Assyriorum excepit Monarchia Persarum, quæ etiam Medorum dicitur, quòd conjunctâ operâ Darii Medi & Cyri Persæ victis Babyloniis est constituta. Est autem Persia sive Persis regio Asiæ sita Judææ ad Orientem. Mediam habet ad Septentrionem; ab Oriente duas Carmanias; ab Austro sinum quem vocant Persicum; ab Occasu Sosianum. Vel ut hodie recentiores in tabulis annotant, à Septentrione Zagatajorum fines attingit; ab Ortu Mogororum; ab Austro regnum Ormuzii; ab occasu longissimo tractu Persiæ conterminus est Turca. Primam originem Persæ ducunt ab Elam filio Sem, de quo Gen. 10. vers. 22. unde Elamitæ dicti sunt Act. 2. vers. 9. Videatur etiam Josephus lib. 1. antiquit. cap. 7. ubi ait: Semæ tertio Noë filio filii fue-

lii fuerunt quinque, qui Asiam usque ad Indicum Oceanum incoluerunt, ab Euphrate propagandæ ditionis initio facto. Nam Elymus posteros reliquit Elymos, à quibus Persæ originem traxerunt. Metropolis Persiæ fuit Susan. Hodie Persia suum habet regem, qui non est subjectus Turcico imperio, sed regnum suum contra Turcam fortiter defendit. Porrò quum Monarchiæ titulo celebraretur, quicquid Turcico imperio jam subjacet, ejus potestati fuit subjectum. Europam tamen non attigit, quamvis Xerxes ingenti illâ expeditione in Græciam id tentarit. In ordine regum inter Metasthenem & Græcos scriptores non convenit. Nam Metasthenes Cambysen, & Xerxen præterit, quia Cambyses vivo patre qui jam in Scythiam exercitum duxerat, regnavit, unde ejus anni Cyro tribuuntur: Xerxes verò exercitum in Græciam ducens filio Dario Longimano regnum tradidit. Nos sequemur ordinem Græcorum.

CYRUS.

De hujus familia & genealogia in superioribus à nobis dictum est. Quum 24 annos regno Medorum & Persarum præfuisset, & Lydiam devicto Crœso suam fecisset, Assyriorum etiam & Babyloniorum regnum suo adjecisset, omne regium ἀξίωμα ad Persas transtulit, & sic secundam Monarchiam, quæ Persica dicta est, constituit. Cœpit itaque primus esse Monarcha anno M. 3435, & regnavit in Monarchia annos 7. Bellum gessit contra Massagetas Scythiæ populos Crœso frustra dissuadente, sed infelici eventu. Anno enim septimo hujus belli à Tamyri regina captus & interfectus est, ubi regina caput ejus resectum in utrem sanguine repletum injecisse dicitur additis hisce verbis: Satiare sanguine qui sanguinem sitivisti, Herod. lib. 1. & Justinus lib. 1. Xenophon Cyrum in lecto placidè mortuum esse scribit. Nihil esse certi monet Gulielmus Xylander.

Synchronismus.

1. Babylonica Judæorum captivitas, quæ fuit annorum 70, ut prædixerat Jeremias cap. 25. vers. 11. permissu Cyri solvitur, 2 Chron. 36. vers. 22. & Esdræ 1. vers. 1. ubi dicitur solutio hæc facta anno primo regni Cyri, quod intelligendum est de regno Babylonico, hoc est, quo

Cyrus rex Babyloniæ factus est. Accidit igitur hæc solutio anno M. 3435, vel juxta recentiores 3488.

2. Regiâ Judæorum dignitate per captivitatem Babylonicam deletâ instituitur nova imperii forma, videlicet potestas Pontificum & Ducum seu Principum. Ex Pontificibus primus fuit JESUA filius Jozadak; ex ducibus primus Zorobabel, Esdræ cap. 2. vers. 2. & cap. 3. vers. 2. Haggæi 1. vers. 1. Jesua Zachariæ prophetæ in visione ostenditur Zach. cap. 3. Tribuuntur autem Jesuæ in suo pontificatu anni 36, & Zorobabeli in suo principatu anni 47.

3. Liber Esdræ incipit continens historiam dimissionis populi Judaïci ex Babylone in Palæstinam à primo anno Cyri usque ad annum primum completum migrationis Esdræ ex Babel, de qua Esdræ cap. 8. Totus liber 10 capitibus enarrat acta annorum 80. Sunt qui hunc librum extendunt ad annum 19 Artaxerxis Longimani, quo compleri volunt septem illas hebdomadas Danielis, de quibus cap. 9. vers. 25. hoc epilogismo:

Cyrus cum Cambyse filio	9.
Duo Magi	1.
Darius Histaspis	20.
Artaxerxes Longimanus	19.
	49.

Alii qui sequuntur Franciscum Junium aliter computant, initium septem illarum hebdomadum ducentes non à Cyro, sed ab anno 2 Darii Nothi, quo intermissa reædificatio Templi cœpit iterum continuari usque ad annum 32 Artaxerxis Mnemonis, quo Nehemias Hierosolymâ iterum abiit in Persiam. Confer Esdræ 4. v. 24. & Nehem. 5. v. 14. & 13. v. 6. Epilogismus est:

Darius Nothus	18.
Artaxerxes Mnemon	20.
Hoc enim anno Nehemias profectus est Hierosolymam, ubi mansit annos 11, Nehem. 2. vers. 1. & cap. 5. vers. 14. item 13. vers. 6.	
Nehemias.	11.
	49.

Eſt etiam diſcrepantia interpretum in nomine Arthaſaſta quod extat Eſdræ 7. verſ. 1. & Nehem. 2. verſ. 1. ubi alii intelligunt Artaxerxem Longimanum, alii verò ex recentioribus Artaxerxem Mnemonem. Cæterùm Franciſc. Junius in argumento ſuper libro Eſdræ hiſtoriam hujus libri inde ab edicto Cyri uſque ad annum 19 Artaxerx. Mnemonis dicit eſſe annorum 146, hoc epilogiſmo:

Cyrus cum Cambyſe	9.
Magi	1.
Darius Hiſtaſpis	36.
Xerxes	22.
Artax. Longimanus	40.
Darius Nothus	19.
Artax. Mnemon	19.
Atque hæc de libro Eſdræ.	149.

4. Exſtructio templi impeditur, ut quidam volunt, per Cambyſen filium Cyri, cui pater expeditionem contra Maſſagetas ſuſcipiens regni adminiſtrationem commendaverat. Sed Franciſcus Junius impedimentum hoc non Cambyſi tribuit verùm Xerxi, quem intelligit per Ahaſuerum Eſdræ 4. verſ. 6. Interim certum eſt, vivis adhuc Cyro & Cambyſe privata conſilia per cuniculos fuiſſe agitata de impedienda ædificatione, quæ tempore demum Xerxis in expeditionem prodierunt. Vide Eſdræ cap. 4. verſſ. 4, 5, 6, 7. Duravit autem horum conſiliorum exſequutio, id eſt, ipſa impeditio ædificationis templi, uſque ad annum 2 regni Darii, Eſdræ 4. verſ. 24, qui eſt Darius Nothus, videlicet annos fermè 41, ſiquidem Arthaſaſta qui eſt Artax. Longimanus regnavit annos 40. Legimus apud Danielem cap. 10. verſſ. 1, 2. quòd Daniel tertio anno Cyri fuerit in luctu, proculdubio quòd videret per Cambyſen & hujus emiſſarios moleſtias fieri Judæis in templi reædificatione.

5. Viſio poſtrema Danielis quæ ipſi oblata fuit anno 3 Cyri quum in Perſia hæreret adhuc apud Cambyſen. Texitur in hac viſione eximium προγνωστικὸν de rebus à Cyri anno 3 uſque ad mundi conſummationem. Vide capp. 10. 11. 12. Ab hac viſione ad conceptum Chriſtum numerantur anni 532.

6. Tar-

6. Tarquinius Superbus ſocero Tullio per gradus præcipitato ſuccedit in regno Romanorum rex VII & ultimus, regnatque annos 25, Dionyſ. Halic. lib 4. item lib. 5.

7. Polycrates Samiorum tyrannus, cujus felicitas tantopere celebratur, circa hæc tempora vixit, poſtea ſtrangulatus à præfectis Sardium. De hoc vide Herod. lib. 3.

CAMBYSES.

Cambyſes rex II Perſarum ſucceſſit Cyro, optimo patri peſſimus filius. Cœpit regnare anno M. 3443. Scilicet ſolus poſt obitum patris. Regnavit annos 8. Homo ſceleratiſſimus, ſacrilegus, quia Ægyptiorum templa diruit, parricida dum fratrem Smerden interfecit, inceſtuoſus dum ſororem uxorem duxit, Herod. lib. 3. Juſtinus lib. 1. Plerique Theologi exiſtimant hunc Cambyſen eſſe qui in ſacris & quidem Eſdræ cap. 4. dicitur Ahaſuerus verſ. 6. & Arthaſaſta verſ. 7. quamvis alii per Ahaſuerum ibi intelligunt Darium Hyſtaſpis. Sed Franc. Junius, ut ſupra monuimus, per Ahaſuerum intelligit Xerxem, per Arthaſaſtam verò Artax. Longimanum.

Synchroniſmus.

1. Amaſis Ægypti rex moritur, in cujus locum ſucceſſit filius Pſammenitus anno M. 3445. Bellum contra hunc ſuſcepit Cambyſes excitatus ad hoc ab ipſis Ægyptiis qui Amaſin oderant, ut Herodotus refert lib. 3. in principio, ubi narratur quomodo Amaſis Cambyſi negaverit filiam & pro hac miſerit filiam Apryis. Quum verò Cambyſes venit in Ægyptum Amaſin invenit mortuum.

2. Pſammenitus quum ſex menſes in Ægypto regnaſſet victus eſt bello à Cambyſe, qui interfectis ejus liberis, uxore & aliis familiaribus, vitæ tamen Pſammenito pepercit, & ut regius præfectus eſſet in Ægypto conceſſit, poſtea defectionis convictum taurino ſanguine epoto enecavit, Herodot. lib. 3. Devicto Pſammenito Ægyptus regno Perſico adjicitur, quod factum eſt anno M. 3446.

DARIUS HYSTASPIS.

Darius Hystaspis rex 111 Persarum successit Cambysi electus à septem principibus post μαγοφονίαν Herod. lib. 3. Quum enim Cambyses mortuus esset ἄτεκνος, & antè fratrem & sororem interemisset, deleta est Cyri posteritas, & regnum devolutum ad hunc Darium, qui fuit filius Hystaspis ex familia Achæmenidarum Hic Hystaspes militaverat Cyro in bello contra Massagetas. Cœpit regnare Darius anno M. 3451, regnavitque annos 36. Persicum regnum distribuit in 20 provincias, & Babylonios qui à Persis defecerant astutiâ Zopyri vicit, Herod. lib. 3. Post captam Babylonem movit bellum Scythicum, ubi Getas quidem vicit, sed Scythas vincere non potuit, Herodot. lib. 4 in princ. Deinde Macedoniam Persiæ vicinam ad se transferre studuit, ideoque ad Amyntam misit legatos, qui ebrii quum immodestiùs attrectassent sinus mulierum interfecti sunt, Herodot. libr. 5. Movit etiam bellum Ionicum, in quo Athenienses Ionibus succurrebant, Herod. lib. 5. & 6. Hinc occasio belli quod Darius movit contra Athenienses, & quod strenuè ursit Hippias Pisistrati filius, qui Athenis pulsus tum temporis exul fuit apud Darium. Sed à Dario dux belli constitutus quum venisset in Græciam, occurrit ei Miltiades Atheniensis ad Marathonem Atticæ urbem non longè ab Athenis sitam, ubi acerrimo prælio commisso Persæ funduntur, quæ est pugna Marathonia, Herodot. lib. 6.

Synchronismus.

1. Utrum Darius Hystaspis sit ille Ahasuerus qui repudiatâ uxore Vasthi uxorem duxit Esther feminam Judaïcam, inter doctos controvertitur. Certum est Herodotum Darii uxorem vocare Atossam (quæ fuit filia Cyri) cum quo convenit nomen Hadassa, quod extat in libro Esther cap. 2. vers. 7. quo ipsa Esther nominatur, ex quo quidam colligunt hunc Darium esse illum Ahasuerum. Herodotus addit Dario concubinam maximè dilectam Aristonam, quam in sacris Esther dici nonnulli affirmant. Franciscus Junius per Ahasuerum in libro Esther intelligit hujus Darii Hystaspis filium Xerxem, ut & Esdræ 4. vers. 6. & addit rationem, quod Chronica histori-

ſtoricæ narrationis ſupputatio non ſatis commodè reſpondeat Dario Hiſtaſpis. Præterea annotat Eſtheram ab Herodoto dici Ameſtrem; ſed quæ de Ameſtri narrantur apud Herodotum, ejuſque crudelitate, nequaquam conveniunt Eſtheræ. Vide Herod. lib. 7. & 9.

2. Haggæus & Zacharias prophetæ concionantur & populum reducem ad aſſiduitatem in templo reædificando hortantur anno 2 regni Darii Hiſtaſpis, Hagg. 1. verſ. 1. Zach. 1. verſ. 1. Sed Franciſcus Junius in hiſce locis intelligit Darium Nothum.

3. Templi ſecundi inchoatio facta eſt anno 2 Darii, Eſdræ cap. 6. verſ. 1. & Hagg. 1. verſ. 1. Sed ut dictum eſt Fr Junius intelligit Darium Nothum. Eſtque annus M. 3452. Sequenti verò anno Darius demum concedit reædificationem. Ex quo liquet Judæos incepiſſe ante impetratam Darii confirmationem. Abſolvitur autem templum anno 6 Darii, Eſdræ 6. verſ. 15. qui eſt annus M. 3456, quum jam ab exitu ex Ægypto abiiſſent anni 1000 plus minus. Fit deinde dedicatio & celebratur Paſcha, Eſdræ d. l. quod eſt primum paſcha in templo ſecundo. Jojakim filius Joſuæ ſummi Sacerdotis patre in Perſiam ad Darium proficiſcente ſuſcipit in ſeſe pontificatum Hieroſolymæ quem adminiſtravit annos 48. Hunc Jojakim aiunt geſta Judith conſcripſiſſe & anniverſariam liberationis memoriam inſtituiſſe. Videatur Philo.

4. *Pugna Marathonia*, in qua Miltiades Athenienſis fudit exercitum Darii, incidit in annum 29 Darii, qui eſt annus M. 3480. Hanc cladem Darii filius Xerxes ulturus ingentem exercitum in Græciam traduxit, ſed infelici conatu ac eventu. De pugna Marathonia vide Herod. lib. 6

5. Piſiſtratidæ pelluntur Athenis, Herod. lib. 5. Factum eſt hoc ante prælium Marathonium anno 20, quum jam Athenis tyrannicè regnâſſent annos 36. Poſtea verò Cliſthenes Alcmæonides Periclis avus maternus cum Iſagora de principatu Athenarum contendit, Herodot. lib. 6.

6. Tarquinius Superbus propter tyrannidem & ſtuprum quod filius Superbus intulerat Lucretiæ Collatini uxori, Româ & regno ejicitur anno M. 3464 die 24 Februar. qui dictus eſt REGIFUGIUM. Atque ita Romæ exſpiravit regius ſtatus, & annuus magiſtratus mandatur

datur

datur consulibus. Vide de hac mutatione Dionys. Halic. lib. 4. Florum lib. 1. cap. 9.

7. Porsena rex Hetruriæ de restituendis Tarquiniis cogitans movet Romanis bellum, ubi Q. Mutius Scævola manum ardentibus focis injicit ad terrendum Porsenam, Dionys. Halic. lib. 5. Est hoc bellum Hetruscum tertium, quod incidit in annum M. 3436. Vide etiam Florum lib. 1. cap. 10.

8. Coriolanus exul vexat Romam, Dionys. Halic. lib 8. in principio.

9. Simonides poëta tempore hujus Darii vixit; patria fuit Tulites, Poëta lyricus, & Cambysis, Darii & Xerxis navale prælium descripsit. A Pausania in convivio rogatus, ut sapiens aliquod dictum proferret, subridens μέμνησο, inquit, ἄνθρωπος ὤν. Pausanias spretâ hac voce quum captivus fame periret recordatus Simonidæ ter exclamavit: O Cæe hospes. Fuit enim Simonides ex Cæa insula oriundus. Vixit etiam hoc tempore Pindarus, item Æschylus & Hippocrates Medicus.

Atque hæc de Dario Histaspis, in cujus historia præcipua bella sunt,

1. Babylonicum, in quo Zopyrus suam Dario probavit fidelitatem. Hic Zopyrus patrem habuit Megabyzum unum è septem μαγοφόνοις, & filium Megabyzum qui Dario militavit in bello Ionico.

2. Scythicum Dario infelicissimum. Scythæ enim ridentes Darium mittunt munera, avem, murem, ranam & sagittam. Discessit Darius magno cum probro & dedecore.

3. Ionicum. Hystiæus Milesius in aula Darii invitus vivebat, & literis ad Aristagoram datis Mileti præfectum suadebat defectionem à Dario. Paret Aristagoras & Ionas ad defectionem solicitat. Hinc Bellum Ionicum, in quo Athenienses sese jungunt Aristagoræ. Postea ipse Hystiæus ad Ionas accessit infelici eventu. Captus enim à Persis & cruci suffixus est.

4. Atheniense. Mardonius Gobriæ filius gener Darii mittitur cum Hippia filio Pisistrati ab Atheniensibus ejecto & apud Darium exule; Sed Mardonius ob rem malè gestam officio movetur, cui sufficitur Datys Medes & Artaphernes filius fratris Darii. Hi ubi in Græciam venerunt, Eretriam expugnarunt, & deinde in

S agrum

agrum Marathonium progressi ab Atheniensibus duce Miltiade cæsi sunt.

XERXES.

Dario in instauratione belli contra Athenienses mortuo successit filius Xerxes, qui fratri Artameni (aliàs Artabazano) sententiam ita ferente Artabano Darii defuncti fratre, fuit prælatus, eò quòd ex Atossa Cyri filia esset prognatus, Herod. lib. 7. in princ. Justinus lib. 7. Cœpit regnare Xerxes anno M. 3487, & regnavit annos 21. In ejus historia præcipuè observanda sunt, 1. Consultatio de continuatione belli contra Athenienses adeoque totam Græciam, ubi suasor fuit juvenis Mardonius sororius Xerxis; dissuasor Artabanus Xerxis patruus, vir gravis & prudens, Herod. lib. 7. 2. Atheniensium cum cæteris Græcis confederatio & συγκρητισμὸς contra Xerxem. Herod. ibidem. 3. Pugna ad Thermopylas, ibid. 4. Pugna navalis ad Artemisium, ibid. 5. Vastatio regionis Atticæ, & templi Delphici direptio, ibid. 6. Pugna ad Salaminem, in qua contigit Persarum clades & turpis fuga Xerxis ex Græcia, Herod. lib. 8. Interfectus tandem est Xerxes ab Artabano. De Xerxe tres ultimos libros insumit Herodotus. Videatur etiam Justinus.

Synchronismus.

1. Liber Esther à doctioribus refertur ad regnum Xerxis, qui creditur esse Ahasuerus ille de quo in illo libro. Dicitur enim cap. 1. vers. 1. obtinuisse regnum ab India usque ad Æthiopiam, quod optimè cum Xerxe congruit. Sunt qui putant regificum illud convivium à Xerxe fuisse institutum post devictos Ægyptios gratulationis gratiâ, & ut Xerxes principum suorum animos ad bellum quod contra Græcos meditabatur, haberet paratiores. Porrò liber Esther narrat statum Judæorum qui post solutionem captivitatis Babylonicæ manserunt in Babel, estque annorum 20 vel circiter. Etenim

cap. 1. vers. 3. cap. 2. v. 16. cap. 3. v. 7. & cap. 7. v. 10.

	Regis Ahasuer.
Convivium fit anno	3.
Esther fit regina anno	7.
Haman suspenditur anno	12
Postea Esther cum Mardochai ad finem usque manet & regnat.	

2. Ægy-

2. Ægyptii quum Dario Hiſtaſpis rebellaverant, anno 2 à Darii morte à Xerxe ſubiguntur, & in arctiorem ſervitutem redacti præſidem accipiunt Achæmenem Xerxis fratrem, quem interjecto deinde tempore interemit Inarus Pſammetichi filius vir Libys. Receptâ igitur Ægypto Xerxes de expeditione in Græciam cogitat, Herod. lib. 7.

3. Zorobabel Princeps Judæorum eodem anno mortuus eſt quo Xerxes ab Artabano Satrapa fuit interfectus, videlicet anno M. 3508.

4. Græci auditâ famâ imminentis belli ſepoſitis ſimultatibus & facto συγκρητισμῷ mittunt legatos ad Gelonem Syracuſarum regem, ad Cretenſes & Corcyræos, Herod. lib. 7. quod accidit anuo M. 3490.

5. Pugna ad Thermopylas, pugna ad Artemiſium, & pugna ad Salaminem factæ ſunt eodem anno M. 3492. In pugna ad Thermopylas Leonides Spartanus cum 300 Lacedæmoniis periit ut ne unus eſſet reliquus, ſed ex Xerxianis perierunt 20000. In pugna ad Artemiſium, quæ fuit navalis, à Græcis victa eſt Perſarum claſſis duce Eurybiâ Lacedæmonio. In pugna ad Salaminem, quæ etiam fuit navalis, duce Themiſtocle profligatus eſt Xerxes, ut in ſcapha per Helleſpontum Sardes profugerit; relicto poſt ſe Mardonio qui bellum continuaret.

6. Athenæ ab hominibus vacuæ à Xerxe poſt cladem ad Artemiſium capiuntur & arx inceditur. Poſt Xerxis verò diſceſſum Mardonius pace à Græcis fruſtrà petitâ urbem Athenarum incendit & ſolo æquavit, nec multò pòſt in prælio ad Platæas duce Pauſaniâ interfectus eſt, Herod. lib. 9.

7. Græci prælio ad Mycalen (quod eodem die quo illud ad Platæas fuit commiſſum) Aſiæ minoris promontorium Perſas terrâ marique vicerunt, & ſic Perſas ex Græcia profligarunt, quo nuncio ad Xerxem Sardibus amori operam dantem allato ipſe in Perſiam fugit.

8. Herodoti hiſtoria finitur, quæ eſt annorum 237. Incipit enim à morte Candaulis, quæ contigit anno M. 3259, & pertexitur uſque ad pugnam ad Mycalen & ad fugam Xerxis, quæ incidit in annum M. 3493. Reliquam hiſtoriæ partem pertexit Thucydides uſque ad bellum Peloponneſiacum. Fuerunt autem in bello Xerxiano Perſici duces Mardonius & Achæmenes; Græci

verò duces Leonides, Themistocles & Pausanias.

9. Aristides præter omne meritum ab Atheniensibus in exilium ejectus anno 3 exilii revocatur, Plutarchus.

10. Themistoclis consilio urbs Athenarum Lacedæmoniis frustra repugnantibus reparatur & instauratur. Athenienses verò suas conjuges & liberos ex Salamine & Trœzene in Atticam reducunt, quod factum est anno proximo post finitum Xerxis bellum, Thucyd. lib. 1. & Plutarchus in Themistocle. Tandem Themistocles pro variis curis & laboribus Atheniensium reipubl. utilissimis malam reportavit gratiam æmulorum invidiâ in exilium ejectus anno 10 post prælium ad Salaminem. Habitavit aliquandiu Argis, sed postea in Persiam profugit ad Artaxerxem Longimanum, apud quem in magna fuit existimatione, Plut. Interim Athenis rerum summam tenebat Cimon filius Miltiadis qui victor erat in pugna Marathonia. Hic Cimon magnam sibi comparabat autoritatem ex pugna ad Eurymedontem fluvium, ubi terrestri & navali prælio eodem die vicit Persas, Thucyd. & Plutarchus in Cimone.

11. Pausanias dux Spartanus infideliter agit cum Græcis spe filiæ Xerxis potiundæ, & secundâ vice absolutus tandem proditur ab Argilio, cui literas in Persiam perferendas tradiderat. Quum autem Ephori ipsum denuò comprehensuri essent, confugit in templum Palladis, in quo fame necatus est, Thucyd. lib. 1. Lacedæmonii deinde quum Themistoclem consiliorum Pausaniæ socium esse Atheniensibus nunciassent, fugit Themistocles ex Peloponneso in Corcyram, inde in Epirum & ad regem Molossorum Admetum, cujus filium manu tenens regis gratiam imploravit. Sed quum Admetus diutius eum defendere non posset in Pydnam missus est, ut inde in Asiam trajiceret, quo delatus & per Artabanum aditum ad regem nactus proditionem patriæ est pollicitus, quam quum regis Artaxerxis jussu jam præstaredeberet, Magnesiæ, ubi aliquandiu securus vixerat, hausto tauri sanguine mortem obiit, Plut.

12. Epicharmus, Sophocles & Euripides circa hæc tempora vixerunt, fabularum scriptores. De Sophocle & Euripide sic judicat Melanchthon, post Scripturam sacram non extare utiliorem sapientiam quàm in illorum tragœdiis.

13. Tre-

13. Trecenti Fabii ad Cremeram à Vejentibus cæduntur anno 4 post pugnam Salaminiam, ut autor est Gellius lib. 17. cap. 21. Dionys. Halic. lib. 9.

ARTAXERXES LONGIMANUS.

Xerxi patri successit filius Artaxerxes cognomento μακρόχειρ id est, Longimanus, quòd alteram manum haberet longiorem. Cœpit regnare anno M. 3508, & regnavit annos 40. τὴν βασιλείαν ὅλην ἐπιεικῶς διῴκησε. Apud Persas in magna fuit autoritate & gratia propter singularem prudentiam.

Synchronismus.

1. Sunt qui putant hunc Artaxerxem esse illum Darium cujus anno 6 templum Hierosol. fuit absolutum, Esdræ 6. vers. 15. Sed Franc. Junius in illo loco per Darium intelligit eum qui νόθος est dictus. Huic etiam Artaxerxi tribuunt quod Daniel prædixerat de exitu edicti seu verbi de reædificanda Hierosolyma, Danielis 9. v. 25. & hinc deducunt initium septimanarum Danielis. Sed Fr. Junius hoc edictum intelligit de Dario Notho, de quo Esdræ cap. 6. vers. 1. Cum Junio consentit Amandus Polanus in hunc locum Danielis. Quòd si prior sententia vera est, rectè huc refertur secunda migratio Judæorum ex Babel, cui interfuit ipse Esdras, Esdræ capp. 7. & 8. idque creditur accidisse anno 7 Artaxerxis; sed Junius hoc intelligit de Artaxerxe Mnemone. Judicent doctiores.

2. Sunt etiam qui putant anno 20 Artaxerxis Longimani Nehemiam accepisse mandatum de urbe Hierosolyma instauranda, Nehem. 2. Sed Junius intelligit ibi Artax. Mnemonem.

3. Joachimo in pontificatu successit Eliasib, eumque tenet annos 21. Hujus fit mentio Nehem 3. v. 1, 20. 21. & cap 12. vers. 10. ubi ex Catalogo pontificum apparet hunc Eliasib fuisse filium Joachimi, nepotem Jesuæ. Estque hic observandum Nehemiam cap. 12. versf. 10, 11. numerare posteritatem Jesuæ usque ad Jaddua, qui Alexandro M. Hierosolymam oppugnaturo obviam processit, Josephus lib. 11 antiquit. capp. 7. & 8. Ex quo liquet verisimilius esse, si hæc Nehemiæ historia refera-

tur ad regnum Artax. Mnemonis, à cujus regno ad regnum Alexandri M. effluxerunt anni 60 vel circiter. Sic enim credibilius est Nehemiam attigisse Pontificatum Jadduæ.

4. Post Eliasib Pontifex Hierosolymæ factus est Jojada filius anno M. 3539, & tenuit Pontificatum annos 23. Hujus Jojadæ fit mentio Nehem. 12. versf. 10, 11. & apud Josephum lib. 11 antiquit. cap. 7. ubi vocatur Judas.

5. Post Zorobabel princeps inter Judæos fuit Resa Mensullam vel Resa Mesyllam filius, qui ab aliis dicitur Mosella, item Riesa. Tenuit principatum annos 66.

6. Athenienses cum Persis iterum bellum gesserunt in Cypro duce eodem Cimone qui ante annos fermè 20 Persas eodem die prælio navali ac terrestri ad Eurymedontem fluvium in Cypro vicerat. Persis autem iterum cæsis occupata est à Cimone insula. Hinc sequuta est pax illa celebris Græciæ firmata inter Athenienses & Artaxerxem, quâ omnibus per Asiam civitatibus Græcis libertas & αὐτονομία est concessa anno M. 3523. Vide Plutarchum in Cimone.

7. Cimon adversarium nactus Periclem & alios, & quòd Lacedæmoniis nimium faveret, Athenis ostracismo est notatus. Quum verò Athenienses à Lacedæmoniis magno prælio essent victi ad Tanagram in Bœotia, revocatus est Cimon, qui composito inter illas urbes bello, ut Atheniensibus inquietis occasionem socialium ac intestinorum bellorum adimeret, expeditionem instruxit in Ægyptum; sed in illa expeditione fato concessit.

8. Pax 30 annorum seu tricennalia federa inter Athenienses & Lacedæmonios cæterosque confederatos sanciuntur anno M. 3526. Sed postea confederati conveniunt Lacedæmone, & decernunt bellum contra Athenienses suscipiendum esse anno 14 tricennalis federis, Thucyd. lib. 1. Atque hoc est *bellum Poloponnesiacum* inter Athenienses & Lacedæmonios per annos 27 gestum, quo vires Græciæ admodum sunt attritæ. Hujus belli anno 2 pestis Attica exorta est, in qua corpora, brachia, pedes hominibus deciderunt, Thucyd. lib. 2.

Bellum Pelopon-nesiacum.

9. Inter finem belli Xerxis & initium belli Peloponnesiaci intersunt anni 50, teste Thucydide. Jam verò Artaxerxes Longim. obiit anno 7 belli Pelopon. Ex quo con-

conficitur Longimanum regnasse annos 43. Sic ratiocinatur Chytræus in Chronol.

10. Belli Peloponnesiaci initium incidit in annum M. 3541, quo tanta eclipsis fuit Solis in æstate, ut stellæ in cælo interdiu viderentur, Thuycid. lib. 2. Cæterùm hujus belli vera caussa fuit potentiæ Atheniensium incrementum, quod Lacedæmoniis terrorem incutiebat inde à Xerxis fuga usque ad hoc tempus per annos 50, quo temporis spacio quiescentibus Lacedæmoniis Athenienses terrâ marrique adeò extenderunt suam potentiam, ut elatiores facti socios Lacedæmoniorum infestarent, quod amplius vi confederationis Lacedæmonii ferre non poterant. Etenim quum Corcyrenses occupâssent Epidamnum urbem, quæ postea Dyrrhachium dicta est, à Corinthiis oppugnati sunt, ubi Athenienses Corcyrensibus sociis suis auxilia miserunt. Accessit quòd urbs Potidæa Corinthiorum colonia, eò quod ab Atheniensibus defecerat, ab iisdem fuit oppugnata. Hinc Corinthii in publico conventu Græcorum accusabant Athenienses tanquam fedifragos & contra Peloponnesum injurios. In federe enim & hoc fuit comprehensum, controversias in posterum non bello sed judicio esse dirimendas. Præterea promoverunt hoc bellum Æginetæ & Megarenses. Æginetæ enim venerant in potestatem Atheniensium & privabantur libertate secundum suas leges vivendi; ideoque quod apertè non audebant, occultè Lacedæmonios instigabant. Megarenses verò autore Pericle eò quòd lucum sacrum cæcidissent, sacrum agrum ararent, & servos Atheniensium fugitivos reciperent, portubus & commerciis in ditione Attica prohibebantur. Decretum igitur factum est in publico conventu de bello contra Athenienses, & quum Lacedæmonii missâ legatione tum se bellum intermissuros significarent, si Megarensibus sua jura in commerciis iterum concederentur, Pericles ambitione tumidus recusavit & Athenienses ad bellum instigavit. Hæc de caussa & occasione belli Peloponnesiaci. Plura petantur ex Thucydide, Diodoro Siculo, & Plutarcho in Pericle. Dictum autem est hoc bellum Peloponnesiacum, quia primo anno Pericles cum classe in Peloponnesum trajecit, ut hostem, qui duce Archidamo in fines Atheniensum ingressus erat, hac ratione ex Attica evocaret, id quod successit.

cessit. Peloponnesii enim suas copias ex Attica reducere coacti sunt ad Peloponnesum muniendam.

11. Romani Volscos propè ad internecionem delent, & res suas in antiquum statum redigunt, anno M. 3511. Halic. lib. 9.

12. Appius Herdonius Sabinus Romanam rempubl. evertere conatur, & Capitolium occupat, sed tandem telorum multitudine obrutus cadit, Halic. lib. 10.

13. Romani ab Atheniensibus petunt legum formulas, ex quibus deinde leges 12 tabularum. Mox Decemviri creati sunt qui rempubl. in annum tertium retinuerunt. Factum est hoc, anno M. 3521, Halicarn. lib. 10. & in principio libri 11. Post decennium primi tribuni militum & primi censores Romæ creantur, Halic. lib. 11 circa finem. Finitur historia Dionysii Halicarnassæi.

14 Hoc seculo docti viri claruerunt, Herodotus, Halicarnassæus historicus, qui teste Plinio anno 300 ab urbe Roma condita vixit, initio belli Peloponnesiaci. Thucydides Atheniensis, qui in sua historia Herodotum excipit & è vestigio sequitur, à Xerxis ex Græcia discessu usque ad annum 21 belli Peloponnesiaci, historiam annorum 70 complexus, αὐτόπτης rerum in bello illo gestarum & dux exercitus. Intertexuit κατ' ἐκβολὴν τοῦ [illegible]-γου historiam 50 annorum, qui inter fugam Xerxis & initium belli Peloponn. intercurrerunt. Isocrates orator nascitur eodem anno quo Pindarus poëta obiit, nempè anno M. 3536.

DARIUS NOTHUS.

Hic Darius à nonnullis dicitur sororius Artaxerxis Longimani, à Plutarcho gener, qui filiam Artaxerxis Parysatiden uxorem habuerit; ab aliis Artaxerxis filius ex concubina natus, unde νόθος, id est, spurius est dictus. Cœpit regnare anno M. 3548, vel juxta recentiores 3600, & regnavit annos 19.

Synchronismus.

1. Hic Darius ex sententia Francisci Junii ille est qui anno 2 regni sui Judæis templi Hierosolymitani reædificationem jam annos fermè 41 impeditam iterum concessit, Esdr. c. 4. v. 24. & cap. 5. & cap. 6. v. 1, &c. Vide quæ supra dicta sunt in Dario Hystaspis, Xerxe & Artaxerxe.

2. Se-

2. Septuaginta ſeptimanarum Danielis initium à doctioribus collocatur in ſecundo anno regni Darii Nothi, ex eo fundamento, quòd ſuper populum & urbem ſanctam ſeptimanæ illæ 70 ſunt deciſæ, hoc eſt, terminatæ, quod tum demum accidit, quando Deus irreparabili illâ clade populum & urbem Hieroſolymam per Titum Veſpaſianum affecit, & ſublatâ omni politiâ urbem & templum penitus ſubvertit, adeoque populum Judaïcum non amplius ſuum populum eſſe teſtatum fecit; accedit & hoc quod ipſe Chriſtus Matth. 24. verſ. 15 excidium urbis Hieroſolymæ prædicens Danielis vaticinium de 70 ſeptimanis ad deſtructionem Hieroſolymæ diſertè applicat. Jam verò ab anno 2 Darii Nothi uſque ad ultimum excidium urbis & populi per Titum Veſpaſianum anni 490 præcisè effluxerunt, ut liquet ex hoc epilogiſmo: *Danielis 9. verſ. 27. & ſeqq.*

Ab anno 2 Darii ad finem	18.
Artaxerxis Mnemon	43.
Darius Ochus	23.
Arſes	3.
Codomannus	6.
Alexander Magnus	6.
	99.

Porrò à morte Alexandri M. quæ incidit in annum Romæ conditæ 430, uſque ad excidium Hieroſolymæ, quod incidit in annum Romæ conditæ 822, elapſi ſunt anni 392, quorum ultimus eſt iniens non completus, ut completi ſint anni 391, quibus additi anni 99, efficiunt annos 490. Vide Polanum in commentario in Danielem cap. 9. verſ. 27.

3. Jojada ſummus Pontifex Hieroſolymæ moritur anno M. 3562, cui in pontificatu ſuccedit filius Jonathan, Nehem. 12. verſ. 11. Dicitur aliàs Johannes, Joſeph. libr. 11 ant cap. 7. item Jothamus. Ei tribuuntur anni 24. Hic Johannes, ut Joſephus dicto loco refert, in cauſſa fuit ut Bagoſes Artaxerxis copiarum imperator templum pollueret. Etenim Johannes fratrem habebat Jeſum cui amicus erat Bagoſes & ſpem pontificatus faciebat, unde Jeſus inſolentior factus jurgiis & rixis tantam fratri movit bilem, ut hic illum in templo interfecerit. Quo cognito Bagoſes vi in templum irrupit &

per septennium Judæis ejus cædis pœnas imposuit.

4. In primum annum Darii Nothi incidit annus 7 belli Peloponnesiaci, quo Peloponnesii duce Agide in Atticam incursionem fecerunt. Verùm Athenienses stulto consilio aliena appetentes & domestica negligentes in Siciliam mittunt classem ducibus Eurymedonte & Sophocle, quibus adjunctus fuit Demosthenes.

5. Alcibiadis Atheniensium ducis res gestæ incipiunt anno 12 belli Peloponnesiaci. Hujus vitam vide apud Plutarchum. Niciæ æmulator fuit accerrimus, & autor Atheniensib. ut discederent à fœdere Lacedæmoniorum, quod in 50 annos erat factum, Thucyd. lib. 5.

6. Athenienses in Sicilia à Syracusanis navali prælio vincuntur & horrendâ clade profligantur, ubi dux Nicias interemptus est anno M. 3559. Vide Plutarchum in Nicia. Factum est hoc anno 19 belli Pelopon. qui fuit annus 3 belli Siculi.

7. Finitur historia *Thucydidis* & incipit historia *Xenophontis* de bello Græcorum anno M. 3561, qui est annus 20 belli Peloponnes. Orditur igitur Xenophon suam historiam ab anno 21 belli Pelopon. nempè in septem illis ἑλληνικῶν seu παραλειπομένων libris, à fine Thucydidis exorsus bella annorum 44 vel circiter inter Græcas præcipuè civitates gesta usque ad prælium Epaminondæ ad Mantinæam contexuit, videlicet usque ad annum M. 3609.

8. Lacedæmonii vincuntur ab Atheniensibus in pugna ad Abydum & ad Cyzicum, in qua periit dux Lacedæm. Mindarus. Xenophon ἑλληνικῶν α. Anno 4 pòst iterum vincuntur in prælio navali ad Arginusas propè Lesbum Duce Callicratida, Xenoph. Anno proximè sequente Athenienses vincuntur à Lacedæmoniis duce Lysandro in pugna ad Ægospotamos, nempè eo ipso anno quo Darius Nothus est mortuus. Fuit Lysander dux Lacedæmoniorum, Xenoph. ἑλλην. β.

9. Bello Peloponnesiaco finem attulit victoria Lysandri ad Ægospotamos, in qua Atheniensibus nihil est relictum præter urbem. in quam à Lysandro omnes Athenienses qui hinc inde dispersi erant, compellebantur. ut fame eos affligendi major esset occasio. Fame pressi ab Agide pacem petunt, quæ certis conditionibus est concessa, Lysander deinde Athenarum urbe occu-

patâ & muris ad tibiæ cantum dejectis, reipublicæ formam mutavit, & ex ipsis Athenienfibus 30 præfectos conftituit cum uno Læcedæmonio prætore ac harmofta. Atque hi funt 30 tyranni de quibus poftea. Vide Plutarchum in Lyfandro, & Xenoph. ἑλλην. β.

10. Docti viri floruerunt, Ariftophanes, Euripides, Sophocles, Socrates, &c.

ARTAXERXES MNEMON.

Dario Notho fucceffit filius Artaxerxes Mnemon à memoriæ præftantia fic dictus. Hujus hiftoriam vide apud Plutarchum in Artaxerxe. Fratrem habuit Cyrum juniorem, à quo petitus fuit bello fed fruftrà, & infelici Cyri eventu. Cœpit regnare anno M. 3567, regnavitque annos 43. Vide etiam Xenophontem περὶ ἀναβάσεως Κύρου adverfus fratrem.

Synchronifmus.

1. Nehemias anno 20 regni Artaxerxis Mnemonis permiffu regis ex Perfia redit Hierofolymam & reparat muros urbis fpacio 50 dierum, Nehem. 2. verf. 1. ubi vocatur Arthafafta, item cap. 6. v. 15. Sic fentit Franc. Junius. Alii referunt ad Artaxerxem Longimanum. Vide fupra.

2. Jaddus five Jaddua fuccedit patri fuo Jonathan in Pontificatu Hierofolymitano, Nehem. 12. verf. 11. Hic eft ille Jaddus qui Alexandro M. Hierofolymam obfidione cincturo ex urbe habitu pontificali obviam proceffit & gratiam Judæis acquifivit, de quo Jofeph. lib. 11 antiquit. capp. 7. & 8. Potuit hic Jaddus Nehemiæ effe notus, fiquidem à regno Artax. Mnemonis, cujus pincerna fuit Nehemias, ufque ad regnum Alexandri M. effluxerunt anni fermè 60. Annotat Bucholtzerus in indice Chronol. quofdam fentire Nehemiam vixiffe ultra annos 120, quod attigerit Alexandri M. tempora, utpote qui Jadduam nominet; fed refpicit Bucholtzerus ad tempora Artaxerxis Longimani, &c. Chronica fupputatio indicat Jaddum fuiffe fummum pontificem per annos 62, quia proximo anno poft obitum Alexandri M. Onias factus eft Pontifex.

3. Poft Refa Mefyllam princeps Judæorum fuit Johanna Ben Refa per annos 53.

4. Cyrus minor seu junior suam ἀνάβασιν seu expeditionem infeliciter suscipit contra fratrem Artax. Mnemonem eodem anno quo Artaxerxes regnum suum auspicatus est. Sed anno quarto pòst in bello miserè perit jaculo ictus quo vena in poplite rupta est, capite deinde & dextrâ manu ab hoste abscissâ.

5. Posteaquam Athenæ à Lysandro captæ sunt, imperium commissum est 30 tyrannis: qui pro lubitu fecerunt quod placuit, crudeliter & contra omne jus & æquum, donec Thrasybulus unus ex ejectis civibus justa arma indutus & à Thebanis adjutus patriam ejectis illis tyrannis liberaret, decemviros constitueret, & celeberrimam illam ἀμνηστίαν sanciret, ut omnes placidè & quietè viverent ἔχοντες ἔχουσι ἃ ἔχουσι, Xenoph. libr. 2. ἑλληνικῶν.

6. Post Alcibiadem à Pharnabazo Satrapa Persico ad petitionem Lysandri occisum, vel ut Plutarchus refert, quòd adulterium cum uxore cujusdam suorum familiarium commisisset, proprio telo confectum; celebres facti sunt Athenis Conon & Thrasybulus, qui omnem operam in instaurandis Athenis, & harum dignitate augenda navarunt, dum interea Thebani graviter affligunt Lacedæmonios.

7. Agesilaus in Lacedæmoniorum republica inclarescit. Vide Plutarchum.

8. Athenienses operâ Thrasybuli restituti bis vincunt Lacedæmonios navali prælio, primo ad Cnidum duce Conone, quamvis aliorum auxilio, deinde ad Naxum duce Chabria.

9. Antalcides Lacedæmoniorum præfectus per Tiribazum cum Artaxerxe societatem iniit, cui rex auxilium promittit si Athenienses quam ipse obtulerat pacem repudiaverint. Quum verò Athenienses regis suasu pacem iniissent, Græcia tranquilla est facta. Dicta est pax *Antalcidæ*, anno M. 3585. Xenoph.

10. Thebani ducibus Pelopida & Epaminonda vincunt Lacedæmonios ad oppidum Leuctra. Dicta est pugna Leuctrica, quæ inde est orta, quòd duo Spartani juvenes Leuctris à filiabus Scedasi absente patre hospitaliter accepti eas per vim stupratas in puteum abjecerant, idque licet patre apud Spartanos de gravissima hac injuria conquerente impunè. Vigente autem implaca-

placabili odio inter Spartanos & Thebanos, de consilio Agesilai regis Spartani missus est Cleombrotus qui ingenti strage à Thebanis cæsus est eo ipso in loco ubi filiarum Scedasi sepulchrum erat. Hac clade Spartanorum vires penitùs fracti sunt. Vide Plutarchum in Pelopida, Camillo & Agesilao. Accidit Leuctrica pugna anno M. 3601.

11. Regnante Artaxerxe Mnemone fuerunt in Macedonia quatuor reges; Amyntas in ordine XVI, avus Alexandri M. qui ab anno M. 3579, regnavit annos 24. Secundus fuit Alexander XVII, qui regnavit annum unum. Tertius Ptolemæus Alorites, qui Alexandro fratre per dolum interfecto regnavit annos 3. Quartus fuit Perdiccas XIX, qui fratre Ptolemæo interfecto regnavit annos 5. Hic successorem habuit Philippum Alexandri M. patrem, ut dicetur.

12. M. Furius Camillus dictator post decennalem obsidionem Veiorum urbem capit anno M. 3578, & biennio pòst Faliscos in Romanorum ditionem ac potestatem redigit remisso ad eos ludimoderatore proditore, qui pueros discipulos præcipuorum parentum filios in castra Camilli abduxerat gratiam & præmium sperans, sed malè exceptus & corpore nudatus unà cum pueris ad suam gentem reversus est, Livius lib. 5. decad. 1. Accusatus Camillus quòd prædam Vejentinam iniquè divisisset, populo frustra deprecante in exilium ejectus est, sed paulò pòst, quum Galli urbem Romam caperent, & Romani urbe relictâ in Capitolium confugerent, ubi anserum clangore irruptio hostium est prodita, jamque omnia ad excidium urbis & Capitolii spectarent, revocatus est Camillus, qui Gallos Senones fortiter repressit & urbe Româ expulit. Plura vide apud Plutarchum in Camillo.

13. M. Manlius, qui quod Capitolium ab irruptione Gallorum defenderat, Capitolinus est dictus, quum regnum Romæ affectasset (viderat enim varias reipublicæ formas) de saxo Tarpeio præcipitatus est. Fuit Romanis ἀγαθὸν καὶ πῆμα. Cautum est deinde ne quis Marcus Manlius in familia Manliana vocaretur, Gellius lib. 17. cap. 21.

A R-

ARTAXERXES DARIUS OCHUS.

Artaxerxi Mnemoni successit filius Ochus, qui dictus fuit Artaxerxes. item Darius. Fuit ex filiis natu minimus, qui enecatis duobus fratribus regnum invasit. Cœpit regnare anno M. 3310,& regnavit annos 23. Homo crudelis non solùm in exteros verùm etiam domesticos, siquidem regni cupiditate fratrem Arseniam seu Arsamen interfecit, & alter frater Ariaspes metu perculsus mortem sibi conscivit. Sidonem Phœniciæ proditione cepit & magnam tyrannidem exercuit. Judæos etiam graviter afflixit ac templum Hierosolymitanum spoliavit, quod factum est anno regni 11 vel circiter.

Synchronismus.

1. Hactenus Judæi ex benignitate Darii Nothi & Artax. Mnemonis mediocri usi sunt tranquillitate ac felicitate in instauranda Hierosolyma & cultu divino, & hic quasi halcyonia sua habuerunt. Sed Judæorum peccata attraxerunt iterum magnam calamitatem; siquidem non facile est æqua commoda mente pati: supra diximus, quo modo inter Johannem summum Sacerdotem & hujus fratrem Jesum lites ortæ sint de sacerdotio,& hinc parricidium quo Jesus in templo est trucidatus. Jam verò quum Ochus recuperasset Ægyptum & in vicinia Judææ bellum gereret, sævitiam etiam in Judæos exercuit, annuas pensiones templo eripuit & tributa Judæis indixit, multa oppida delevit, & multas familias in Hircaniam ad mare Caspium transtulit, Melanchthon in Chronico.

2. Sub Dario Ocho in Judæa post Ben Resa Princeps seu dux Judæorum fuit Judas cognomento Hircanus, cui tribuuntur anni 14. Hoc tamen invenio, quod ab hoc Hircano usque ad Josephum principem, de quo in tertia Monarchia, intercurrant anni 38.

3. Bellum sociale incidit in annum 5 regni Ochi, quod sic dictum est, quia Chii, Rhodii, Coi & Byzantini, quum defecissent ab Atheniensibus, societatem inter se contraxerunt, & classe comparatâ insulas Atheniensium depopulati sunt. Fuit hoc bellum triennale.

4. Perdicca Macedonum rege ab Illyriis capto Philippus

pus frater, qui tunc obses Thebis aliquantisper apud Epaminondæ patrem fuerat, celeriter in patriam rediens regnum est auspicatus, idque tenuit annos 24. Hic est Philippus pater Alexandri M. & cœpit regnare anno M. 3612.

5. Crenides (Κρηνίδες) oppidum in extremis finibus inter Thraciam & Macedoniam situm aurifodinis locuples à Philippo captum ejusque nomen mutatum est. Quum enim habitantium multitudine augeretur, rege ita jubente Philippi dictum est, unde Philippensium nomen ad quos Pauli Apostoli extat epistola.

6. Bellum sacrum seu Phocense cœpit anno 5 Darii Ochi, qui est annus M.3615,& duravit annos 10. Dicitur sacrum propter templum Delphicum à Phocensibus direptum & spoliatum, unde inter Phocenses & Thebanos natum est hoc bellum quod magnarum calamitatum occasio & caussa fuit, & potentiam Macedonicam miris modis auxit & extulit. Occasio belli fuit damnatio Phocensium in judicio Amphictyonum ad magnam mulctam, eò quod Phocenses magnam partem agri Cyrrhei, qui Apollini sacer erat, essent depopulati. Hanc damnationem urgebant Thessali & Thebani. Præterea Thebani devictis Lacedæmoniis in pugna Leuctrica accusarant Lacedæmonios coram Amphictyonibus violati federis, quòd pacis tempore Cadmeam occupassent. Damnati sunt itidem Lacedæmonii ad ingentem pecuniæ summam. Sed quum neque Phocenses, neque Lacedæmonii satisfacerent judicio & interim Amphictyones urgerent sententiæ exsequutionem, Phocenses verò viderent fore ut sua regio divini juris fieret, instigantibus Lacedæmoniis Philomelus Phocensis collecto exercitu decreta Amphictyonum publicè affixa rescindit, agros consecratos recipit, ac tandem aurum & argentum ex templo Delphico ad sustentandum exercitum aufert, sub prætextu Phocenses veteri more esse templi Delphici defensores, quod jus Thebani ad se traducere studerent. Contra Phocenses igitur conjungunt suas vires Locri, Thebani & Thessali. Sed Thessali deinde pecuniâ corrupti à bello cessarunt. Tandem Thebani pecuniâ & viribus exhausti accersunt Philippum Macedoniæ regem, contra quem quum Phallacæus Phocensium dux non auderet dimicare, pacem à Philippo petiit, quam im-

impetravit eâ conditione, si Phocenses relictâ terrâ Phocensi & Bœoticâ in Peloponnesum tarnsirent. Sic Phocenses in servitutem sunt redacti, & Philippus restituto Amphictyonum judicio, in quo duo suffragia accepit, totius Græciæ dux nominatus est, quæ est amplificatio regni Macedonici & insignis præparatio ad ingentem illam dignitatem Alexandri M. filii Philippi.

7. Bellum Olynthiacum incidit in annum M. 3623. Fuit Olynthus urbs Thraciæ primò Philippo Macedoni federata, sed deinde videns Philippi successus ejusque potentiam metuens ad Athenienses se convertit & cum his belli societatem fecit, suadente Demosthene ut Athenienses consentirent, unde sunt ejus orationes Olynthiacæ, in quibus incitat Athenienses ad defensionem Olynthi contra Philippum. Sed obsessa à Philippo Olynthus prodita est magistratibus suis pecuniâ corruptis, capta, direpta & civibus venditis solo æquata.

8. Dionysius junior Siciliæ tyrannus quum regnasset annos 25 Syracusis expulsus venit inops Corinthum, ibique ludimoderatorem egit pro sceptro virgarum fasces tenens, anno M. 3629. Hujus pater fuit Dionysius senior. Fuit autem Siculis bellum cum Carthaginensibus, qui anno 2 ab exilio Dionysii à Timoleonte Siculorum duce victi sunt, & sic tota Sicilia in libertatem est vindicata.

9. M. Curtius Romæ insilit in vastum specum pro patria à sævissima lue, quæ ex terræ hiatu prodibat, liberanda. Ita enim oraculum suaserat, salvam fore Romam si maximum bonum loco illi dicarent. Accidit anno M. 3611.

10. Tres Monomachiæ leguntur in Romanorum historia circa hæc tempora factæ. 1. Inter Gallum quendam hominem procerum & T. Manlium, qui prostrato & victo Gallo nihil nisi torquem cruore respersum detraxit suoque collo circumdedit, unde Manlius Torquatus est dictus, Livius lib. 7. dec. 1. 2. Inter Gallum quendam & M. Valerium adolescentem nobilem victorem, in cujus galea visus fuit corvus qui os oculosque hostis rostro & unguibus peteret, unde Valerius nomen Corvini seu Corvi accepit. Post devictum Gallum Corvus ille ex hominum conspectu elatus est. Romani hoc certamen, quod divino auxilio magis confectum esset, minùs

nùs insigne judicarunt ac proinde tantopere non extollendum. 3. Inter Geminium Metium Latinum & Manlium filium T. Manlii Torquati victorem, qui deinde quod contra patris ut consulis edictum quamvis feliciter pugnasset, & militarem disciplinam labefactasset, jussu patris securi percussus est, unde proverbium, Manliana imperia, Livius decad. 1. lib. 4. Gellius lib. 9. cap. 13 & Erasmus in Chiliadibus.

11. Circa hæc tempora docti viri floruerunt, Xenophon, Demosthenes, Aristoteles, Plato, de quibus vide Diogenem Laërtium in vitis philosophorum. Aristoteles fuit Platonis auditor, & factus est præceptor Alexandri M. quum hic esset annorum 15, anno M. 3630.

ARSAMES.

Dario Ocho ob nimiam sævitiam à cubiculario Bagoa propinato veneno interfecto successit filius Arsames, qui & Arses, item Arsamenes dicitur. Cœpit regnare anno M. 3633, & regnavit annos 3. præteritur ab aliis historicis, forsan quia exiguum tempus regnum tenuit. Anno enim regni tertio idem Bagoas Ochi interfector ultionem filii Arsamis metuens hunc cum omni regia prole extinxit, ut nullus in regia gente superesset cui regnum per successionem deberetur. Quare sceleratus Bagoas unum ex suis amicis delegit nomine Codomannum, quem deinde regio nomine Darii honoravit, ut testatur Justinus lib. 10.

Synchronismus.

1. Philippus Macedo gloriæ Atheniensium impatiens contra pactum fedus in Athenienses nihil tale suspicantes copias educit anno regni sui 23. Quo nuncio Athenas allato Demosthenes Thebanis societatem cum Atheniensibus contra Philippum persuasit, cui etiam aliæ civitates plures sese junxerunt, & sic Philippus tanquam cominus hostis totius Græciæ declaratus est, qui communibus viribus submovendus sit. Deventum est ad prælium quo ad Cheronæam commisso Philippus cæsis Atheniensibus & Thebanis victor evasit. Hic dies universæ Græciæ & gloriam dominationis & vetustissimam libertatem ademit, quod contigit anno M. 3634. Nimirum præ foribus jam erat Alexandri M. Monarchia à Da-

à Daniele prædicta. In hoc prælio quum Demosthenes abjecto scuto cui inscriptum erat, ἀγαθῇ τύχῃ, in fugam se dedisset, ῥίψασπις dictus est, quumque hoc ei probro datum fuisset, respondisse fertur: ἀνὴρ ὁ φεύγων πάλιν μαχήσεται. Alexander Philippi filius huic pugnæ interfuit, adolescens annorum 18, & eximia alacritatis ac fortitudinis παραδείγματα fecit. Vide Justinum lib. 9.

2. Duo fuerunt Romæ Decii, alter pater, alter filius. Hoc tempore vixit pater imperator exercitus Romani contra Latinos, qui quum oraculum respondisset victoriam penes Romanos fore si se consul pro exercitu voveret, hoc est, hostia seu piaculum seu κάθαρμα fieret, devovere sese non dubitavit, & in mediam aciem hostium Latinorum irrumpens suâ morte Romanis salutem ac victoriam peperit. Hoc factum simili modo post annos 44 in bello Gallico imitatus est filius Decius, ubi ad Clusium Galli & Samnites hostes sunt profligati anno M. 3677. in tertia Monarchia.

3. Circa hoc tempus mortuus est Isocrates Orator anno ætatis 98.

DARIUS CODOMANNUS.

Arsami successit Darius Codomannus arte Bagoæ principis eunuchorum, ut dictum est. Fuit Codomannus princeps Armeniæ, cui quum Bagoas homo ad parricidia natus venenum parasset, idque rex rescivisset, ipsum Bagoam venenum bibere coëgit. Ita sceleratissimus homo suâ tandem ipsius arte periit. Nec enim lex æquior ulla est, quàm necis artifices arte perire suâ. Cœpit Codomannus regnare anno M. 3635, & regnavit annos 6, interfectus deinde in Media, quò victus ab Alexandro M. confugerat, à quodam Besso Bactrianorum præfecto. De bellis hujus Darii cum Alexandro M. deinde dicetur, ubi liquebit quomodo hic Darius hanc secundam Monarchiam clauserit.

Synchronismus.

1. Philippus Macedo totâ Græciâ sibi in pugna Cheronensi subactâ postea congregatis Græcarum civitatum legatis Corinthi Græcorum dux contra Persas est constitutus. Sed misso in Asiam exercitu ipse domi commorans

rans & suam statuam inter deorum statuas collocans divinosque honores sibi arrogans à quodam satellite Pausania, cujus supplicem petitionem Philippus contempserat, in publico spectaculo interfectus est. Justinus lib. 9.

2. Alexander M. succedit patri Philippo in regno anno M. 3636. Reliquerat Philippus multos filios ex variis matrimoniis regio more susceptos qui partim morte naturali partim ferro perierunt; sed ex Olympiade reliquit Alexandrum, ex Larissæa saltatrice Aridæum, qui post Alexandrum regnavit. Hoc igitur anno incipit regnum Alexandri M. quod inchoavit anno ætatis 20, tenuitque annos 12, menses 7. Legatur Plutarchus.

3. Expeditio Alexandri in Asiam facta est anno 2 regni, quo etiam commissa est pugna prima, nempè ad Granicum flumen Phrygiæ, & Darii copiæ primò profligatæ. Deinde anno 3 regni vicit Darium ad Issum Ciliciæ, ubi Darii conjugem ac filias cepit, quas regio honore habuit, suamque continentiam, clementiam ac singularem moderationem ostendit.

4. Anno 4 regni Alexander occupatâ Sidone, Tyro & Gaza, urbibus Phœniciæ, inde accessit ad Judæam, cui iratus erat quòd Judæi respondissent se contra reges Persicos ob accepta beneficia nihil facturos esse. Sed Alexandro jam ad Hierosolymam appropinquanti summus Sacerdos Jaddus sive Jaddua placaturus eum cum cœtu Sacerdotum & seniorum obviam processit veste sacerdotali ornatus & pacem petivit. Quid fit? Alexander subitò mutatus & iram in clementiam convertens de equo descendit, & summum Sacerdotem reverenter salutat pacemque promittit. Ducibus repentinam hanc mutationem admirantibus Alexander respondit, se ante bellum in Macedonia secundum quietem vidisse talem speciem numinis ornatam simili veste, & hortantem ut in Asia contra Persas bellum moveret victoriâ porrectione dextræ promissâ. Se igitur persuasum esse hunc populum Deo esse charum, & se ab hujus populi Deo juvari. Humaniter igitur Alexander à Judæis acceptus tributa ab Ocho Judæis imposita remisit, & vicinos in Samaria, qui Judæis multùm adversabantur, compescuit. Forsan Alexander Danielis de se prædictionem quæ extat cap. 2. vers. 39. & cap. 8. vers 21. ex Judæis cognovit, unde mi-

tior & benignior est factus ut Judæis αὐτονομίαν concesserit.

5. Templum in monte Garizim prope Sichem seu Sichar in Samaria ad æmulationem templi Hierosolymitani ædificatur à Manasse fratre Jaddi summi Sacerdotis Hierosolymæ. Hic Manasses uxorem duxerat Nicaso, filiam Sanaballetis Satrapæ regis Darii per Samariam, hominis à Judæorum familia exteri. Ob hoc matrimonium Judæi indignati postulabant, ut, si Manasses in posterum cum fratre Jaddo velit accedere ad altare, & Sacerdotium retinere, uxorem alienigenam dimittat: quod si nolit, à Sacerdotio recedat; utrumque Manassi videbatur durum, maluit tamen retinere Sacerdotium. Quocirca re Sanabelleti socero significatâ, ab hoc etiam in spem pontificatus adducitur, & totius provinciæ principatus promittitur, modò filiam Nicaso uxorem retineat. Præterea Sanaballetes addidit, se in monte Garizim, qui imminet Samariæ, ædificaturum templum simile Hierosolymitano idque ex consensu regis Darii. Manasses tali spe elatus multos similis farinæ Judæos ad se pertraxit. Interea temporis quum Darius ab Alexandro esset victus, Sanaballetes à Dario defecit ad Alexandrum, cui in Tyri oppugnatione occupato perfidè tradidit provinciam suæ fidei commissam, subjiciens sese Alexandri imperio, & simul genero Manassi potestatem ædificandi templi in sua provincia petens, multis argumentis eam impetravit, templum ædificavit, Manassen ejus Sacerdotem constituit, & sic amplissimum honorem suo quidem judicio filiæ suæ posteris reliquit. Hæc est origo templi in monte Garizim, in quo Samaritani suam exercuerunt idololatriam, ut liquet ex colloquio Christi cum muliere Samaritana, Joh. 4. v. 20. Vide Joseph. lib. 11 ant. capp 7. & 8.

6. Anno regni 5 Alexander deditione capit Ægyptum, ubi in vicinia insulæ Phari condidit urbem Alexandriam, quæ in tantam excrevit magnificentiam, ut reliquas Ægypti urbes facilè superaret. Factum est hoc anno M. 3641. Ex Ægypto difficillimum iter suscepit ad Jovem Hammonem Libycum, cujus vates Alexandrum Jovis filium pronunciavit, ex quo Alexander deinde insolentior factus Philippum patrem fastidivit. Inde in Ægyptum reversus postea profectus est in Syriam, Eu-

phra-

phrate & Tigri non sine ingenti discrimine superatis. Quo cognito Darius novum apparatum contra Alexandrum instituit, sed intellectâ Alexandri humanitate erga uxorem & liberos captos tertiâ vice pacem obtulit, majorem regni partem & filiam in uxorem. Omnia autem hæc recusabit Alexander, eò quod unus mundus non possit à duobus solibus collustrari. Deventum igitur est ad prælium tertium commissum ad Arbela, ubi Darius in fugam est conjectus.

7. Anno regni 6 Alexander Babyloniam incolis ultrò sese dedentibus occupat & Susan urbem ac Persepolin. Deinde Darium in Mediam fugientem insequutus est. Sed Nabarzanes & Bessus Bactrianorum Satrapa Darium in custodia tenebant, quem cognito Alexandri adventu sordido vehiculo impositum huc illuc raptabant, quumque hortarentur ut Darius conscenso equo fugâ sese hosti eriperet, ipse verò Darius Alexandri se fidem imploraturum diceret, Bessus & Nabarzanes tela in ipsum injecerunt, & multis vulneribus confossum reliquerunt. Quum verò Alexander advenisset mortui Darii cadaver invenit, quod lacrymis prosequutus regio more sepeliendum curavit, anno M. 3642, qui fuit annus 6 regni Alexandri. Atque ita exspiravit secunda Monarchia.

Monarchia tertia, in qua primus Monarcha ALEXANDER M.

ALexander M fuit filius Philippi regis Macedoniæ ex matre Olympiade, ut supra dictum est, qui devicto Dario Codomanno non solùm Persicum regnum, sed etiam totum orientalem tractum mirâ celeritate regno Macedonico subjecit, & sic Monarchicam dignitatem ad Græcos transtulit, quum regnum jam tenuisset annos 6. Traducta igitur est Monarchia ex Asia in Europam. Initium hujus Monarchiæ Alexander fecit anno M. 3642, inque ea regnavit annos 7, quo temporis spacio multa bella gessit in exteris nationibus & maximè in India, ut videre est apud Diodorum Siculum, Arrianum, Q. Curtium & alios. Lege etiam Plutarchum in vita Alexandri. Nos hic rerum fastigia summa sequemur.

Anno regni 7 Hircaniam subjecit, ubi Thalestris regina Amazonum proficiscitur ad Alexandrum ejusque concubitum impetrat eâ conditione ut si marem enixa fuerit Alexandro, si fœmellam sibi cedat. Incipit hic Alexander mores mutare & cum Persicis vestimentis Persicum ingenium assumere, nempè in insolentia & luxurie Parmenionem & hujus filium Philotam insidiarum accusatos interfici curavit. Anno regni 8 populi ad Caucasum habitantes vincuntur, & à Besso Darii interfectore supplicium sumitur, de cujus genere variant autores. Sunt qui scribunt ipsum arboribus inflexis discerptum, alii traditum fuisse arbitrio consanguineorum Darii. Bactrianos quoque & Scythas subegit. Sogdianorum petram, quæ inexpugnabilis videbatur, expugnavit. Clitum, quòd Philippi patris res gestas & Parmenionis laudes in convivio admodum extulisset, hastâ transfixit, quem deinde cum lacrymis & mœrore sed frustra recuperavit. Oppugnavit Spitamenem defectionis autorem, qui quum uxoris consilio de sese dedendo obtemperare nollet, ab uxore truncatus est insidiosè, quæ caput abscissum misit Alexandro in castra, qui meritum quidem agnoscens ipsum tamen factum improbabat & perfidam mulierem castris excedere jubebat. Divinos honores sibi fieri decernit, quod Callisthenes Philosophus improbat & Leonnatus ridet, uterque non fine periculo; quorum hic tamen in gratiam receptus, Callisthenes verò in supplicium traditus. In Aristotelem quoque indignationem aperuit quòd Callisthenem tecto recepisset. Atque hæc omnia Alexander egit foris extra Macedoniam. In finem anni 8 incipit expeditio Alexandri in Indiam Orientalem ideò suscepta ut Oceano ultimoque Oriente finiret imperium. Annus regni 9 ferè totus consumptus est in India, ubi multa præclarè & fermè ad miraculum acta sunt. Videatur Melleficium historicum Pezelii parte 1. fol. 363 & sequentibus. Tandem ex India reversus in Persiam nuptias unà cum Persicis mulieribus habuit, & anno regni 10 Macedonum liberos ex feminis captivis susceptos liberaliter educari curavit; si qui verò essent liberi ex Asiaticis mulieribus, apud se relinqui jussit ut Macedonicis moribus imbuerentur. Narratur etiam mors Hephæstionis summi amici Alexandri, qui morbum ex crapula lethiferum contraxerat, quem quum medi-

medicus Glaucias malè curâsset, suspendio necatus fuit. Cossæos populos montanos in Media & à Persicis regibus invictos Alexander vicit & in servitutem adegit. Deinde Babyloniam ingredi statuerat, sed Chaldæi vates ex astrorum divinatione hoc ipsi exitiale futurum monuerunt. Anaxarchus verò Philosophus Chaldæorum prædictionem ridens persuasit Alexandro ut urbem ingrederetur. Ubi multa & varia visa sunt portenta & præsagia, cœpit animo æger sinistra suspicari de amicis, præcipuè autem sibi metuere ab Antipatro & hujus filiis. Paucis pòst diebus apud Medium Thessalum comessans quumque sævissimâ febre laborans sitis impatiens vinum bibisset, in phrenesin incidit, ex qua mortuus est & Alexandriæ in Ægypto sepultus.

ARIDÆUS FRATER
Alexandri M.

Alexander M. videns nullam vitæ spem superesse detractum à digito anulum Perdiccæ tradidit uni ex intimis, à quo interrogatus cui regnum relinqueret, respondit: τῷ ἀρίστῳ seu τῷ κρατίστῳ, se verò jam prævidere μέγαν ἐπιτάφιον ἀγῶνα, hoc est, magno primorum ducum certamine sibi parentatum iri. Post mortem factâ magnâ consultatione & hinc inde disceptatâ Meleager unus ex ducibus infestus Perdiccæ produxit Aridæum vestem fratris Alexandri indutum, eique se satellitem adjunxit. Aridæus igitur salutatur rex: sed quia neque animi neque corporis viribus valebat, visum fuit ducibus ut Perdiccas semper cum rege esset, copiisque quæ regem sequebantur præesset. Nihilominus regni divisio facta est inter duces & Satrapas, qui deinde insolentiores facti regios titulos affectârunt. Cœpit Aridæus regnare anno M. 3648, regnavitque annos 7. Dictus est Philippus à nomine patris Philippi, & in ordine regum Macedonicorum numeratur XXII. Interfectus est ab Olympiade matre Alexandri M.

Synchronismus.

1. Onias summus Pontifex Hierosolymæ succedit patri Jadduæ, Josephus lib. 11 ant. cap. ultimo circa finem, nempè anno à morte Alexandri altero, qui est

annus M. 3649. Tribuuntur ei in pontificatu anni 22.

2. Josephus princeps Judææ succedit Judæ Hircano anno 3 à morte Alexandri. Tribuuntur ei in principatum anni 5.

3. Ptolemæus Lagi filius, cui in divisione regni Alexandri cesserat Ægyptus & Africa, incipit regnare in Ægypto anno M. 3649, & regnavit annos 39. Hinc Ægyptii reges dicti sunt Lagidæ, quorum regnum in Ægypto duravit annos 294. Hic Ptolemæus inter varias turbas, quæ movebantur à successoribus Alexandri, Hierosolymam dolo cepit & multos Judæos captivos abduxit in Ægyptum, Joseph. lib. 12 antiquit. cap. 1. Hoc autem diligentiùs observandum est, tum ut intelligatur quâ occasione Ptolemæus Philadelphus pervenerit ad Græcam versionem Bibliorum, tum propter lectionem libri tertii Maccabæorum, qui ratione temporis debebat esse liber primus. Nam multi deinde Judæi ultrò sequuti sunt hosce in Ægyptum. Fuerat Ptolemæus hic custos corporis Alexandri.

4. Perdiccas Aridæo tanquam summus imperii gubernator additus, quum elatior factus affectaret totum regnum, ut par fieret ipsi Alexandro, primus inter duces bellum movit, & quidem Ptolemæo Ægyptum eripere conatus est. Ptolemæus igitur cum Antipatro, cui Macedonia erat assignata, fedus fecit. Perdiccas exercitum ducit in Ægyptum ad Memphim usque, quumque per Nilum copias trajicere conaretur, multique etiam ex illustribus ducibus in fluvio perirent, desertus est ab exercitu, & noctu à nonnullis equitibus jugulatus, quum regnasset annos 3. Propter crudelitatem & violentum imperium in omnium odio fuit.

5. Antipater jam senex & morti vicinus tutorem regum constituit Polyperchontem, virum apud Macedonas magnæ autoritatis & qui cum Alexandro militaverat. Cassander verò Antipatri filius juvenis ægrè ferens hanc patris constitutionem socios sibi jungit, unde acerrimum extitit bellum post obitum Antipatri, in quo tandem superior evasit Cassander.

6. Lamiacum bellum cœpit vivo adhuc Alexandro, finitum verò est post ejus obitum virtute Antipatri. Occasio fuit mandatum Alexandri ad Græcos de restituendis exulibus (voluit enim Alexander post Indicas victorias

ctorias

ctorias erga Græcos clementem sese ostendere) cui omnes paruerunt, exceptis Athenienſibus & Ætolis, qui Macedonum mandata ferre non potuerunt, & quidem cognito Alexandri obitu ferociores reddebantur. Leosthene Attico duce res Athenienſibus feliciter ſucceſſit, ſed eodem ad urbem Lamiam, in quam Antipatrum fugere coëgerat, lapidis ictu occiſo mutata eſt fortuna. Antipater enim obſidione liberatus & à Cratero ex Aſia firmum exercitum nactus magno prælio vicit Athenienſes ad Cranonem urbem, & porrò nonnihil in reipubl. forma Athenis mutavit, Plutarchus in Antipatro.

7. in Romanorum hiſtoria occurrit hic bellum Samniticum. Samnites Italiæ populi bellum fecerant Campanis. Hi à Romanis auxilium petiverunt, quod ut impetrarent, urbem & agros ſuos Romanis dediderunt. Hinc bellum hoc, quod duravit annos 71, de quo Livius lib. 7. dec. 1. Samnitum metropolis fuit Beneventum. Eſt autem in hoc bello maximè memorabile prælium ad furcas Caudinas, vel ad arcem Caudium commiſſum, in quo victi Romani & ſub jugum Samnitum miſſi turpi fœdere facto diſceſſerunt. A parte Samnitum fuit Pontius dux; à parte Romanorum T. Veturius & Sp. Poſthumius Coſſ. Vide Livium lib. 9. dec. 1. Gellium libr. 17. cap. 21. Florum lib. 1. cap. 16.

8. In Sicilia Syracuſis regnare cœpit hoc tempore Agathocles, homo infimâ ſorte natus & figuli filius, qui qua arte ad regnum venerit adjutus ab Hamilcare Carthaginenſium duce, narrat Juſtinus lib. 22. ab initio. De hoc Auſonius: Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agatoclea regem, &c.

9. Inſignes aliquot oratores Attici per occaſionem belli Lamiaci miſerabiliter perierunt, quòd Græcos contra Macedones incitaſſent. Hyperides Antipatro traditus exſectâ linguâ trucidatus eſt: Demoſthenes fano Neptuni, in quod confugerat, egredi juſſus, aſſumpto veneno ſibi mortem conſcivit; Demades in Macedoniam profectus, ut ab Antipatro deductionem præſidii impetraret, à Caſſandro Antipatri filio trucidatus eſt, quia deprehenſæ erant ejus epiſtolæ ad Antigonum contra Antipatrum ſcriptæ, videlicet pendere Græciam à veteri & putri filio, nempè Antipatro; addita eſt ſupplicio crudelitas, quòd filius Demadis in complexu patris

priùs interfectus est, deinde pater. Phocion quoque paulò pòst interfectus est cicutam bibere jussus. Videatur Plutarchus in Demosthene & Phocione.

CASSANDER.

Aridæi regis uxor erat Eurydice, quos ambos Olympias mater Alexandri in Macedoniam revocata trucidavit, & cum his alios plures Cassandri amicos, unde gravissimum odium Macedonum in se concitavit. Aridæo successit Cassander Antipatri filius, rex in ordine XXIII. Cœpit regnare anno M. 3656, & regnavit annos 18.

Synchronismus.

1. Matathias in principatu Judææ succedit Josepho. Melanchthon proximè pòst Josephum ponit Abner Semei, cujus tempore Ptolemæus Lagi Hierosolymam fraude cepit in Sabbatho sub prætextu peragendi sacrificii.

2. Thebæ ab Alexand. M. dirutæ per Cassandrum instaurantur anno à vastatione 20. Unum Cassandri factum laude dignum.

3. Eumenes unus ex ducibus ac successoribus Alex. M. cui in divisione Monarchiæ obtigerant Paphlagonia, Cappadocia, & aliæ finitimæ; quique contra se concitaverat Antipatrum, Craterum, Antigonum & Ptolemæum, ut qui esset summus amicus Perdiccæ, in Antigoni potestatem delapsus occiditur. Et quum plerique ex iis qui Monarchiam inter se diviserant suâ sorte non essent contenti, aliena invaserunt, unde gravissima exstiterunt bella & horrendæ lanienæ.

4. Olympias Alexandri M. mater, quæ Aridæum necaverat, à Cassandro Aridæi filio necatur. Cognito Cassandri ex Græcia in Macedoniam adventu profugit in urbem Pydnam, quam Cassander obsidione cinxit tam diu ut multi homines fame morerentur, & milites hominum cadaveribus pascerentur. Coacta igitur fame Olympias deditionem fecit, quæ postea jussu Cassandri à percussoribus fuit interfecta.

5. In hac tanta confusione ac varietate quum Antigonus (fuit hic filius νόθ⊚ Philippi patris Alexandri) primò vicisset Eumenem, & deinde bellum fecisset Cassandro Lyciam petenti, in quo victor Monarchiam sperare

rare cœpit, profectus porrò est in Syriam, ubi vicinis aliquot provinciis occupatis Seleucum ita perterrefecit, ut ad Ptolemæum in Ægyptum fugeret, unde dissidium ortum est inter Ptolemæum & Antigonum, quod in bellum exarsit postquam fedus sancitum est inter successores.

REGNUM SELEUCIDARUM IN SYRIA.

Anno M.3661, qui est annus 13 à morte Alexandri M. fedus tandem factum est inter successores, in quo Cassander præficitur Europæ, Seleucus Syriæ, Ptolemæus Ægypto, & Antigonus Asiæ. Sed non diu hoc fedus inviolatum mansit, ut in progressu dicetur. Quum autem in prophetia Danielis cap. 2. verss. 40, 41, 42, 43. per quartum regnum significetur regnum successorum Alexandri M. & quidem per binos pedes, duo illa, quorum alterum est Seleucidarum, id est, regum Syriæ, alterum Lagidarum, id est, regum Ægypti, nostrum quoque institutum in his maximè occupabitur. Et sanè Judaïca Ecclesia inter hæc duo regna interjecta utriusque bellorum & calamitatum particeps est facta, ut verè dictum sit à Daniele fore illis ferrea & dura, commixta quidem semine humano, hoc est, affinitatibus & consanguinitatibus conjuncta, sed divisa tamen æmulationibus perpetuis & insidiis mutuis dissidentia. Vide Polanum in hunc Danielis locum. Nos principalem ordinem in regno Seleucidarum servabimus.

SELEUCUS NICANOR.

Primus Syriæ rex fuit Seleucus Nicanor, qui fugiens Antigoni adventum in Persidem & inde Babylonem, recusansque rationes proventuum quas Antigonus ab ipso poscebat, in Ægyptum sese receperat, & accusato Antigono, quòd statuisset omnes dignitate præditos ex satrapiis expellere, Ptolemæum ad bellum adornandum induxerat; ad Cassandrum quoque & Lysimachum, qui Thraciam tenebat, miserat, ut & hos quoque contra Antigonum excitaret, unde novorum & maximorum bellorum factum est initium. Ab hoc Seleuco posteri

reges Syriæ dicti ſunt Seleucidæ. Cœpit autem Seleucus Nicanor regnare anno M. 3661, vel juxta recentiores 3711, ubi diſtantia eſt 50 annorum. Vocatur hoc regnum in libris Maccabæorum regnum Græcorum, cujus initium ſumitur à fine primi anni hujus Seleuci, qui regnavit annos 30.

Synchroniſmus.

1. Simon cognomento juſtus Hieroſolymæ in pontificatu ſuccedit Oniæ, anno 10 Seleuci, eumque adminiſtravit annos 11.

2. Eleazarus Simoni ſucceſſit, & ſummus Sacerdos factus eſt anno Seleuci 22, quo officio functus eſt annis 23.

3. Antigonus miſſo filio Demetrio, qui deinde πολιοςκήτης dictus eſt, multum negotii faceſſivit Seleuco. Ptolemæo & Caſſandro. Videatur Plutarchus in Demetrio. Sed in poſtremo prælio non procul ab Epheſo multis jaculis confoſſus cecidit jam octogenarius; filius verò Demetrius Epheſum confugit, & mox inde Athenas petens Athenienſes à ſe alienatos intelligit.

4. Demetrius ergò ſuccedit patri Antigono in regno Aſiæ, quod tenuit annos 17. Incidit hæc ſucceſſio in annum M. 3671. Deinde filiam Stratonicam uxorem dat Seleuco, ex quo nova amicitia nata eſt, ſed potiùs λυκοφιλία. Hanc Stratonicam Seleucus deinde filio ſuo Antiocho ob amoris impotentiam dedit uxorem. Uſque adeò Seleucus dilexit hunc filium Antiochum.

5. Caſſander anno regni ſui 18 aquâ intercute & φθειριάσει extabeſcens moritur, relictis tribus filiis, Philippo natu maximo, Antipatro & Alexandro. Philippus regno jam inito tabidi corporis lue ſublatus eſt. Reliqui duo de regno inter ſe dimicarunt, quumque Antipater matrem Theſſalonicen, eò quod Alexandro magis ſtuderet, interfeciſſet, Alexander in maternæ cædis ultionem arma contra fratrem induens ex Epiro Pyrrhum, ex Peloponneſo Demetrium ſibi in auxilium vocat. Pyrrhus igitur prior veniens pro auxilii mercede ad ſe rapuit magnam Macedoniæ partem; Demetrium verò advenientem amicè quidem Alexander ſalutavit, ſed nihil jam ejus præſentiâ opus eſſe dixit, eò quòd cum fratre eſſet reconciliatus. Suaſerat enim Lyſimachus Antipatro genero ſuo ut cum fratre rediret in gratiam. Interim

rim Alexander Demetrium vocat ad cœnam, cui ad cœnam eunti quum significatum esset parari insidias & fore ut inter pocula trucidaretur, prætensâ malâ corporis affectione citiùs è cœna surrexit & abiit. Postridie veniam ab Alexandro petens quum discederet, comitatus est ipsum Alexander Larissam usque, ubi Demetrius ipsum ad cœnam vocans mandavit suis stipatoribus ut Alexandrum cœnatum occiderent: quod factum est. Hanc cædem quum Demetrius excusasset apud Macedones tanquam sui liberationem & parricidiorum tum Antipatri avi, tum Cassandri patris ultionem, à Macedonibus rex Macedoniæ creatus & in Macedoniam deductus fuit.

6. Demetrius igitur rex Macedoniæ factus adversus Pyrrhum exercitum duxit, sed infeliciter. Commissâ enim pugnâ in fugam versus est, & sic apud Macedones sordere cœpit. Pyrrhus contrà quòd in ipso imago Alexandri. M. reluceret, valde inclaruit. Pyrrhus verò tenuit Macedoniam mensibus 7. Quumque Demetrius in Seleuci potestatem venisset dissoluta est amicitia inter Lysimachum & Pyrrhum, & bello utrinque comparato, Lysimachus Antigonum Demetrii filium & Pyrrhum superavit & universâ Macedoniâ potitus Pyrrhum in Epirum redire coëgit anno M. 3684. Quum autem Lysimachus Macedoniam tenuisset annos 5 (alii 7) à Seleuco Nicanore in pugna interficitur. Quum enim filium suum Agathoclem, per quem multa prosperè gesserat, instinctu Arsinoës novercæ interemisset, uxor Agathoclis & liberi ad Seleucum fugerunt, exercituum duces ab eo defecerunt, & Seleucum ad bellum contra Lysimachum impulerunt, in quo Lysimachus à Seleuco interemptus est. Atque Hæc fuit ultima pugna inter successores Alexandri M. anno ab Alexandri morte 42.

7. Seleucus igitur Nicanor extinctis jam reliquis omnibus Alexandri M. successoribus, videlicet Perdicca, Antipatro, Cratero, Eumene, Cassandro cum suis filiis, Antigono & hujus filio Demetrio, Lysimacho, tenuit jam Babylonem, Syriam & Asiam minorem. Hisce igitur successibus elatus sperabat se etiam Macedoniæ & Græciæ imperio potiturum, atque ita totius Monarchiæ dominum futurum. Itaque bellum in Europam transtulit adversus Ptolemæum Κέραυνον, Ptolemæi Lagi filium, fratrem

fratrem Philadelphi & conjugis Lysimachi, sed infelici eventu. Occisus enim est ab hoc Ceranno mense 7 post Lysimachi mortem, & successorem habuit filium Antiochum, qui dictus est σωτὴρ.

8. Ptolemæus Lagi anno ante obitum Seleuci mortuus est in Ægypto, quum regnâsset annos 40, & reliquit regni hæredem filium natu minimum Ptolemæum Philadelphum.

9. Agathocles Siculus victis Carthaginensibus navali prælio, quum postea milites ejus ad Carthaginenses defecissent, cum his pacem fecit. Post ejus mortem Syracusis tyrannus factus est Hieron.

10. P. Decius Decii filius quarto consulatu cum Fabio Maximo, quum Galli, Samnites, Umbri, Thusci contra Romanos conspirassent, exemplum patris imitatus, advocato M. Livio Pontifice, hastæ insistens & solemnia verba respondens, se & hostes diis manibus devovit, atque impetu in hostes facto victoriam suis reliquit. Pugna commissa fuit ad Clusium, ubi quum Romani à Gallis in fugam verterentur, hanc exsecrationem sui in se recepit Decius anno M. 3677, Livius lib. 10. dec. 1.

11. L. Papyrius Cursor, à velocitate sic dictus, Dictator Q. Fabio Maximo edixerat ne manum cum hoste consereret. Sed ille opportunitate ductus pugnavit, & securi percutiendus patris lacrymis & populi precibus servatus est. Papyrius postea de Samnitibus insignem retulit victoriam, cæsis eodem die 30340, & captis 3870. Factum est postea ut Samnites oblato auro M. Curii consulis in castris ad focum sedentis & coquendis rapis vacantis, fidem oppugnarent, quibus tamen ipse respondit, talem cœnam quâ ipse contentus esset non egere auro, & se malle imperare aurum habentibus quam aurum habere.

12. Docti viri circa hæc tempora claruerunt: Theocritus, Euclides & Aratus, qui scripsit φαινόμενα, hoc est, carmen de sideribus.

Προσθήκη. Constat igitur ex successoribus Alexandri M. completum esse vaticinium Danielis quod extat cap. 8. vers. 8. de quo vide Amandum Polanum in hunc locum. Quatuor enim regna tandem emerserunt ad quatuor Cardines Mundi. Nam ab Ortu fuit regnum Babylonicum, cui statim adhæsit Syria; ab Occasu regnum Macedoniæ;

doniæ; à Septentrione regnum Asiæ; à Meridie regnum Ægypti. Primum tenuit Seleucus, secundum Cassander, tertium Antigonus, quartum Ptolemæus.

ANTIOCHUS SOTER.

Postquam, ut dictum est, Antigonus est interfectus, & hujus filius Demetrius captivus mortuus, & trucidatus Lysimachus, pars Asiæ accessit ad regnum Seleuci, nempè ad Syriam & Babyloniam, à Tauro monte usque ad Ioniam, ut antea tenueat Antigonus. Ita deinceps Seleuci posteritas cæteros reges antecelluit potentiâ. Successit autem Seleuco Nicanori filius Antiochus cognomento σωτὴρ, id est, dans salutem, cui nupserat noverca Stratonica filia Demetrii Poliorcetæ. Cœpit regnare anno M. 3691, & regnavit annos 20, aliis 19. De hoc nihil invenio memorabile.

Synchronismus.

1. Eleazarus summus Sacerdos Hierosolymæ fuit per annos 15 tempore hujus Antiochi Soteris, & sub hujus patre functus est Pontificatu annos 8. Exactis illis 15 annis obiit & ei successit Manasses circa annum M. 3706. per annos 26.

2. Hagai Heli post Matathiam fuit Princeps in populo Judaïco ab anno M. 3693 vel circiter, per annos 9. Melanchthon scribit hunc Hagai Heli esse illum Esli, cujus meminit Lucas Euangelista in genealogia Christi cap. 3. vers. 25.

3. Massloth Nahum post Hagai Heli factus est Princeps Judææ circa annum M. 3702, & tribuuntur ei anni 7. Huic successit deinde Amos Syrach, cui tribuuntur anni 14.

4 *Ptolemæus Philadelphus* secundus in ordine Lagidarum regnat in Ægypto, filius prioris Ptolemæi qui dictus est Lagi. Cœpit autem regnare anno M. 3688, & regnavit solus annos 38. Valde commendatur à pacis & doctrinarum studio. Fedus fecit cum Antiocho Theo filio Soteris rege Syriæ, idque matrimonio sancivit datâ ei in uxorem filiâ Berenice, ut postea dicetur. Quod verò omnium est laudabilissimum, quum antea in Ægypto doctrinarum possessio tantùm penes Sacerdotes esset, curavit ut doctrinæ in Græcam linguam transferrentur

tur, & studia Alexandriæ instituit, doctosque viros undique accersivit. Quumque intellexisset apud Judæos insignem extare librum, in quo vetusta patrum series & alia maximè memorabilia continerentur, ut bibliothecam haberet instructiorem, misit ad Eleazarum summum Sacerdotem & petivit doctos istius libri interpretes. Missi igitur sunt 72 viri qui Hebraïca Biblia in Græcam linguam converterunt, quâ versione deinde in N. Test. ipsi Apostoli sunt usi, & nos hodie utimur. Pro quo officio Ptolemæus adeò favit Judæis, ut qui in Ægypto captivi erant dimiserit & honoraria obtulerit. Accidit hoc anno M.3704. Plura apud Josephum lib. 12 antiq. cap. 2. Cæterùm habuit hic Ptolemæus fratrem Ptolemæum Κέραυνον, id est, bellicosum seu fulminatorem, qui unum annum regnavit in Macedonia, & Seleucum Macedoniam invadentem interfecit, ut supra monuimus. Hic Ceraunus Lysimachô interfecto uxorem duxit Arsinoën sororem suam Lysimachi viduam, ut scilicet Macedoniam ad se traheret promissâ liberorum à Lysimacho generatorum adoptione. Susceperat ex ea Lysimachus duos filios, Lysimachum & Philippum, quos Ptolemæus ex insidiis paulò pòst interfecit, ipsam verò Arsinoën, quæ erat & soror & conjux, in exilium egit, atque ita regnum Macedoniæ sibi vendicavit. Mox adfuit divina Νέμεσις. A Galatis enim duce Belgio in Macedoniam & Græciam infusis acie victus est, caputque ejus lanceæ affixum pro ludibrio in exercitu circumlatum est. Vide Justinum lib. 24. Ptolemæo Cerauno in hunc modum sublato & Belgio per Macedoniam grassante dux quidam Sosthenes coacto exercitu Belgium compescuit, Justinus ibidem.

5. Antigonus II, dictus Gonates, Demetrii Poliorcetæ ex Phile Antipatri filia filius occupat Macedoniam anno M.3692, & regnavit annos 36. Laudatur ejus justitia & moderatio, & quod Græciæ pacem restituit, unde à Græcis εὐεργέτης est dictus. Quanta in ipso fuerit moderatio docet exemplum Pyrrhi, qui à Spartanis repulsus quum peteret Argos, ubi Antigonum in urbe clausum oppugnans quum saxo de muris ictus occideretur, & Helenus filius caperetur, hunc in regnum paternum remisit, eique patris caput & ossa regio more condenda dedit, Justinus lib. 25. Plutarchus in Pyrrho.

6. In


6. In Romanorum historia occurrunt duo bella graviſſima, Tarentinum & Punicum primum. Illud cum Pyrrho, hoc cum Carthaginenſibus. Tarentini belli cauſſa hæc fuit: Tarentini in aditu Italiæ ſeu in magna Græcia admodum potentes fuerunt, ut inſolentiores facti claſſem Romanam diripuerint interfecto duce, & legatos Romanorum Tarentum miſſos pulſaverint. Quam injuriam ulturi Romani bellum iis intulerunt. Tarentini verò Epirotarum regem Pyrrhum generoſum ac potentem ſocium ac ducem belli aſciverunt, ex quo certamen de imperio inter Romanos & Pyrrhum extitit anno M. 3690. A partibus Romanorum duces fuerunt C. Fabricius Luſcinus, & Mannius Curius Dentatus. Tria fuerunt commiſſa prælia, Plut. in Pyrrho. Lepidum eſt quod narrat Eraſmus Roterod. in Apophtheg. de militibus Tarentinis inter pocula liberius de Pyrrho loquutis, &c. Niſi nos lagena defeciſſet, acerbiora loquuti fuiſſemus. Vide lib. 6 apoph. fol. 507.

7. *Bellum Punicum* primum excitatum eſt anno M. 3707, & anno ſequenti ſuſceptum. Cauſſa hujus belli fuit Sicilia inter Italiam & Africam interjecta, cujus rex tum temporis fuit Hieron populi Romani ſocius, quem Appius Claudius vicerat & in Romanorum ſocietatem traduxerat. Huic Hieroni Syracuſano Carthaginenſes regnum eripere conabantur, quòd viderent Siciliam tanquam horreum quoddam commeatu abundare. Duravit hoc bellum annos 23. A parte Romanorum duces fuerunt M. Attilius Regulus, cujus mirabilis conſtantia celebratur, C. Duillius & L. Cornelius Scipio. A parte Carthaginenſium fuerunt Annibal Aſdrubalis filius, qui re male geſtâ in crucem eſt actus. Xanthippus Lacedæmonius, qui cæſis Romanorum 30000, M. Attilium Regulum cepit.

ANTIOCHUS THEOS.

Antiocho Soteri ſucceſſit filius Antiochus Theos θεὸς rex Syriæ tertius, natus ex matre Stratonice, quam pater deinde uxorem dederat filio Antiocho Soteri, ut ſuprà dictum. Cœpit regnare anno M. 3711, regnavitque annos 15. Ex Laodice prima uxore filia Ptolemæi Philadelphi duos habuit filios, Seleucum Callinicum & Antiochum

chum, cui cognomen fuit ἱέραξ, id est, accipiter. Quum autem Ptolemæus Philadelphus Ægypti rex fedus faceret cum hoc Antiocho Theo, voluit illud matrimonio confirmare, & dedit ei alteram uxorem filiam suam Berenicen, quam ut duceret Antiochus, repudiavit justam uxorem Laodicen, ex qua jam duos filios susceperat. Scilicet oportuit compleri quod prædixerat Daniel cap. 11. versf. 6, 7, 8 & seqq. ex quo deinde varia & horrida bella sequuta sunt, ut in sequentibus dicetur, & clarissimè ostendit Polanus in locum illum Danielis. Summa huc redit, quòd matrimonium illud, per quod pacem stabilire voluerunt, acerrimorum bellorum caussa extiterit. Nec mirum, quia fuit matrimonium incestuosum. Nec diu Berenice in gratia mansit apud Antiochum Theum, quia Laodice prisca Venus tunc restituta tuba fuit belli adversus Ptolemæum Euergetem, & Berenice à Seleuco Callinico privigno fuit trucidata. Notetur tabula:



Synchronismus.

1. Post Amos Sirach in populo Judaïco Princeps fuit Matathias Siloah circa annum M. 3723. Ejus principatus fuit decennalis.

2. Pto-

2. Ptolemæus Euergetes filius Philadelphi, succedit patri rex III Lagidarum in Ægypto anno M. 3726, regnavitque annos 26. Commendatur ejus liberalitas ac benignitas in Judæos & literarum professores. Bellum intulit Seleuco Callinico, qui matris Laodices hortatu Berenicen interfecerat, de quo postea dicetur.

3. Romani magnas classes instruunt & navali prælio cum Carthaginensibus decertant, in quo Cornelius Consul Romanus captus & interemptus est; alter verò consul Duilius Carthaginenses vicit, vix per fugam elapso Annibale, (est hic primus Annibal) duce Carthaginensium Asdrubalis filio, qui domum reversus ob rem malè gestam in crucem est actus, ut Dresserus ex Polybio refert, quamvis alii aliter, videlicet Annibalem ex fuga reversum à Senatu quæsiisse, quid faciendum censerent, & omnibus ut pugnaret acclamantibus respondisse: Feci & victus sum, atque ita crucis pœnam effugisse.

4. Carthaginenses iterum victi ac profligati à M. Atilio Regulo pace frustra petitâ ducem à Lacedæmoniis impetrant Xantippum, qui 30000 Romanorum cæsis ipsum etiam Regulum capit. Hic deinde exacto quinquennio, quum Carthaginenses magnam cladem accepissent, missus est Romam, ut ibi cum Senatu de captivis nobilibus Pœnis dimittendis ageret, sed sub jurejurando, ut si nobiles illi non reddantur, ipse rediret Carthaginem in suam captivitatem. Quid fit? Regulus quum Romæ dissuasisset dimissionem Carthaginem reversus exquisitis exponitur suppliciis. Resectis enim palpebris conversisque ad Solem oculis inclusus est machinæ, in qua undique præacuti eminebant stimuli, ut vigiliis pariter & diuturnitate doloris necaretur. Valerius Max. lib. 1. cap. 1. & Cic. lib. 3 offic.

5. Annibal junior patre Amilcare nascitur anno M. 3725. Hujus vitam Plutarchus descripsit.

SELEUCUS CALLINICUS.

Hic fuit filius Antiochi Thei ex Laodice filia Ptolemæi Philadelphi. Ejus frater fuit Antiochus Hierax, qui ex divisione hæreditatis tenuit Asiam. Cœpit Callinicus regnare anno M. 3727, regnavitque annos 20. Initio regni sui occidit Berenicen materteram & novercam unà

cum filio infantulo, idque perfidè. Fugerat enim Berenice in urbem quandam quam Callinicus obsidione cingens persuasit deditionem, quâ factâ contra fidem ipsam trucidat, ut scilicet compleretur quod prædixerat Daniel cap. 11. vers. 6. ubi ait: Sed tradetur ipsa & qui adduxerunt eam, &c. Hoc atrox facinus Callinici fuit caussa & initium non tantùm bellorum inter vicinos reges, sed etiam defectionis Babyloniorum ad Parthicum regem Arsacen & regem Bithyniæ Eumenem. Nam Ptolemæus Euergetes rex Ægypti necem sororis Berenices ulturus bellum Seleuco Callinico intulit, eique pulso & fugato magnam Syriæ partem ademit, & coronatus est in Syria ut rex utriusque regni nominaretur, & sic completum fuit Danielis vaticinium cap. 11. v. 7, 8, 9. Aliquanto pòst Callinicus collecto exercitu per, Asiam, quam frater Hierax tenebat, Syriam recuperavit, & quia fratri auxilia ferenti diffidebat, cum Ptolemæo pacem fecit. Hoc ægrè ferens Hierax fratri bellum intulit, quem quum acie victum Syriâ expulisset, exorti sunt novi motus in Asia, quam vacuam Eumenes Bithynius occupat, & passim in ea Galatæ vagabantur attracti ab Hierace, quos constat Celtas fuisse, hoc est, Gallos cum Germanis permixtos, quorum partem interfecit Ptolemæus Euergetes, altera pars ad Delphicum templum periit. Hierax tandem à Ptolemæi militibus interfectus est; Seleucus Callinicus circa idem tempus in Syria de equo lapsus mortuus est. Hæc dum ita geruntur posteritas Seleuci amisit Babylonem & vicinas provincias, quæ defecerunt ad Arsacen Parthum, & Bithynia avulsa est à Seleuco, in qua regnare cœpit Attalus magnus ille Romanorum amicus, Justinus lib. 27. Polanus in d. l. Danielis.

Synchronismus.

1. Onias hujus nominis secundus succedit Manassi in summo Sacerdotio Hierosolymæ anno 4 regni Seleuci Callinici. Præfuit Pontificatui annos 6. Hunc sequutus est Simon, qui administravit summum Sacerdotium per annos 23. Autor est libri 3 Maccabæorum.

2. Josephus Arses succedit Matathiæ Siloah in Principatu Judææ. Ei tribuuntur anni 60. Scribitur valdè honoratus fuisse à Ptolemæo Euergete. Hujus igitur Josephi functio excurrit in annum M. 3793, quo tempore

Sy-

Syriæ rex fuit Seleucus Philopator, Ægypti verò Ptolemæus Philometor, Macedoniæ Philippus Persei pater.

3. In Macedonia regnat Demetrius II filius Antigoni II, qui dictus est Gonates. Regnavit autem ab anno M.3728 annos 10. Ei successit Antigonus cognomento Doson, sed tanquam tutor & administrator regni, quia Philippus Demetrii frater adhuc fuit impubes seu minorennis. Administravit autem regnum annos 13 dictus ἐυεργέτης.

4. C.Luctatius Consul Romanus missus cum navibus 200 navali prælio vicit Carthaginenses ad Ægates, omnemque eorum potentiam sic fregit,ut pacem à Romanis petierint & impetrarint. Atque hic est finis primi belli Punici, quod ad annum M.3730 duravit annos 24. Hinc post annos 23 ortum est bellum Punicum secundum, de quo postea dicetur.

5. Interea temporis durante inter Romanos & Carthaginenses pace alii hostes sese Romanis objecerunt, Insubres, Boji, Galli & Teutones, quorum dux primò fuit Ariovistus,qui cæsis à Curio & Flaminio 40000 Gallorum & Teutonum non procul à Mediolano captus est; deinde anno sequente 30000 Gallorum & Teutonum duce Viridomaro ad Mediolanum accesserunt, & obsederunt ibi Coss. M. Claudium Marcellum (qui deinde post Cannensem cladem vicit Annibalem) & Cn. Cornelium Scipionem,patruum istius Scipionis Africani qui in Africa vicit Annibalem. Hic singulari virtute Marcelli interfecto Viridomaro hostes cæsi & profligati sunt, Marcellus verò opima spolia Jovi obtulit.Meminit Virgilius lib. 6 Æneid.

6. Amilcar pater Annibalis à Carthaginensibus mittitur in Hispaniam comite filio Annibale adhuc puerò novennali. Paulò autem pòst Amilcar obiit. Hinc bellum Carthaginensium in Hispania, de quo postea.

7. Circa hæc tempora floruit Jesus Siracides autor eximiæ istius gnomologiæ quæ in sacris bibliis inter apocrypha scripta numeratur & vocatur Ecclesiasticus.

SELEUCUS CERAUNUS.

Seleuco Callinico successit filius Seleucus Ceraunus, qui cœpit regnare anno M. 3747, & regnavit annos 3. Instituit bellum contra duces Ptolemæi Euergetis in Sy-

ria constitutos, sed quum nec valetudine firmus, nec opibus satis munitus exercitum in officio continere non posset, in transitu Tauri purpuratorum perfidiâ veneno sublatus est De hoc ut & fratre Antiocho Magno loquitur propheta Daniel cap. 11 vers. 10. Ex Polybii lib. 2. refert Franciscus Junius in d. l. Danielis, Ptolemæum Euergetem & Seleucum Ceraunum per idem tempus vitâ defunctos esse.

ANTIOCHUS MAGNUS.

Hic fuit filius Seleuci Callinici, frater Seleuci Cerauni, cui in regno successit, & cœpit regnare anno M. 3749, regnavitque annos 37. De hoc Daniel prophetavit cap. 11. vers. 10 usque ad 20. ostendens quæ sint futuræ expeditiones ejus. Vide Polanum in dictum locum Danielis. Bellum intulit Ptolemæo Philopatori, sed victus pacem petiit, de quo etiam aliquid videre est lib. 3 Maccabæor. cap. 1. vers. 10. Sed quum aliquantò post mortuo Philopatore rursus speraret Ægyptium regnum, contra fedus bellum Ptolemæo Epiphani adolescenti Philopatoris filio intulit. Romani verò, quibus Philopator filium commendaverat, jusserunt Antiochum abstinere ab Ægypto. Hoc iniquè ferens Antiochus, quum jam magnam Græciæ partem sibi adjunxisset, ingens bellum (quod vocatur Asiaticum item Antiochenum) adversus Romanos movit, instigatus etiam ad hoc ab Annibale, qui ex secundo bello Punico profugus & hospes ad ipsum venerat. Sed tandem Romani post multa magna prælia victores coëgerunt eum pacem petere, & ademerunt ei florentissimam regni partem ab Ionia usque ad Taurum montem. Postea hic Antiochus quum in Syria spoliaret templum Beli concursu multitudinis interfectus est.

Synchronismus.

1. Simon summus Sacerdos Hierosolymæ, autor libri 3 Maccabæorum (in quo tamen libro nihil de Maccabæis agitur) vixit in suo Sacerdotio tempore Antiochi M. annos 12. Huic successit filius Onias hujus nominis III. cui ab anno M. 3761, tenuit Sacerdotium annos 37.

Nihil habeo certi, [Hic, Antiocho cum Judæis bellum gerente, Hierosolymis

lymis fugatus abiit Alexandriam & à Ptolemæo humanissimè susceptus pollicitus est regi se gentem Judæorum sociaturum si in aliqua Ægypti parte templum ædificare Judæis permitteret. Consentit rex & Onias ædificat in Ægypto templum, non quidem sanâ voluntate, sed quia ei contentio erat cum Judæis propter fugam, & hoc templo ædificato arbitrabatur se omnem multitudinem ab urbe Hierosolyma ad se avocaturum, ut refert Josephus lib. 7 de bello Judaïco, cap 30 Et sanè occasionem hanc præbente Onia Pontifice infinita examina Judæorum in Ægyptum se contulerunt. Stetit autem hoc templum usque ad tempora Vespasiani Imp. per annos 333. Vide Polanum in Danielem cap. 11. ad versf. 13, 14. De hoc Onia meminit etiam Josephus lib. 12 ant. cap. 4 circa finem & cap. 5. item lib. 2 Maccab. capp. 3 & 4.] *utrùm de hoc Onia quæ hisce signis [] sunt inclusa, intelligenda sint.*

2. Ptolemæus Philopator quartus rex Ægypti succedit patri Ptol. Euergetæ anno M 3751, & regnat annos 17. Dictus est φιλοπάτωρ κατ' ἀντίφρασιν, quia patrem veneno interfecit, matrem etiam & fratrem obtruncavit; deinde Eurydice conjuge & sorore interfectâ, quum diu esset abusus scorto masculeo Agathocle & hujus sorore Agathoclea, quibus tota regni cura committebatur, veneno periit. Vide Polanum in Danielem fol. 1000. Antiochum M. grassantem compescuit & Syriam recepit, & ut Judæos ulcisceretur, horrendam bilem in eos qui in Ægypto degebant effudit, ut liquet ex libro Simonis vulgò lib. 3 Maccabæorum. Successit filius Ptolemæus Epiphanes, quintus Ægypti rex admodum adolescens, anno M. 3768, regnavitque annos 24. Hunc dolo Antiochus M. circumvenire voluit datâ in uxorem filiâ Cleopatrâ Romanorum igitur auxilio ac defensione protectus est hic adolescens contra hostes, & tum maximè, quando Antiochus M. in Romanorum potestatem venit, datis obsidibus filiis & aliis gravissimis conditionibus receptis. Postea Antiochi M. filius Seleucus Philopator nihil attentavit, quia fuit homo ignavus, voluptatibus & exactionibus totus deditus, ut dicetur.

3. In Macedonia Antigono Dosoni tutori, de quo Justinus lib 28 & 29, succedit Philippus filius Antigoni II, frater Demetrii II, anno M. 3751, regnavitque annos 42. Homo fuit inquietus & crudelis. Ætolis bellum movit non lacessitus. Quumque Demetrius Illyriorum

rex apud ipsum conquestus esset de Romanorum injuria, quòd hi non contenti Italiæ finibus sibi, eò quod finitimus esset, bellum fecissent, ac proinde & ipsi Philippo metuendum esse exemplum, facilè passus fuit ad inferendum Romanis bellum sese adduci, præsertim quum de clade Romanorum ad lacum Thrasimœnum gnovisset (quæ accidit anno M. 3755) & præterea alterâ vice ad Cannas Romanos cæsos intellexisset, apertè sese hostem Romanis professus est. Vide Justinum lib. 29. Alii occasionem aliter narrant, nempe Philippum bellum intulisse Atheniensibus, & hos à Romanis auxilium petiisse, qui socios assumpserint regem Attalum & Ætolos. Victus tandem est Philippus à T. Quintio Flaminio (Plutarchus in vita) in faucibus Epiri & deinde in Thessalia, navali verò prælio ab Attalo & L. Quinctio qui Eubœam occuparunt. His cladibus fractus Philippus pacem à Romanis petivit, quæ ei hac conditione data est, ut à tota Græcia abstineat. Superato Philippo Græciæ civitates Romanis sese adjunxerunt. Atque hoc est primum bellum Macedonicum quod vocant Philippicum, cujus initium cadit in annum M. 3772.

4. Quum Annibal Saguntum oppidum Hispaniæ longâ obsidione jam defatigasset & cives intolerabili fame premerentur, urbem incendere maluerunt quàm in hostium potestatem venire. Annibal tamen urbem cepit anno M. 3753. Vide Valer. Max. lib 6. cap. 6.

Bellum Punicum secundum, quod cœpit anno M. 3754, fuit annorum 17. A parte Carthaginensium dux fuit Annibal filius Amilcaris, de quo vide Plutarchum; à parte Romanorum fuere P. Cornelius Scipio pater, P. Cornelius Scipio filius, dictus Africanus major, de quo etiam Plutarchus, L. Paulus Æmylius, Terentius Varro, & Q. Fabius Maximus, de quo Plutarchus. Anno M. 3771 P. Cornelius Scipio Romæ triumphat de Pœnis Annibale & Siphace, unde Africanus est dictus.

6. Attalus rex Asiæ Romanorum amicus moritur anno M. 3776, eique succedit filius Eumenes.

SELEUCUS PHILOPATOR.

Antiocho M. successit filius Seleucus Philopator, aliàs dictus Soter, qui cœpit regnare anno M. 3786, & regna-

vit

vit annos 12. De hoc Daniel propheta cap. 11. verſ. 20. tria prædicit: 1. De ejus in regnum ſucceſſione, quòd videlicet ex eadem ſtirpe ſit ſucceſſurus, ſiquidem in locum patris ſucceſſit ordinariè & legitimè. 2. De regni adminiſtratione, quòd ſit circummiſſurus exactorem, quod etiam contigit tum reſpectu ſubditorum, quos continuis penſitationibus, tributis, vectigalibus, capitationibus emunxit; tum imprimis reſpectu Judæorum, ad quos perſuaſus proditione Simeonis qui infenſiſſimus hoſtis erat Oniæ ſummi Sacerdotis, & quòd ingens pecunia eſſet in gazophylacio templi, miſit quæſtorem ſuum Heliodorum pecuniam ex gazophylacio ablatum. Non tamen res ex voto ceſſit. Heliodorus enim mirabiliter à Deo punitus precibus tamen & ſacrificio Oniæ ſervatus fuit. Vide libr. 2 Maccab. cap. 3. 3. De exitu, quòd paucis diebus, ſcilicet à tranſmiſſione illa Heliodori ad Judæos, ſit interiturus neque irâ neque bello, hoc eſt, non apertis odiis aut aperto Marte. Teſtatur enim hiſtoria Seleucum inſidiis Heliodori purpurati oppreſſum eſſe. Quum enim Seleucus fratrem Antiochum obſidem Romanis traditum à Romanis recepiſſet, dato in ejus vicem filio Demetrio, Antiochus verò ad fratrem nondum perveniſſet, ſed Athenis jam eſſet, Heliodorus in gratiam Antiochi (Epiphanes eſt dictus) jam adventantis Seleucum interfecit. Alii paulò aliter, nempè Antiochum M. præter hunc Seleucum alios duos habuiſſe filios, Antiochum & Demetrium, qui Romæ fuerint obſides, ex quibus Antiochum cognitâ morte patris, ut fratri Seleuco homini ignavo & voluptuario regnum eriperet, clam ex urbe Roma fugiſſe & pulſo Seleuci fratris filio regnum Syriæ occupaſſe. In eo tamen conſentiunt hiſtorici, Seleucum inſidiis Heliodori oppreſſum fuiſſe, & ſic miſerè periiſſe.

Synchroniſmus.

f. Janna 11 cognomento Hircanus in principatu Judææ ſuccedit Joſepho Arſi anno 7 regni Seleuci Philopatoris. In ordine dicitur fuiſſe Dux XV, nempè in ſerie illorum Principum qui poſt exilium Babylonicum Judææ præfuerunt, & ultimus ex poſteris Davidis, ut jam domus Davidis facta ſit truncus putris, ex quo tamen exoriturus erat ſurculus Iſai ſeu Jeſſæ, Eſai. 11. verſ. 1. Periit enim hic Janna, ut refert Joſephus lib. 12

ant. cap. 5. in defensione arcis cujusdam quam oppugnabat Antiochus Epiphanes, quem quum deinde reprimerent armis Maccabæi, hi quoque postea principatum tenuerunt ex tribu Levi, quum priores Principes seu Duces fuissent ex tribu Juda & quidem David.

2. Ptolemæus Philometor, filius Ptolemæi Epiphanis ex Cleopatra filia Antiochi M. succedit patri sextus rex Ægypti anno M. 3792, & regnavit annos 35. Multa perpessus est ab Antiocho Epiphane avunculo, Syriæ rege, contra quem tamen defensus fuit Romanorum præsidio & ope. Etiam fratrem Physconem habuit inimicum, cui tamen est reconciliatus. Dictus est φιλομήτωρ, sed εἰρωνικῶς, quum matrem sibi habuerit admodum adversam & inimicam. De hoc vaticinatur Daniel cap. 11. versſ. 25, 26, 27. & verſ. 40. Filiam suam Cleopatram uxorem dat Alexandro Epiphani, Antiochi Epiphanis filio, 1 Maccab. 10. verſ. 15. deinde verò bellum movet huic Alexandro nihil hostile cogitanti & eandem filiam priori marito ereptam locat Demetrio Nicanori Seleuci Soteris filio, 1 Maccab. 11. verſ. 9, &c. Joseph. lib. 13 antiq. capp. 7 & 8. Fuit igitur hic Ptolemæus Philometor homo perfidus, ut sequentia pleniùs docebunt.

3. Philippus Macedoniæ rex calamitatem domesticam sustinet acerbissimam. Exorto enim odio inter filios Demetrium & Perseum, quòd pater videretur propensior Demetrio, Perseus falsam instituit criminationem contra fratrem, quòd cum Romanis faciat, regnum affectet, & parricidium tum sibi tum patri intentet. Quâ criminatione victus pater filium Demetrium veneno tolli jubet. Sed postea pater cognitâ falsâ delatione quòd ex mero odio esset profecta, in eam incidit animi mœstitiam, ut ex ea contabescens è vita migraret anno M. 3793. Perseus igitur parti Philippo in regnum succedit, idque tenuit annos 11. Ultimus hic fuit regum Macedonicorum. Victus enim est à Romanis, & regnum factum est provincia Romanorum.

4. Eodem anno quo Scipio Africanus major Carthaginensium debellator patriæ ingratitudinem expertus, Linterni privatus moritur, Scipio Africanus minor Carthaginis eversor nascitur, videlicet anno M. 3787. Annibal verò biennio pòst vel circiter, quum ad Antiochum M. profugisset, & hinc ad Prusiam Bithyniæ regem, ani-

animadvertens se Romanis tradendum esse sumpto veneno mortem sibi conscivit. Plut.

ANTIOCHUS EPIPHANES.

Seleuco Philometori successit frater Antiochus Epiphanes, quem pater Antiochus M. Romanis dederat obsidem. Cœpit regnare anno M. 3798, & regnavit annos 12. Tanta fuit hujus hominis crudelitas, tanta immanitas, ut Athenæus scribat fuisse ipsum perfectè furiosum. A Syris adulatoribus dictus fuit ἐπιφανής, id est, illustris, sed ἀληθῶς à Polybio ἐπιμανής, id est, furiosus. De eo in prophetia Danielis vide cap. 7. v. 24. & cap. 8. v. 23. & cap. 11. à vers. 21 usque ad finem capitis; ubi Angelus Danieli præcipuè tria commemorat, videlicet de regni adeptione, de rebus gerendis & de exitu. Regnum adeptus est nullo jure, quia ut obses apud Romanos proceribus Ægyptii regni fuit despectus, nec solenni more coronatus maximè superstitibus Seleuco Philopatore & hujus filio Demetrio, tanquam legitimo hærede ac successore; accedit & hoc quòd per parricidum ad regnum pervenit, ut suprà diximus. Quantum ad res gestas, occurrunt expeditiones in Ægyptum, persequutiones Ecclesiæ, ac denique aliæ expeditiones partim in Ægyptum, partim in Judæam, partim in alias regiones. Expeditiones in Ægyptum narrantur tres. In prima, quam Daniel indicat cap. 11. v. 22, 23, 24, 25. regni Ægyptii duces (qui antea Syriam occupaverant) repentinis copiis oppressit spretis duobus Ptolemæi Epiphanis relictis filiis, Ptolemæo Philometore & Physcone, quorum tutores Eulæus & Lenæus cum Antiocho inter Pelusium & Casium prælium quidem commiserunt sed occubuerunt. Antiochus verò pergebat munitas civitates Ægypti occupare, unde reliqui proceres, in quibus Tryphon erat primarius, fedus cum Antiocho inierunt, eumque tutorem Philometoris (qui filius erat Cleopatræ sororis Antiochi) fecerunt. Ut autem Antiocho major esset licentia Tryphonem curavit tolli. Postea verò Philometore jam adultiore Ægyptii à præsidiis Antiochi se liberarunt. Atque hæc est prima expeditio in Ægyptum; Secunda à Daniele narratur cap. 11. versf. 25, 26, 27, 28. Nimirum præsidiis Antiochi à Philometore expulsis Antiochus vires con-

tra Philometora intendit, Philometor verò suas copias opponit quidem, sed propter perfidiam procerum frustra. Hi enim ad aucupandam gratiam cum Epiphane colludebant. Quare pax fuit inita, sed fucata, quia utriusque regis animus ad nocendum fuit intentus. Mutata igitur est hæc pax in atrox bellum. Cæterùm quum Antiochus ex Ægypto spoliis onustus rursus tenderet in Syriam, deflexit Hierosolymam & templum spoliavit, 1 Maccab. 1. vers. 18 & seqq. item 2 Maccab. 5. vers. 1 & seqq. Atque hæc est secunda expeditio Antiochi in Ægyptum. Tertia expeditio narratur apud Danielem cap. 11. versf. 29, 30. Nempè Antiochus commodiorem occasionem nactus opprimendi Philometora bellum instauravit & Ægyptum invasit, sed non æquè feliciter, quia à Romanis fuit prohibitus exoratis à Philometore. Missus enim fuit M. Popilius Lænas, qui expositis Senatus mandatis jussit Antiochum excedere ex Ægypto & respondere, cunctantem virgâ circumscripsit, jussitque antequam circulo excederet responsum dare, quâ asperitate effecit, ut Antiochus bellum omitteret, Florus lib. 45. Discedens itaque Antiochus ex Ægypto iram convertit adversus sanctum fedus, ut loquitur Daniel, hoc est, urbem Hierosolymam, & templum diripuit nemine obsistente. Etenim quum potentes Judæorum illo tempore inter se dissiderent, & Onias summus Sacerdos Tobiæ filios expelleret, & hi supplices ad Antiochum confugerent omnem opem & operam offerentes, facilè quod voluit obtinere potuit, urbem cepit & religionis exercitium per annos 3 & menses 6 inhibuit, videlicet juge Sacrificium, vide lib. 1 Maccab. 1. vers. 23 & seqq. item 2 Maccab. capp. 5. 6. 7. Florum lib. 44 & 45. Joseph. lib. 12. cap. 7. Hæc de tribus expeditionibus. De persequutionibus constat Antiochum usum fuisse ministris tum militibus præsidiariis idololatricis, tum ipsis Judæis apostatis, ut Maccabæorum historia docet, & eò est progressus ut totam terram sanctam commiserit Jovi Olympio, & Judæos apostatas ad dignitates evexerit. Expeditiones in Ægyptum, Judæam & alias regiones enarrat Daniel cap. 11. versf. 40, 41, 42, 43. & libri Maccabæorum. De exitu legimus ibidem, quòd caussam præbuerint Persæ & Parthi, & quòd tandem fœdâ φθειριάσει fuerit extinctus.

Syn-

Synchronismus.


1. Onias quum in Ægypto moraretur, Jason ab Antiocho Epiphane Hierosolymæ emit Sacerdotium, & ritus ethnicos introducit in gratiam Antiochi, 2 Macab. 4. v. 7 & seqq. Fuit Jason frater Oniæ, & quum antea diceretur Jesus, nomen Antiochenum seu Græcum adoptavit & dici maluit Jason ne quid Judæum vel nomine tenus saperet, Josephus lib. 12 ant. cap. 6. Tenuit Pontificatum annos 3, excussus deinde ab altero fratre Onia juniore, qui deinde dictus est Menelaus, Josephus ibidem, & 2 Maccab. 4. vers. 13. ubi hic Onias Menelaus dicitur & frater Simonis proditoris; sed Josephus dicit fuisse eum fratrem Jasonis, & addit Simonem Pontificem tres habuisse filios, Oniam seniorem, Jasonem & Oniam Juniorem, qui dictus est Menelaus. Præfuit autem Menelaus Sacerdotio annos 10.

2. Janna Hircanus ultimus dux Judææ videns præpotentem Antiochum, & veritus ne in potestatem ejus redactus pœnas daret eorum quæ contra Arabes ausus fuerat, ipse sibi manus intulit, possessionem verò ejus universam occupavit Antiochus, Joseph. libr. 12 antiq. cap. 5. Accidit hoc anno regni Antiochi 8. Desiit igitur in hoc Janna regnum stirpis Davidicæ, & successerunt deinde Maccabæi, qui fuerunt ex tribu Levi, sic dicti quòd habuerunt in suo vexillo pictas hasce literas MCBI, quæ literæ in Hebræo ad integras voces redactæ exprimunt dictum quod est in cantico filiorum Israël de submersione Pharaonis Exod. 15. vers. 11. Hebraicæ dictiones sunt: Ma Cemo Elohim Be Israël, hoc est, Quis sicut Deus in Israël. Aliàs ratione gentis suæ dicti sunt Hasmanæi, sive Asmonæi. Orta autem est Asmonæa familia à Simeone Asmonæi filio, & Principatum tenuit in Sacerdotio & regno annos 131. Vide 1 Maccab. 2. v. 1. & 1 Chron. 24. vers. 7. ubi nominatur Jojarib.

3. *Iudas Maccabæus* primus Asmonæorum, dux Judæorum post Jannam Hircanum inchoavit suum principatum anno regni Antiochi 9 & profligat exercitum Apollonii, 1 Maccab. capp. 2. 3. Principatum tenuit annos 6, & deinde occumbit in prælio fortissimè dimicans cum Bacchide Demetrii duce anno 3 post Antiochi Epiphanis interitum, 1 Maccab. 9. vers. 18. Primus igitur liber Maccabæorum incipit sub regno Antiochi Epiphanis, & com-

complectitur historiam annorum 41. Describit statum Judæorum sub Antiocho Epiph. Antiocho Eupatore, Demetrio Sotere, Alexandro Epiphane, Demetrio Nicanore, & Antiocho Sedete.

4. Bellum Macedonicum secundum incidit in annum 2 regni Antiochi Epiphanis. Perseus Philippo patre mortuo Romanis, à quibus pater victus erat, rebellavit ingentibus copiis ad bellum paratis, & socios adjutores habuit Cothyn Thraciæ regem & Gentium regem Illyrici; Romani verò socium habebant Eumenem Asiæ regem, Ariarathem Cappadociæ, Antiochum Syriæ, Ptolemæum Ægypti, & Masinissam Numidiæ. Dux Romanorum primò fuit P. Licinius Cos. quo victo mox missus est L. Æmylius Paulus Cos. qui Perseum vicit, & omnes urbes Macedoniæ, quas rex tenuerat, ad Romanos transtulit, & sic regnum Macedoniæ factum est provincia Romanorum. Triumphum P. Æmylii vide descriptum apud Plutarchum in vita Æmylii. Ipse verò Perseus ex carcere in locum liberiorem eductus spontaneâ inediâ vitam terminasse scribitur; alii à custodibus ipsi iratis perpetuâ vigiliâ confectum obiisse referunt. Filius Alexander factus est scriba Senatus Romani. Macedoniæ regum genealogia hæc est:




Sic

Sic ergò exſpiravit Macedoniæ regnum, & in Romanorum poteſtatem venit anno 6 regni Antiochi Epiphanis, qui eſt annus M 3804.

ANTIOCHUS EUPATOR.

Antiocho Epiphani ſucceſſit filius Antiochus Eupator, qui ephorum habuit Lyſiam, per quem creatus fuit rex, 1 Maccab.6.verſ.17.Cœpit regnare anno M. 3810, & regnavit annos 2. Contra Judam Maccabæum arcem obſidentem ut obſeſſis ſubveniret exercitum duxit, verùm impeditus adventu Philippi (ſub quo Eupator fuerat educatus) regnum Syriæ affectantis,pacem facit cum Judæis ſed doloſam.Interim dum Eupator & Lyſias Antiochiæ ſunt, redit Româ Demetrius Seleuci Philopatoris aliàs Soteris filius profugus, & Tripolim in Syria occupat,aſſumptoque diademate regnum invadit, & quum plurimi ad illum accederent juſſit interfici Antiochum Eupatora & Lyſiam, 1 Maccab.7. v.1. & Joſeph. lib. 12 ant. capp. 14.15.16. Genealogia regum Syriæ hæc eſt:



Synchroniſmus.

Onias junior, aliàs dictus Menelaus, quum inſtigaſſet Antio-

literis mentio fit Romanorum,& ubi res Judæorum junguntur cum rebus Romanorum. Postea Romani quasi lento gradu ulterius progressi tandem Judæam sibi subegerunt. Facta est hæc confederatio primo anno regni Demetrii Soteris, & hinc ad excidium Hierosolymæ per T. Vespasianum numerantur anni 230.

4. Circa hæc tempora Terentius Comicus poëta aliquot suas comœdias egit.

ALEXANDER EPIPHANES.

Fuit hic Alexander filius Antiochi Epiphanis, ut liquet 1 Maccab. 10. vers. 1. & Joseph. lib. 13 ant. capp. 3. 4. 5. &c. Cœpit regnare anno M. 3822, regnavitque annos 5 & paulò ultra. Devicto Demetrio successit in regnum, & deinde uxorem ducit Cleopatram Ptolemæi Philometoris Ægyptii regis filiam, quam quum habuisset annos 4, socer Ptolemæus eam Alexandro eripit & locat Demetrio Nicanori Demetrii Soteris filio, qui è Creta jam redierat. Spe enim adipiscendi regni Syriæ Philometor filiam Alexandro dederat, & quum Demetrius Cretensis bellum moveret adversus Alexandrum, Ptolemæus Philometor magno cum exercitu sub specie amicitiæ tanquam opitulaturus genero Alexandro invadit Syriam eamque occupat, cum Demetrio fedus facit, quod iniquissimo matrimonio Cleopatræ filiæ suæ & Alexandri uxoris confirmat. Alexander quum in Arabiam venisset profugus, Zabdiel Arabs eum capite truncavit, & caput à trunco avulsum Philometori misit, 1 Maccab. 10. & 11. Joseph. lib. 13. cap. 8.

Synchronismus.

1. Jonathas Dux & Pontifex interest nuptiis Alex. Epiphanis & Cleopatræ, 1 Macc. 10. v. 60, &c.

2. Bellum Punicum III exortum est anno primo regni Alexandri, quadriennio gestum, & Carthaginis eversione finitum per P. Cornelium Scipionem Africanum minorem.

3. Bellum Achaïcum à Romanis contra Achæos & Corinthios gestum est, in quo Achæorum & Corinthiorum exercitus citò trucidati sunt. Dux Diæus interfecit conjugem ne fieret captiva, & venenum hausit ipse. Corinthus deleta est à Consule Mummio. Caussa hujus belli

Simon annos 8, & deinceps fraudulenter ac nefariè interficitur à Ptolemæo genero suo, qui fuit dux in urbe Jerichunte, 1 Maccab. 16. vers. 11, & seqq. Incipit autem Simonis gubernatio anno regni Demetrii 3. Simonis historiam vide etiam apud Josephum lib. 13 ant. capp. 10. 11. 12. 13. 14.

2. Ptolemæus Philometor triduò post mortem Alexandri Epiph. moritur. Ei succedit frater Ptolemæus Euergetes hujus nominis II, qui etiam Physcon est dictus. Cœpit in Ægypto regnare anno 1 regni Demetrii Nicanoris, & regnavit annos 29. Scribitur Demetrium restituisse in regnum. Dictus fuit δυσεργέτης κατ' ἀντίφρασιν. Omnes enim alios crudelitate & turpi libidine superavit. Filium suum trucidavit, manusque, pedes & caput amputavit & matri misit: Uxorem habuit Cleopatram sororem suam, quam deinde, filiâ ejus vi compressâ, repudiavit. Justinus lib. 38. Dictus etiam est φύσκων à sagina ventris turpiter inflati, nam φύσκη est crassius intestinum. Fuit in ordine Lagidarum septimus rex, frater Ptolemæi Philometoris, & in eo lætatus fuisse scribitur quòd sine certamine fraternum regnum recepisset.

3. Bellum Numantinum incidit in annum regni Demetrii Nicanoris 4. Est autem Numantia urbs Celtiberiæ in Hispania, quam obsederunt Romani, & post 14 annorum obsidionem fame compulsi cives urbem incenderunt, & se partim igne, partim ferro, partim veneno perdiderunt, ut ne unus quidem superesset qui Romam in triumpho à Scipione Æmyliano duci potuisset. Florus lib. 2. cap. 18. Porrò quod obiter notandum est, Celtæ sunt Burgundi; Iberus vel Ibericum mare est quod Hispaniam alluit. Cum hujus urbis excidio finitum est bellum Celtibericum, quod duravit annos 20, in quo sex Consules Roman. ordine devicti sunt, videlicet, Fulvius Nobilior, Cæpio, Q. Pompeius, Popilius Lænas, Hostilius Mancinus, & Calphurnius Piso. Tandem missus est P. Æmylianus Carthaginis eversor, qui hanc urbem Numantiam fame expugnavit.

ANTIOCHUS SEDETES.

Post Demetrium Nicanorem alii ponunt Tryphonem, alii verò Tryphonis triennium inserunt regno Antiochi Sedetæ, qui nunc in ordine sequitur. Cœpit

regnare anno M. 3835, & regnavit annos 9. Fuit frater Demetrii Nicanoris, filius Demetrii Soteris. Ut persequeretur Tryphonem, qui per patricidium regnum Syriæ invaserat, à Simone Pontifice petiit transitum, quem splendidis promissionibus consequutus, Tryphoni, à quo propter crudelitatem multi adventu Antiochi Sedetæ confirmati defecerant, bellum intulit, & prælio victum è superiore Syria ejecit & in Doram castrum compulsum obsidione cinxit; sed Tryphon inde elapsus quum perfugisset Apamiam, urbe vi captâ interfectus est, triennio postquam regno potitus fuerat, 1 Maccab. 15. vers. 1, &c. & vers. 25, &c. Joseph. lib. 13 ant. capp. 12. 13. sed Antiochus deinde ingratum se declaravit erga Simonem, dum Joppen & Gazaram à Simone reposcit. ibidem. Hinc bellum. Misit enim Antiochus Sedetes ducem Cendebæum contra Judæos; Simon verò misit filios suos Johannem (qui dictus est Hircanus) & Judam, qui sese Cendebæo opponebant eumque cedebant, 1 Macc. 16. vers. 1 ad 11.

Synchronismus.

1. Simon Dux & Pontifex à Ptolemæo genero suo præfecto Hierichuntis perfidè in convivio interficitur, 1 Maccab. 16. vers. 11 ad 19. Joseph. lib. 13 ant. cap. 14. Factum est hoc anno regni Antiochi Sedetæ 3. Et sic finitur liber primus Maccabæorum.

2. Johannes Hircanus Simonis filius succedit in locum patris & patris necem ulciscitur, Joseph. libr. 13 ant. cap. 15. Tenendum hic est, ubi liber primus Maccabæorum finitur, continuandam esse lectionem historicam à cap. 15 libri 13 antiquitatum Fl. Josephi. Porrò Johannes Hircanus anno 1 gubernationis suæ bello petitur ab Antiocho Sedete, & in urbem Hierosolymam compulsus obsidetur. In hac obsidione quum festum Scenopegiæ septem dierum esset celebrandum, & Hircanus ab Antiocho inducias peteret, non solùm consensit Antiochus, verùm etiam mirâ animi mutatione victimas Judæis misit tauros auratis cornibus. Quâ æquitate Hircanus motus pacem cum Antiocho fecit, qui solutâ obsidione expeditionem in Parthos suscepit, ubi ab Arsace victus & interemptus est, Joseph. lib. 13. cap. 16. Præfuit autem Hircanus suo muneri annos 31, nimirum usque ad annum M. 3870.

3. Bellum Numanticum acriter geritur, & à 4000 Numan-

Numantinorum vincuntur 30000 Romanorum, anno primo regni Sedetæ. Sed poſt quadriennium tantâ fame preſſi ſunt Numantini, ut jumentis omnibus & herbis conſumptis lora & pelles ſcutis detractas comederint. Tandem ipſi cives ne in manus hoſtium venirent invicem ſeſe trucidarunt, ignique ſubjecto, & ſeſe & urbem perdiderunt, ut ſupra quoque monuimus. Vide Valerium Max. lib. 7. cap. 6. ſic Numantia à P. Scipione Æmyliano exciſa eſt anno M. 3839.

4. Prima ſemina civilis ſanguinis Romæ jacta ſunt per Tiberium Gracchum, qui in gratiam populi leges agrarias revocavit, & Cn. Octavio collegæ, qui obnitebatur, magiſtratum abrogavit. Quamobrem interfectus eſt ab optimatibus autore P. Cornelio Naſica & inſepultus in flumen eſt projectus. Eſt autem agraria lex in qua agitur de diſtributionibus poſſeſſionum & de publicis agris populo dividendis, item de præfinitione numeri agrorum. Primus inventor legis agrariæ fuit Spurius Caſſius, qui capite mulctatus eſt & de rupe præcipitatus, ut refert Dionyſ. Halic. lib. 8. Semper enim hæ leges ſeditionum faces fuere.

5. Attalus rex Aſiæ, qui ſemper ſummo honore affecit Romanos, imprimis verò Scipionem Africanum, & regni ſui hæredem populum Romanum conſtituerat, quum mortuus eſſet, Ariſtonicus ex Eumene Attali patruo & pellice ſeu concubina natus regnum Pergamenſe occupavit, & ſic Attali teſtamentum infringere voluit. Hinc bellum quod vocatur Aſiaticum, in quo Ariſtonicus primò vicit C. Licinium Craſſum, deinde vero à M. Perpenna Coſ. victus eſt. Quum verò Perpenna Pergami moreretur, ſucceſſit ei M Aquilius Coſ. qui Attalicas gazas Romam deportavit, & de victoria Perpennæ labore parta triumphavit. Ariſtonicus deinde Romæ in carcere ſtrangulatus eſt.

DEMETRIUS NICANOR REDUX.

Hic eſt idem ille Demetrius, meo quidem judicio, de quo ſupra diximus. Per id enim tempus, quo apud Arſacen Parthum fuit captivus, partim Tryphon partim Sedetes regnum Syriæ tenuerunt, ut ex ſuperioribus cla-

rum est. Antiochus Sedetes pace cum Hircano factâ cum Arsace Partho signa contulit, quo prælio victus & vitam simul amisit & exercitum. Demetrius verò frater dimissus tum temporis ab Arsace Syriæ regnum recepit, ut refert Josephus lib. 13 ant.cap.16.circa finem. Factum est hoc anno M. 3843, ex quo tempore deinde Demetrius regnavit annos 4. Quum verò propter mores improbos invisus esset tum Syris tum militibus, miserunt hi ad Ptolem. Physconem rogantes, ut aliquem ex Seleuci genere eis daret, quem possent sibi regem constituere. Mittitur Alexander Zebina,à quo Demetrius commisso prælio vincitur, & refugiens è pugna ad uxorem suam Cleopatram Ptolemaïdem excluditur ab ea, & delatus inde Tyrum ab inimicis capitur, & diu miserè vexatus tandem interficitur, Joseph. lib. 13 ant. cap. 17. Hic est exitus Demetrii Nicanoris. Verùm hic Alexander Zebina bello petitus ab Antiocho Grypho Demetrii Nicanoris filio in prælio cæsus occubuit, & sic regnum Syriæ ad Demetrii filium pervenit, Josephus ibidem.

Synchronismus.

Hircanus auditâ morte Antiochi Sedetæ ad urbes Syriæ adduxit exercitum & quasdam cepit, ut & Sicima (quæ deinde dicta est Sichar) & montem Garizim, ubi templum evertit. Præterea Idumæos subjugatos eò deduxit, ut Judaïcos ritus & circumcisionem admitterent. Atque hæc est prima occasio quâ Idumæi pervenerunt in societatem cum Judæis, ut deinde semi-Judæi dicti sint, quod observandum est propter historiam Herodum, qui Idumæi fuerunt, Joseph. lib. 13 ant. cap. 17.


ANTIOCHUS GRYPHUS.

Hic post Demetrium Nicanorem patrem ex captivitate Parthica reducem cœpit regnare anno M. 3848, & regnavit annos 12. Dictus est γρυπὸς à naso adunco. Fratrem habuit Seleucum, qui quum sine matris Cleopatræ autoritate diadema sumpsisset, ab eadem interfectus est, & constitutus rex hic Gryphus, ut nomen regis penes ipsum esset, jus verò regni penes matrem. Postea verò quum Gryphus regni habenas ad se reciperet, mater indignata, ut antea Demetrium maritum prodiderat hostibus & Seleucum filium interfecerat, ita & Gryphum insidiis petit oblato veneni poculo, quod quum suspe-

ſuſpectum Grypho eſſet, velut honoris cauſſâ matrem ut præbiberet hortatur. Illâ verò diu hoc recuſante, Nulla, inquit filius, ratio alia eſt, quâ ſuſpicionis crimen diluas niſi ut prior bibas. Ita ergò victa venenum quod paraverat filio ipſa hauſit & mortua eſt, Juſtinus lib. 39. Porrò Antiochus Gryphus regnum Syriæ conſequutus non auſus eſt expeditionem contra Judæos ſuſcipere, audito quod frater ipſius (ſcilicet ex eadem matre genitus ſed ex Antiocho Sedete patruo ſuſceptus) Antiochus Cyzicenus copias contra ſe apud Cyzicum colligeret. Notabis Gryphum & Cyzicenum fuiſſe duorum fratrum filios, illum Demetrii Nicanoris, hunc Antiochi Sedetæ, ſed ejuſdem matris Cleopatræ, quæ defuncto Nicanore nupſit hujus fratri Sedetæ. De bellis inter Gryphum & Cyzicenum vide Juſtini librum 39.

Synchroniſmus.

1. Hircanus, dum mutuis bellis ſeſe conficiunt Gryphus & Cyzicenus, pace fruitur, & Judææ proventus curat, ingentemque pecuniarum vim congerit. Quumque videret nihil ſibi eſſe periculi neque à Grypho neque à Cyziceno, exercitum duxit ad Samariam urbem munitiſſimam, eamque cingit, & obſidioni præficit filios Antigonum & Ariſtobulum, ac tandem Cyziceno fruſtra Samaritis opitulante expugnat & ſolo eam æquat inductis illò torrentibus, quorum eluvie ita cuncta ſunt fœdata, ut ne veſtigium quidem ejus oppidi ſupereſſet. Factum eſt hoc anno 4 regni Gryphi, qui eſt annus M.3852, Joſeph. libr. 13 antiquit. cap. 18. Nota tabulam Maccabæorum:



2. Sectæ in populo Judaïco exortæ sunt Pharisæorum Sadducæorum, & Essæorum, ex quibus Pharisæi præcelluerunt, quorum tanta apud populum erat autoritas, ut impunè etiam summo Pontifici obloquerentur. Pharisæi fuerunt interpretes legis & quasi Doctores seu professores sacrarum literarum, ideoque ab interpretando nomen sortiti sunt. Sadducæi ex justitia appellati sunt à voce Zaddic, id est, justus, quia non interpretes sed factores legis videri volebant, & rejiciebant prophetas omnes præter Mosen. Essæi, id est, operarii totos sese in solitudine & locis desertis continebant, Pharisæorum simulationem & Sadducæorum licentiam fugientes, vitam verò admodum rigidam agentes, in quorum disciplina Johannes Baptista educatus creditur. Contentio inter Pharisæos & Sadducæos fuit de traditionibus in lege Mosaïca non scriptis, quas Pharisæi defendebant, Sadducæi verò rejiciebant, Josephus lib. 13 ant. cap. 18. & prolixè lib. 2 de bello Judaïc. cap. 7. Est autem admodum consentaneum harum sectarum origini occasionem dedisse varia illa bella quibus Judæi implicabantur, & per quæ non parva Judæorum & Ethnicorum facta est permixtio.

3. Ptolemæo Euergete, qui & Physcon dictus est, defuncto, succedit in regnum filius Ptolemæus Lathyrus, dictus etiam Soter, & cœpit regnare anno M. 3856, qui est annus regni Antiochi 8. Dictus est λάθυρος, quòd exul occultè tentavit reditum, quasi dicas, clam reversus. Fuit enim à matre Cleopatra regno expulsus, quæ interea cum filio Ptolemæo Alexandro rerum potiebatur. Sed quum ne tum quidem mater quiescere posset, & filio Alexandro insidias collocaret, antevertit matrem filius & occidit eam. Postea revocatus Lathyrus rediit in Ægyptum. Regnavit annos 15, scilicet ante exilium, in quo degit per decennium, matre interim cum filio Alexandro regnum tenente; elapso hoc decennio ab exilio revocatus regnavit annos 8. Crudelissimus fuit in gentem Judaïcam. Invitatus enim à maritimis quibusdam civitatibus contra Alexandrum Judæorum regem Hircani filium venit cum numeroso exercitu & in Judæa occidit 30000 Judæorum, victoriâ contra Alexandrum potitus. Quumque populatus esset villas trucidassetque mulieres & infantes, trucidatosque in frusta disse-

cuisset,

cuisset, elixari & coqui jussisset, vescique Judæos coëgisset, scilicet ut terrorem his incuteret, cœpit ejus potentia valdè augeri. Cleopatra verò mater (à qua erat exul) indignè id ferens copias excivit ducibus Chelkia & Anania Judæis, & sic Alexandro suppetias fert, Joseph. libr. 13 ant. cap. 21.

4. C. Gracchus frater Tiberii Gracchi qui leges agrarias revocaverat, quum per biennium Tribunus plebis Remp. seditiosis legibus turbasset, anno 12 post interfectum fratrem Tiberium occiditur. Hæc cædes initium fuit bellorum civilium quæ deinde sequuta sunt. C. Gracchi socius fuit Fulvius. Hi quum seditiosè Aventinum montem cum armata multitudine occupassent, ab Opimio Cos. interfecti & trucidati sunt in eo, prælio urbano, 3000 hominum.

5. Bellum Cimbricum seu Teutonicum hoc tempore gestum est, in quo plurimum negotii Romanis exhibitum fuit. Sunt autem Cimbri, qui hodie dicuntur Holsati & Sleswicenses. A littore Balthico per Germaniam venerunt in Italiam, & primùm habitarunt in Thracia, unde per vicinam Austriam, Lithuaniam, Livoniam, Borussiam ad Cimbricam Chersonesum venerunt. Primum impetum fecerunt in Illyriam & quinque consulares Romanorum exercitus partim fuderunt, partim fugarunt. Inde in Hispaniam progressi multa loca populati sunt, sed à Celtiberis repulsi in Galliam redierunt, ubi cum Teutonibus conjuncti Romanis tantum terrorem injecerunt, quantum Annibal vix unquam. Quare contra eos missus est C. Marius cum exercitu, qui duobus præliis eos vicit ad Aquas Sextias, trucidatis ampliùs 150000 Germanorum; non multò pòst iterum à Mario cæsa sunt 140000 hominum. Quâ clade mulieres Germanicæ adeò perterritæ sunt, ut seipsas cum liberis horrendum in modum trucidarint, ne hosti præda fierent, Plutarchus in Mario, Florus lib. 3. cap. 3. Porrò in hoc bello Cimbrico primùm aquilam in vexillo usurpavit Marius, unde Aquila pro insigni Romani imperii habita est. Annis 12 ante bellum Cimbricum ortum fuit bellum Allobrogicum, quo primùm Romani cum Gallis trans Alpes dimicarunt, L. Florus lib. 3. cap. 3.

ANTIOCHUS CYZICENUS.

Hic Antiochus filius fuit Antiochi Sedetæ & dictus est Cyzicenus à Cyzico urbe in qua fuit educatus. Quum Antiochus Gryphus ab Herodiano esset interfectus successit hic Cyzicenus post varia bella quæ ipsi cum Grypho fuerunt. Cœpit autem regnare anno M. 3860, & regnavit annos 18. Dictus etiam est ἀσπόνδος quòd nullam admiserit reconciliationem, seu quòd hostibus fuerit irreconciliabilis. Narrat Josephus Antiocho Grypho successisse filium Seleucum, qui bellum gesserit cum Cyziceno patruo, quem tandem interfecerit, Joseph. libr. 13 ant. cap. 21. Ex quo liquet totum Cyziceni regnum intestinis bellis adeò fuisse turbulentum, ut miris modis confecta & quassata fuerit Syria.

Synchronismus.

1. Johannes Hircanus Simonis Maccabæi filius, princeps, pontifex & propheta, moritur anno regni Cyziceni 9, quum suo imperio præfuisset annos 31 & seditionem inter Pharisæos & Sadducæos sedasset. Fuisse etiam prophetam Josephus testatur lib. 13 antiq. cap. 18. circa finem. Fruitus enim est divinis colloquiis, & filios Aristobulum & Antigonum non diu regni paterni fore compotes prædixit. Aristobulus igitur patri Hircano in principatu & Sacerdotio successit, sed hisce dignitatibus non contentus sumpto diademate principatum in regni formam convertit. Primus igitur post captivitatem Babylonicam rex fuit in populo Judaico, & sumpto regio sceptro Antigonum fratrem regni socium assumpsit matre & cæteris fratribus captis. Quum verò per calumniam dolo uxoris reginæ (fuit hæc Salome, quæ à Græcis dicta est Alexandra) Antigonus de insidiis redderetur suspectus, trucidari eum jussit. Postea detectâ fraude in summam delapsus est animi angustiam, ut non multò post conscientiæ furiis agitatus animam exhalarit, quum unum duntaxat annum rex fuisset, Joseph. lib. 13 ant. cap. 19.

2. Alexander in regno & pontificatu succedit fratri Aristobulo anno 11 regni Cyziceni. Defuncto enim Aristobulo vidua Alexandra, quæ etiam Salome est dicta, captivos mariti fratres dimisit, & ex his Jannæum, qui

hic

hic Alexander dicitur, regem constituit, Joseph. lib. 13. cap. 20. Cum hoc deinde Ptolem. Lathyrus commisit prælium & vicit, sævissimamque crudelitatem contra Judæos exercuit, ut diximus. Cœpit hic Alexander regnare anno M. 3871, & regnavit annos 27. Ejus res gestas vide apud Josephum dicti libri capp. 20. 21. 22. 23. Judæos odisse cœpit ex ea caussa quòd in ipsum sacrificare parantem citrea essent conjecta & convicia quibus captivitas sub fratre Aristobulo exprobrabatur, & quòd propterea tanto munere esset indignus. Hinc iratus 6000 occidit. Judæi deinde propriis viribus bellum contra Alexandrum gesserunt, sed infeliciter. Ex potentissimis enim compulsos in Bethoma oppugnavit, & capto oppido redactos in potestatem abduxit Hierosolymam, ubi facinus commisit longè immanissimum: Epulans enim cum pallacis excelsiore loco unde prospectus patebat, circiter 800 jussit crucibus suffigi, & in conspectu adhuc viventium jugulavit eorum uxores & liberos, cæteris adversariis in exilio degentibus quandiu Alexander vixit. Tandem morbo ex tumulentia contracto fato concessit relictâ uxore Alexandrâ, quam ut omnibus modis Pharisæorum (hos enim Alexander habebat sibi inimicissimos) voluntati sese accommodaret, si securè regnare vellet, hortatus fuit. Paruit Alexandra & dum in regno superstes fuit omnia ad Pharisæorum nutum composuit, unde & populi favorem sibi conciliavit. Reliquerat etiam Alexander duos filios Hircanum & Aristobulum, de quibus postea dicetur.

3. Bellum Jugurthinum cœptum est anno 2 regni Cyziceni. Jugurtha à Micipsa patruo hæres regni Numidiæ unà cum Adherbale & Hiemsale impuberibus filiis Micipsæ scriptus fuit. Sed mortuo testatore Micipsâ Jugurtha occidit cohæredes ut solus regnum obtinere posset. Hæc injuria Romanis justa & pia arma induit adversus Jugurtham. Est igitur dux belli electus C. Marius, qui Jugurtham & socium ejus Bocchum Mauritaniæ regem acie vicit, & 90000 hominum cæcidit. Quâ clade acceptâ Bocchus pacem à Romanis petiit, & Jugurtham per insidias captum Mario tradidit, qui illum Romam in triumpho duxit, ubi in carcere postea strangulatus est. Videatur Salustius, Florus lib. 3. cap. 1. item Plutarchus in Mario. Fuit hoc bellum quinquennale.

4. M. Tullius Cicero & Pompeius M. eodem anno quo Jugurtha à C. Mario captus fuit, nati sunt, nempe anno regni Cyziceni 6, anno ante finitum bellum Cimbricum 4. Ciceronis & Pompeii vitas vide apud Plutarchum.

5. C. Julius Cæsar natus est septennio post nativitatem Ciceronis & Pompeii, patre C. Julio Cæsare viro prætore, matre Aureliâ, C. Aurelii Cottæ filiâ. Cæsaris cognomen est ei à cæso elephanto qui Punicâ linguâ Cæsar dicitur, Bucholtzerus in anno M. 3872.

6. Bellum servile confectum est per Aquilium, quum durasset annos 37. Res ita habet: Anno M.3837 Syrus quidam nomine Eunus in Sicilia Syriæ deæ ceremonias jactabat, ad libertatem servos numinum imperio concitans. Id ut divinitus fieri probaret, in ore abditâ nuce, quam sulphure & igne stipaverat, leviter inspirans inter verba flammam fundebat. Hoc modo magnum servorum exercitum collegit ad 40000, à quibus regio titulo decoratus fuit. Fit ingens grassatio per Siciliam, oppidorum & vicorum direptio. Mittuntur à Romanis quatuor prætores, qui vincuntur. Oppressit eos C. Fulvius Cos. deinde L. Piso, qui multos patibulo affixit. Vixdum respiraverat Sicilia, quum statim à servis & à Syro reditur ad Cilicem. Fiunt novæ turbæ sub novo duce Athenione pastore, qui interfecerat dominum suum. Mittitur tandem Aquilius, qui Perpennæ usus exemplo interclusum hostem commeatibus ad extrema compulit, dedidissentque se servi nisi suppliciorum metu voluntariam mortem prætulissent, L. Florus lib. 3. cap. 19. Hujus belli causa fuit sævitia dominorum.

TIGRANES ARMENIÆ REX.

Post Cyzicenum ponitur ab aliis Philippus, cui in regno tribuuntur anni 2, ab aliis verò præteritur. Cæterùm mutuis fratrum odiis, ait Justinus libr. 40, & mox filiis inimicitiis parentum succedentibus, quum inexpiabili bello & reges & regnum Syriæ consumptum esset, ad externa populus auxilia concurrit, peregrinosque sibi reges circumspicere cœpit, aliis Mithridatem, aliis Prolemæum poscentibus; sed quod ille bello Romano esset implicitus, hic verò semper hostis fuisset Syriæ, omnes

in

in Tigranem regem Armeniæ consensere. Hic tandem accitus regnum Syriæ in se suscepit, quod factum est anno post obitum Cyziceni 10. Interea temporis filii Gryphi & Cyziceni intestinis bellis miserrimè sese confecerunt. Primò igitur videamus hujus decennii Synchronismum.

1. Ptolemæus Lathyrus à matre Cleopatra exul regreditur ad Ægypti regnum anno M.3883, & regnat annos 8. Quomodo hic Lathyrus in suo exilio tractaverit Judæos supra diximus. Trucidavit 30000 Judæorum, & coëgit captivos vesci interfectorum cadaveribus. Harum horribilium calamitatum spectatores fuere Simeon, Zacharias, & multi alii. Hoc tempore simul in Judæa fratres inter se parricidiis certabant, Aristobulus, Antigonus, & Alexander Jannæus, ut antea attigimus.

2. Bellum sociale Romanorum hoc tempore gestum est. Populi aliquot Italiæ sese consociaverant, quòd ampliùs Romanis parere nollent, sed suo jure ac libertate vellent uti, unde sociale est dictum. Vocatur etiam Marsicum, quia à Marsis primò est commotum, item Italicum, quia in Italia gestum est. Hactenus enim Romanis bella fuere cum externis hostibus, ut Syris, Macedonibus, Græcis, Parthis, Persis, Carthaginensibus, Hispanis & aliis, ut jam summum imperium esset partum; Nunc porrò audiemus de bellis internis tum inter socios Italicos, tum in ipsa urbe Roma inter Romanos, ut inter Syllam & Marium, inter Pompeium & Cæsarem, inter Octavium & Antonium. Cæterùm ex Eutropio narratur belli socialis caussam fuisse, quòd Italiæ populis civitas esset denegata. Quinto autem anno finitum est hoc bellum per L. Cornelium Syllam. Vide Plutarchum in Mario & Sylla.

3. Duo gravissima bella eodem anno M.3884. Romanis exarserunt Coss. L. Sylla & Q. Pompeio, alterum externum Mithridaticum, alterum internum & civile inter Syllam & Marium. Bellum Mithridaticum gestum est contra Mithridatem regem Ponti, qui Asiâ in potestatem redactâ, uno die unâque epistolâ 150000 civium Romanorum per Asiam negotiantium interemerat; tum etiam legatum Romanorum M. Aquilium & Proconsulem Q. Oppium circumventos vitâ privavit, ut refert Cicero. pro lege Manilia & pro Flacco. Græciam etiam inva-

invaserat & Athenas ceperat. Quamobrem belli Mithridatici administrationem ambientibus Mario & Sylla, communi decreto Sylla electus est belli imperator, quod Marius iniquè ferens, excitavit civile bellum contra Syllam, ut videre est apud Plutarchum. Sylla igitur primò missus est, qui Athenas recuperavit, & alia plura feliciter gessit. Interim P. Sulpitius Tribunus plebis à Mario fuit impulsus ut Syllæ imperium abrogaret quum in bello sociali occuparetur, & quum Q. Pompeius adversaretur, ejus filium generum Syllæ interfecit, quo cognito Sylla ex Campania Romam reversus occidit Sulpitium & abit ad bellum Mithridaticum. Interim Cinna novos tumultus movet Romæ pro juvandis Italicis, & multos Romanæ nobilitatis viros interficit. Sylla pace cum Mithridate factâ Romam reversus seditiones Marianas & Cinnanas compescit, cui Cinna sese oppositurus à militibus naves ingredi recusantibus trucidatus est. Plutarchus in Pompeio.

4. Cum bello Mithridatico cohæret bellum civile inter Marium & Syllam tanquam ἑπόμενον & consectarium ex priore, estque in Romana historia bellum civile primum. Sylla qui sociali bello tenebatur audiens motos esse tumultus Romæ à Mariana factione, ex Campania redit Romam, & Marium cum filio & P. Sulpitio exules fecit. Sulpitius à Syllæ equitibus jugulatur, caputque pro rostris ostentatur tanquam signum proscriptionis. Marius in arundineto repertus ducitur in carcerem, ad quem interficiendum missus servus publicus, ut agnovit Marium exhorruit & abhorruit, abjectoque gladio profugit. Tum cives miserti principis viri instructum viatico & collatâ veste in navem imposuerunt, quâ vectus est in Africam. Deinde Sylla profectus contra Mithridatem recuperat Græciam & alias provincias à Mithridate occupatas. Interea Cinna novos motus excitans Romæ, & exercitum nactus, Mario ex Africa revocato, præcipuos viros nobiles Romæ interfecit, ut Octavium Cos. Antonium oratorem, Lucium & Caium Cæsares fratres, Catulum, & multos alios. Marius proximo anno post reditum septuagenarius & errans mente mortuus est. Deinde Cinna & Carbo sine comitiis consularibus sese crearunt Consules in biennium. Quumque Cinna metuens Syllæ reditum adversus eum ductu-

ctuRus

cturus esset exercitum, milites nolentes ingredi naves ipsum interfecerunt. Hæc breviter dicta sunto de bello Mithridatico cum quo quasi permixtum fuit civile illud Marianum & Syllanum. De moribus utriusque scribunt autores, in primis verò Plutarchus, Marium utrùm bello melior an pace perniciosior fuerit, haud facilè dici posse. Fuit callidus, crudelis & ambitiosus; Syllam in initio belli civilis fuisse moderatum sed post victoriam crudelem. Cæterùm notabis duplex esse bellum Mithridaticum, prius est de quo jam diximus, cui præfectus fuit L. Sylla; alterum est de quo postea dicetur, cui præfectus fuit L. Lucullus & post hunc Cn. Pompeius.

Nunc ad Tigranem redeo Armeniæ regem. Cœpit petentibus Syris regnare in Syria anno M. 3888, & regnavit annos 18. Postea verò Lucullus ademit ei Syriam, & Pompeius Syriam fecit provinciam Romanam. Atque ita & hæc Alexandri M. ala ad Romanos est transmissa.

Synchronismus.

1. Alexander Judæorum rex & pontifex, filius Joh. Hircani, nepos Simonis Maccabæi, morbo ex temulentia contracto moritur relictâ uxore viduâ Alexandrâ & duobus filiis Hircano & Aristobulo. Quum autem Alexander testamento cavisset ut relicta vidua regnum occuparet, vi testamenti factum est ut Hircano majori filio pontificatus obvenerit. Eò facilior autem ad hanc rem fuit Alexandra regina, quòd in Hircano videret innatam quandam segnitiem & animi stupiditatem, Josephus lib. 13 ant. capp. 23. 24. Cœpit regnare Alexandra anno 10 regni Tigranis in Syria, qui est annus M. 3898, & regnavit annos 9. Sic anno post regnum Davidis 1000 recidit tandem decus Israëlis in feminam, & quidem eam quæ Pharisæorum dignitatem ac potentiam evexit & auxit. Habuit quidem populus Judaïcus reginam nomine Alexandram, sed ipsâ re Pharisæos reges, qui deinde crudeliter cœperunt animadvertere in eos qui Alexandro autores fuerant sævitiæ in 800 crucifixos Judæos, unde Aristobulus reginæ filius, Hircani frater, commotus, bellum adversus matrem & fratrem paravit, ut dicetur.

2. Syl-

2. Syllana ſævitia. Sylla pace factâ cum Mithridate ubi de motibus audivit Cinnæ & Marii ex Africa revocati, magno cum exercitu ingreſſus in Italiam crudeliter ſævit in cives Romanos, devictis Norbano, Mario juniore & aliis; & ſic victoriam crudelitate inquinavit. Octo millia deditorum in villa publica trucidavit, tabulam proſcriptionis fixit, urbem & univerſam Italiam cædibus replevit, omnes Præneſtinos inermes concidi juſſit, M. Marium Senatorii ordinis virum cruribus brachiiſque fractis, auribus præſectis & effoſſis oculis necavit, ut non ſine cauſſa à Cicerone dictus ſit crudelitatis magiſter. Deinde L. Valerii Flacci operâ Dictator creatus eſt, & 24 prælatis faſcibus ac cuſtodibus corporis ſui advocatis primus dictatoriâ poteſtate abuſus eſt. De ejus morte ſic refert Plutarchus: Pridie quàm fato concederet, quum audiret Granium prætorem æs alienum grande, quod ærario debebat, non perſolvere, ſed mortem ipſius operiri, vocatum ad ſeſe in cubiculum à famulis ſuis necari ac ſuffocari juſſit. Eo clamore Sylla & agitatione corporis quum apoſtema rupiſſet multum ejecit ſanguinis, atque exinde deficientibus viribus nocte difficulter ſuperatâ mortuus eſt. Ex Aurelio Victore alii referunt Syllam depoſitâ dictaturâ, unde ſperni cœpit, Puteolos conceſſiſſe ibique Phthiriaſi interiiſſe.

3. Cn. Pompeius à Sylla Dictatore dictus eſt Magnus, quòd anno ætatis 25 triumphaſſet de Hiarba Numidarum rege, Plut. in Pompeio.

4. Bellum Sertorianum in Hiſpania cœpit anno Tigranis 4 Sertorius unus ex Marianis quum exemplo ſuorum ſibi metueret à Syllæ crudelitate, in Hiſpania, quam prætor ſortitus erat, ſeſe continebat. Miſit Sylla C. Annium, deinde Q. Metellum, poſtea Manilium Proconſulem, ſed fruſtra. Miſſus tandem eſt Cn. Pompeius, qui bis victus eſt à Sertorio, ſed tertiâ vice victor evaſit. M. Perpenna, qui exercitum cum Sertorii copiis conjunxerat, ut gratiam Pompeii demereretur, Sertorium inſidiosè in convivio confodit, ſed ut percuſſor Sertorii retractus eſt ad ſupplicium. Hic verò quum Perpenna literas nobilium qui Sertorium ad invadendam Italiam invitaverant, oſtendere vellet, Pompeius eas nondum lectas ſtatim comburi juſſit & Perpennam occidi, Plut. in Pompeio, Florus lib. 3. cap. 22.

5. Sta-

5. Statim à Syllæ morte M. Lepidus exacto consulatu Syllanam potentiam vindicans acta Syllæ rescindere parabat revocando proscriptos, sed facilè repressus fuit, Plut. in Pompeio & Florus lib. 3. cap. 24.

6. Bellum Mithridaticum secundum exortum est, cujus occasio fuit Syllana & Mariana factio; caussa verò, quòd Nicomedes Bithyniæ rex populum Romanum regni sui hæredem scripserat, quod Mithridates ad se transferre studebat. Mittitur igitur L. Lucullus, qui ereptâ Bithyniâ repulit Mithridatem in Pontum, & ejus equitatum insidiis collocatum penè totum delevit. Quo nuncio Mithridates perculsus fugit ex Ponto in Armeniam ad Tigranem regem generum suum, in qua fuga aurum & argentum sparsisse fertur, quo colligendo dum Romani milites occupantur, ipse interim illorum manus effugit, cujus meminit Cicero pro lege Manilia. Præfuit huic bello Lucullus per annos 7, Plutarchus in Lucullo. Pompeius Lucullo successit. Quum enim Lucullus propter avaritiam despiceretur à militibus, & Mithridates ipsum desertum animadverteret, rursus ferocire cœpit, & Tigranes interim Cappadociam vastabat, revocatur Lucullus Romam, & Pompeius in ejus locum sufficitur, Plut. in Lucullo & Pompeio. Atque hæc est prima occasio quâ Pompeius venit in Asiam & in terram Judæorum. Vicit Pompeius Mithridatem in Armenia, quò profugerat nocturno prælio, ejusque castra diripuit cæsis 40000 ex Mithridatis exercitu. Tigranem verò ad deditionem coëgit, cui regnum Syriæ ademit, regnum verò Armeniæ restituit & certis præscriptis legibus regnare jussit, quod Tigranes precibus impetraverat. Luculli tamen laboribus Pompeio omnia fuerunt faciliora, Plut. in Lucullo, Justin. lib. 40.

7. Memoratur etiam bellum Gladiatorum, quod contigit anno M. 3899. Septuaginta quatuor gladiatores de schola Lentuli cum fugitivis servis conjurarunt, & duce Spartaco Romanis bellum intulerunt. Contra hos missus est M. Licinius Crassus, qui penitus eos delevit, quum bellum fuisset extractum in tertium annum. Vocatur hoc bellum Spartacium. Vide Plut. in Crasso.

8. Ptolemæus Auletes, aliàs Dionysius, rex decimus Ægypti cœpit regnare anno M. 3891, & regnavit annos 30. Dictus est Auletes, quia publicè in habitu regio tibiis

biis certare cum artificibus solitus est. Fuit pater Cleopatræ amasiæ Antonii. Propter ignaviam & crudelitatem regno pulsus Romam profugit & à Senatu restitutionem petiit, qui post longam deliberationem decrevit ut Gabinius Syriæ præses eum reduceret in regnum, quod jussu Pompeii Gabinius effecit, anno regni Ptolemæi 26, qui est annus M. 3917. Hujus Auletæ filius Dionysius malam gratiam retulit Pompeio ex pugna Pharsalica in Ægyptum fugienti anno à restitutione 7, ut dicetur. Meminit hujus Auletæ Cic. lib. 1. Epist. 1.

Intervallum inter Syriam à Romanis per Pompeium captam, & initium quartæ Monarchiæ, quæ est Romanorum, per C. Julium Cæsarem.

HOc intervallum est ab anno M. 3906, usque ad annum M. 2924, nempe annorum 18.

Synchronismus.

1. Sæculum Simeonis, Annæ prophetissæ, Zachariæ & Elisabethæ parentum Johannis Baptistæ, &c. penes quos inter tot sectas Judæorum fuit veræ doctrinæ custodia.

2. Quum Alexandra Judæorum regina in morbum incidisset difficilem visum est Aristobulo filio jam adesse tempus aggrediendi negotium quod diu cogitaverat. Confert se ad paternos amicos, & ut infensus erat Pharisæis qui rerum summam tenebant, metuebat etiam fratris Hircani licèt hominis inepti successionem in reginæ matris locum. Cœpit plurimos sibi associare & multa castella occupare. Mater interim ex hac vita excedit anno regni sui 9, relictis in domo regia multis discordiis & turbis, præcipuè verò inter Hircanum & Aristobulum fratres, Joseph. lib. 13 ant. cap. ult. Defunctâ jam matre regnum erat devolvendum ad Hircanum majorem natu filium, pontificem, sed Aristobulus fratri bellum intulit, quod tamen mox finitum est per compositionem, quæ erat, ut Aristobulus teneret regnum, Hircanus verò privatam & quietam vitam degeret, Joseph. libr. 14. cap. 1.

Hanc

Hanc compositionem ut iniquam multi ex Judæis indignè ferebant. Fuit inter alios quidam amicus Hircani Idumæus, nomine Antipater, vir pecuniosus & naturâ factiosus, infensus Aristobulo, qui falsis obtrectationibus tandem persuasit Hircano suspicionem de insidiis quæ sibi à fratre Aristobulo struantur, idque obtinet ut Hircanus credulus sese conferret ad Aretam Arabum regem, cui promittit restitutionem illarum urbium quas pater Alexander eripuerat, modò ipsius ope recuperare posset regnum Judæorum. Hæc omnia fiebant arte Antipatri, Joseph. lib. 14 cap. 2. Cedit Hircani petitioni Aretas, & mittit contra Aristobulum magnum exercitum, eumque prælio vincit, adeò ut multis ad Hircanum transfugientibus Aristobulus desolatus fugeret Hierosolymam, ubi in templo oppugnatur, populo Hircanum juvante, Sacerdotibus verò Aristobulum, Joseph. ibid. cap. 3. Interim Pompeius in Armenia bello Tigranico occupatus Scaurum ducem suum mittit in Syriam, ad quem tum ab Hircano tum ab Aristobulo mittuntur legati petentes auxilia. Scaurus muneribus pertrahitur ad partes Aristobuli, & denunciat Aretæ nisi decederet, declarandum esse hostem populi Romani. Redit Scaurus Damascum. Aristobulus verò contra Aretam & Hircanum profectus prælio vicit cæsis 7000 hostium, Joseph. libr. 14. cap. 4. Non multò pòst quum Pompeius Damascum venisset, & obiret Cœlesyriam, misit ad eum insigne donum Aristobulus, nimirum vitem auream 50 talentorum. Venerunt paulò pòst ad Pompeium legati, Antipater pro Hircano, Nicodemus pro Aristobulo, qui coram Pompeio gravibus querelis sese mutuo lacessebant. Pompeius hisce cognitis & improbatâ Aristobuli violentiâ placidè eos dimittens promisit se brevi venturum in eorum ditionem. Sed quum Aristobulus nullam à Pompeio iniret gratiam, non expectatis Pompeii promissis in Judæam se contulit, Joseph. lib. 14 cap. 5. Quare offensus Pompeius exercitum contra Aristobulum eduxit & Hierosolymam movit. Aristobulus sibi metuens obviam venit Pompeio, & oblatis pecuniis etiam intra urbem eum admittit. Pompeius datâ veniâ mittit deinde Gabinium ad pecuniam ab Aristobulo accipiendam, sed militibus Aristobuli pactum irritum facientibus Gabinius vacuis manibus ad Pompeium redit. Quæ res Pompeio sto-

machum movit, ut Hierosolymam adoriretur. Capit hanc & simul templum occupat, in sanctum sanctorum ingreditur, Hircano Sacerdotium summum attribuit, Aristobulum verò vinctum cum duabus filiabus & totidem filiis Romam abducit. Ex hisce igitur Hircani & Aristobuli fratrum dissidiis hoc enatum est incommodum, ut tum primùm Judæi libertatem suam amiserint Romanorum imperio subjecti. Hircanus porrò & Antipater quàm studiosissimè ad Romanorum gratiam sese accommodarunt. Post hæc elapsis annis 6 vel circiter, Alexander Aristobuli filius Judæam incursionibus vexabat, contra quem Gabinius exercitum duxit, eumque prælio vicit & politiæ Judaïcæ reformationem instituit, Josephus lib. 14. cap. 10. Biennio pòst vel circiter Aristobulus Româ profugus redit in Judæam cum Antigono filio, sed à Gabinio victus & captus iterum cum filio mittitur Romam. Sic ergò constat quâ occasione Judæi omnium primò pervenerint in potestatem Romanorum.

3. Ptolemæo Auletæ in regno Ægypti succedit filius Ptolemæus Dionysius, qui cum sorore Cleopatra aliquandiu regnavit, nempè triennium vel circiter. Quum enim Pompeius in pugna ad Pharsalum, quæ incidit in annum M.3924, victus ad ipsum fugisset, fretus benevolentiâ propter officium in restituto patre præstitum, ipse verò Dionysius omnis gratitudinis & humanitatis oblitus per suos familiares Pompeium in conspectu Corneliæ conjugis & Sexti filii obtruncari jussisset, postea etiam C. Julio Cæsari insidiatus fuisset, in bello Alexandrino Cæsar ab ipso supplicium sumpsit. Postea Cleopatra sola regnavit usque ad consuetudinem cum Antonio, quem in regni societatem admisit. Alii scribunt hunc Dionysium quum in scapha effugere conatus esset eversâ cymbâ in mari periisse.

4. Mithridates transitum in Italiam moliens quum filios aliquot ac propinquos suspectæ fidei in Bosphoro interfecisset, filius Pharnaces hoc terrore compulsus, & se regnum à Romanis consequuturum sperans, patri insidias fecit & Pompeii potestati sese commisit. Mithridates verò obsessus à filio in regia, quum sumpto veneno parum profecisset ad mortem, à milite Gallo, à quo ut se adjuvaret petiverat, interfectus est, quum regnasset annos 60. (alii 40.) Accidit hoc anno M.3909. Plut. in Pomp.

5. M.

5. M. Tullius Cicero in petitione Consulatus præfertur Catilinæ, qui dolore repulsæ odisse cœpit Ciceronem hominem novum, hoc est, qui non posset ostendere imagines majorum suorum. Hinc orta est Catilinaria conjuratio, quæ Ciceronis industriâ detecta & repressa est; de conjuratis in carcere supplicium sumptum; ipse Catilina ex urbe ejectus, & paulò post armis à C. Antonio, qui Ciceronis in Consulatu collega erat, oppressus periit. Plura vide apud Plutarchum in vita Ciceronis. Leguntur invectivæ in Catilinam.

6. Bellum Gallicum Transalpinum à C. Julio Cæsare novennio gestum inchoatur anno M. 3914. De hoc bello ipse Cæsar scripsit novem libros, quorum singuli singulorum annorum res gestas commemorant.

7. Bellum Parthicum committitur M. Crasso, qui transmisso Euphrate magnam Mesopotamiæ partem populando peragravit: & in Syriam proficiscens, relictis in Mesopotamia militibus Romanis, Parthis ad parandum bellum spacium præbuit. Totum autem illud tempus quo in Syria hybernavit cogendis pecuniis consumpsit, adeò ut à sacris templorum pecuniis non abstineret. In Judæam progressus templum Hierosolymitanum quoque invadere non est veritus, ex quo sacram pecuniam, quam Pompeius ante decennium templum ingressus attingere noluit, 2000 talentorum abstulit, totoque reliquo auro spoliavit. Rebus igitur suo arbitratu compositis Parthorum ditionem invasit, ubi ejusdem anni æstate sacrilegii pœnas morte suâ luit. Occisus enim à Parthis unà cum universo suo exercitu periit, Joseph. lib. 14 ant. cap. 12. Accidit hæc Crassi clades anno M. 3919. Crasso deinde successit Cassius, postea interfector Cæsaris, de quo Josephus d. l. Plura vide apud Plut. in Crasso. Ex Dione quidam referunt, Parthos Crasso mortuo caput amputasse, & aurum liquefactum in os infudisse, ut auro quod sitiverat satiaretur. Quum enim ditissimus esset, avarissimus fuit. Hæc de Crasso. Tres igitur Syriæ præsides à Romanis constitutos enarravimus, Gabinium, Crassum & Cassium.

8. Ex felicissimo rerum successu & crescente potentiâ ac autoritate C. Julii Cæsaris exarsit odium & invidia ac æmulatio Pompeii M. præsertim mortuâ uxore ejus Juliâ filiâ Cæsaris in puerperio, unde conjunctio Pompeii

& Cæsaris est soluta. Itaque ad reprimendum Cæsarem omnes suos conatus paravit ad honores evehens quoscunque ei infensos existimavit. Devenit tandem res ad apertum bellum civile per hanc occasionem: Pompeius ante triennium ferè, quum solus esset creatus Consul (quod antè nunquam alii contigerat) inter alia statuta legem quoque sanxerat, ut omnes qui magistratum peterent comitiis ipsi interessent, absentium verò nulla haberetur ratio. Hoc Pompeii decretum iniquè ferebant Cæsaris propinqui, quòd Cæsar abesset in Gallia,& sic à petitione consulatus excluderetur. Quid fit? Quum tempus esset, Cæsar petivit se absentem fieri Consulem antequam ex Gallia decederet, quia si privatus in urbem rediisset, inimici eum accusaturi & oppressuri erant. Post multam ac variam deliberationem inimici Cæsaris ad se trahunt Pompeium, & fit senatus decretum, ut videant Consules & magistratus, *ne quid detrimenti caperet respublica.* Quod decretum quum non nisi in summis periculis fieri soleret & penè vim proscriptionis haberet, armati sunt Consules & Pompeius adversus Julium Cæsarem. Cæsar atrocitatem Senatusconsulti intelligens & jam delectum haberi videns,pro sui defensione cum exercitu procedit ad loca urbi Romæ vicina. Cognito Cæsaris adventu Consules & Pompeius ex Italia fugientes in Epirum trajiciunt ad urbem Dirrachium, ubi quantos possunt exercitus ex Græcia & Asia contrahunt. Interim Cæsar Romam adiit, & in Senatu narrat se necessariam suscipere defensionem, & hortatur ut secum rempublicam gubernent & legatos de pace ad Pompeium mittant, Postea in Hispaniam abit, & Pompeii exercitus fame ad deditionem cogit, & sic Hispanos sibi adjunxit. Romam deinde redit, comitia consularia habet, & se ac Servilium Isauricum Consules creat, judiciisque omnibus benè constitutis ut Consul navigavit in Epirum adversus Pompeium, ubi primò ad Dirrachium à Pompeio vincitur amissis 900 militibus. Inde discedentem in Thessaliam Pompeius jam animosior & elatior factus insequitur. Quum igitur ad Pharsalum ventum esset, commisso prælio vicit Cæsar trucidatis 15000 in exercitu Pompeii & captis 24000. Pompeius fugiens quum existimaret se in Ægypto fore tutum,& posse ibi conscribere exercitum novum, eò accessit, sed perfidè à Ptolemæi Dionysii fami-

familiaribus fuit interfectus; ejus nimirum regis, cujus patrem exulantem in regnum reduxerat Pompeius. Magna hæc fuit ingratitudo & regiâ personâ admodum indigna, maximè in virum tam eximiæ virtutis & autoritatis. Postea Cæsar venit in Ægyptum, ubi quum à percussoribus Pompeii ipsi insidiæ fierent, jussit eos interfici profligatis insidiatorum exercitibus. In hoc bello quod fuit Alexandrinum multùm adjutus est Cæsar consiliis & fide Antipatri principis Idumæi, qui fuit pater Herodis. unde factum ut deinde à Cæsare tutor ac procurator Judææ constitueretur, Josephus lib. 14 antiq. capp. 14. 15. Porrò de bello hoc civili plura vide apud Plutarchum in Pompeio. Sublato igitur Pompeio Cæsar solus regnavit factus Monarcha primus in quarta Monarchia, & Imperator Romanus, anno M. 3924.

Quartæ Monarchiæ Classis prima historiam Imperatorum Italorum continens.

C. JULIUS CÆSAR.

C. Julius Cæsar devicto Pompeio, omnibusque provinciis jam pacatis, Dictator perpetuus & Imperator nominatus est, & decretum ut esset ἱερὸς καὶ ἄσυλος. Initium hujus Monarchiæ à plerisque ponitur in eo ipso anno quo in acie Pharsalica vicit Pompeium, quia tunc summa potestas universæ gubernationis Julio Cæsari est tributa. Cœpit igitur imperator esse anno M. 3924, (aliis ex recentioribus 3976) tenuitque imperium annos 4, & interea temporis continuavit bellum Alexandrinum, Pharnacem Ponti regem vicit, bellum Africanum contra Scipionem, Catonem Uticensem & Jubam regem confecit. Postea quum T. Quintius Scapula novum bellum in Hispania movisset, exorta est inde pugna Mundensis, in qua Cæsar vicit Cneium Pompeii filium, cujus caput ad Cæsarem est delatum. Hujus Cneii frater Sextus è Sicilia in Asiam fugiens, & ab Antonianis ductoribus captus Mileti interfectus est. Ejectis igitur ex Hispania Pompeii filiis, quum Cæsar erga cives singularem ostenderet clementiam, indeque prænomen Imperatoris adipisce-

retur, invidi æmulatores tandem prodierunt, Brutus, Caſſius aliique conjurati, qui Cæſarem curiam ingreſſum inflictis 23 vulneribus interfecerunt. Plura apud Suetonium.

Synchroniſmus.

1. Suprà circa finem tertiæ Monarchiæ dicta quædam ſunt de Antipatro homine Idumæo, patre Herodis magni, quâ arte favorem & gratiam Julii Cæſaris ſibi conflaverit, videlicet ſuppetias ferendo Cæſari in bello Alexandrino. Propter hoc officium, ut Cæſar gratum ſe declararet, Antipatrum conſtituit totius Judææ Procuratorem ſeu tutorem, ſalvâ tamen Judæorum αὐτονομία, quum antea ipſum civitate donaſſet. Vide Joſephum lib. 14 ant. capp. 14 & 15.

2. Hircanus filius Alexandri, de quo ſuprà, manſit Pontifex & Rex Hieroſolymæ favore Cæſaris. Hujus Hircani ſimplicitas & ſtupiditas effecit apud Antipatrum, ut mutationem adferret Judææ. Nam Phaſaëlum filium natu maximum Hieroſolymis & vicinæ regioni ducem conſtituit, inani titulo Hircano relicto; alterum verò filium Herodem adoleſcentem 15 annorum Galilææ præfecit, Joſeph. lib. 14 ant. cap. 17.

3. Muri urbis Hieroſolymæ ante annos 17 per Pompeium diruti permiſſu Cæſaris ab Antipatro reædificantur.

4. Bellum Alexandrinum ſive Ægyptiacum, inde natum, quòd ab Achilla regis capitaneo, qui deinde in fuga periit, Cæſari inſidiæ eſſent factæ; confectum eſt, & regnum Ægypti Cleopatræ ejuſque fratri gubernandum traditum. In hoc bello conflagravit eximia illa bibliotheca à Ptolemæis magnâ induſtriâ inſtructa. Quum enim Cæſar inſidiatores igne propulſare cogeretur, accidit ut flamma illa ſimul bibliothecam corriperet.

5. Bellum Ponticum Cæſar ex Ægypto reverſus movit contra Pharnacen regem, Mithridatis filium, qui à Romanis, occaſione belli civilis inter Cæſarem & Pompeium, defecerat. In Pontum quum Cæſar veniſſet, vix unâ atque alterâ horâ elapſâ prælio Pharnacem uno ſuperavit & profligavit, qui in Boſphorum profugiens ibidem necatus eſt. Ob hanc victoriæ celeritatem ſuo triumpho Cæſar præfixit hæc verba: Veni, vidi, vici.

6. Bellum Africanum Cæſar Romam reverſus ſuſcepit

pit contra Pompeianos, Scipionem, Catonem Uticensem, & Jubam Mauritaniæ regem, quos acie vicit. Ac Juba quidem in conflictu occubuit. Cato verò Uticensis sibi manus attulit, lecto priùs Platonis libro de morte, ne scilicet victoris vultum adspicere cogeretur. Scipio naufragio periit. Hisce ita peractis Cæsar Romam exercitum deportavit, & eodem mense quater in urbem triumphos invexit, videlicet 1. ex Gallis & Germanis. 2. ex Ægypto. 3. ex Ponto. 4. ex Africa.

7. Cæsar aliquid ocii nactus anni emendationem aggressus est, quâ nos etiam hodie utimur, unde annus Julianus dicitur & Calendarium Julianum. Videatur Plutarchus in Cæsare.

8. Bellum ultimum à Cæsare gestum fuit Hispanicum, quo Pompeii filios Cneium & Sextum prælio ad urbem Mundam accerrimo commisso profligavit cæsis 30000 virorum, ubi Cn. Pompeii occisi caput ad Cæsarem est allatum. Frater verò Sextus ex Hispania venit in Siciliam, quam ad rebellandum Cæsari sollicitavit, sed rebus ibidem desperatis profugit in Asiam, ubi ab Antonianis captus & Mileti trucidatus est anno à morte patris 13, quum Octavianus Augustus rerum summam teneret.

9. Interitus Cæsaris admodum fuit tragicus. Quum enim Cassius non obtinuisset præturam urbanam & Cæsari honores invideret, autor fuit consilii de interficiendo Cæsare, & arte Brutum ad societatem hujus consilii pertraxit; deinde Bruti autoritas cæteros adjunxit. Facta igitur conspiratione, à Cassio & Bruto cæterisque consciis in curia interfectus est acceptis 23 vulneribus, quod factum est Idibus Martiis. Ex Plinio narratur augurem quendam ex extispicina, quòd bis defuisset cor in extis, prædixisse Cæsari malum non ultra Idus Martias abfuturum; sed Cæsarem risu hoc augurium excepisse, & eo ipso die quum obvium sibi augurem habuisset, contemptim dixisse, Venisse nunc diem. cui augur: Venisse sed non præteriisse.


10. Mensis antea Quintilis dictus in honorem Julii Cæsaris dictus est Julius propter Calendarii correctionem curâ & mandato Julii Cæsaris & operâ Sosigenis ex Alexandria adducti. Illo enim mense natus fuit Cæsar. Sequuta est anno Christi nati 1582 nova correctio per

Papam Gregorium XIII, qui decem dies extraxit ex mense Octobri, ut quum dies esset decimus quintus jusserit hunc dici vicesimum quintum, unde Gregorianum Calendarium. Sed de hoc alibi.

11. M. Tullius Cicero pleraque sua opera scripsit vivente Cæsare, inprimis quæ extant Philosophica.

OCTAVIANUS AUGUSTUS.

Quum Julius Cæsar Romæ interficeretur, Octavianus erat Apolloniæ. ubi certior factus de Cæsaris nece Romam contendit ibique hæreditatem adiit. Nam Cæsar in testamento ipsum adoptaverat & hæredem constituerat, siquidem erat avunculus magnus Octavii. Aditâ hæreditate hâc adiit quoque nomen, ut deinceps de more Julius Cæsar Octavianus diceretur: Prosapia hæc est:



Cæterùm cœpit Octavius imperare anno M.3929, (alii 3980) imperavitque annos 56, alii ponunt 57, incipientes à morte Julii. Hic verò tenendum includi annos 12 quibus Antonium habuit collegam. Distat initium imperii Octavii Augusti à nativitate Christi annis 42. Spacio 12 annorum quo Antonium habuit collegam quinque bella civilia gessit, Mutinense, Philippense, Perusinum, Siculum & Actiacum. Mutinense cum Antonio gessit, qui impotentiùs dominabatur, ubi Antonius profligatus profugit in Galliam ulteriorem ad M. Lepidum. Postea quum Octavius Senatum sentiret sibi contrarium per commercia literarum reconciliationem iniit cum Antonio. Convenit igitur inter Octavium, Antonium & Lepidum, ut universum imperium tanquam hæreditatem paternam dividerent, & suos singuli inimicos necarent, amicos conservarent, unde propositis proscriptionum edictis alius in alium sævit. Plutarchus in Antonio. Ac

quæ hic est triumviratus Octavii, Antonii & Lepidi, sanguinis & crudelitatis plenissimus, ubi singuli suos ulti sunt hostes, & inprimis Antonius Ciceronem. Philippense bellum gestum fuit cum Cassio & Bruto percussoribus Julii Cæsaris, ubi Cassius αὐτόχειρ, Brutus verò à comite fugæ transfossus est. Perusinum cum L. Antonio, Antonii triumviri fratre habuit, qui Antonio in Asia absente contra Octavium querebatur se parte agrorum ad fratrem pertinentium spoliari, & Octavius contra ipsum etiam habuit suas querelas. Accessit Fulvia M. Antonii uxor, quæ odia magis incendebat, ut tandem in bella erumperent. Octavius re cognitâ L. Antonium in Galliam contendentem in itinere intercepit ac Perusiæ in Hetruria conclusit & fame ad deditionem coëgit. Fulvia verò ad maritum suum M. Antonium cum liberis & Julia matre confugit. Ejus instinctu Antonius amicitiam renunciat Octavio, & ex Asia reversus in Italiam Brundusium invadit, atque ita Octavium bello lacessit. Interea Fulvia Sicyone moritur, quâ mortuâ pax componitur, & Octavius sororem suam Octaviam locat in matrimonium Antonio. His ita peractis Octavius & Antonius excluso Lepido partiti inter se sunt imperium, ut Octavius Occidentem, Antonius Orientem occuparet. Bellum Siculum, cui ansam præbuit S. Pompeius ex S. G. ab Hispania in Italiam vocatus, cui classis committebatur. Quumque undique proscriptos & fugitivos recepisset, totamque Siciliam occupasset, & latrociniis omnia compleret, Octavius ipsi restitit, & variis ac dubiis præliis commissis victus tandem Pompeius in Asia Mileti ab Antonianis jugulatus est. Bellum Actiacum inde est natum quod mutuæ essent inter Octavium & Antonium querelæ. Antonius crimini dabat Cæsari, 1. quòd M. Lepidum triumviratu abdicasset. 2. quòd copias S. Pompeii unus ad se sumpsisset. 3. quòd partem illarum reddere recusasset. Contrà Octavius objiciebat Antonio, 1. quòd Ægyptum sine sorte teneret. 2. quòd S. Pompeium interemisset. 3. quòd Artuasdam Armeniorum regem dolo captum in vincula cum infamia populi Romani conjecisset, 4. quòd in sororis suæ contemptum Cleopatram pro uxore haberet. 5. quòd Cleopatræ filium ex Julio Cæsare Cæsarionem nominasset, & dolosè imperium Romanum in Ægyptum transferre

ftuderet. Hifce rebus indignatus populus Romanus bellum verbo quidem Cleopatræ indixit per fecialem. Octavio igitur in Epirum trajicienti occurrit Antonius cum Cleopatra ad Actium Epiri promontorium, ubi factâ acerrimâ pugnâ Antonius victus cum Cleopatra Alexandriam in Ægyptum profugit, ubi poft annum ambo obfeffi funt, & Antonius falfo rumore occifæ Cleopatræ perterritus ipfe fefe interemit, Alexandria verò unà cum Cleopatra in poteftatem Cæfaris redacta eft. Cleopatra autem ne arbitrio Cæfaris victoris in triumpho duceretur ipfa fibi admotis afpidibus mortem intulit. Ex hac victoria Octavius dictus eft Auguftus, & quum anni Juliani ordinem à facerdotibus neglectum paulò pòft reftituiffet, menfis qui antea Sextilis dicebatur appellatus eft Auguftus. Hæc breviter de pugna Actiaca, quæ incidit in annum M. 3941, & fic Ægyptus amiffâ regiâ dignitate in provinciam Romanam eft redacta, primufque ei præficitur Cornelius Gallus. Confectis hifce domefticis bellis Octavius poft Antonii obitum geffit etiam in fua Monarchia bella, non quidem ipfe, fed perfuos duces, Drufum Germanicum, Quintilium Varum, & Tiberium. Bella autem fuerunt partim in Germania, ut Rhæticum, Vindelicum, Teutoburgenfe; partim in Hifpania Cantabricum; partim Pannonicum, Dalmaticum, Illyricum, &c. Magna ex parte felicia fuerunt hæc bella, nifi quòd ingens clades in Germania per Quintilium Varum accepta eft, tribus legionibus Romanis interfectis ab Arminio duce Cherufcorum, qui fuerunt populi inter Salam & Harcyniam Sylvam verfus Goflariam. Jam enim Romani domitis Noricis & Rhætis procedebant in Arctoam Germaniæ oram. Pugna Arminii facta eft in Weftphalia non procul à Padelborn, ut Melanchthon fentit.

Synchronifmus.

1. Judææ ftatus eft inquietus, & quidem ipforum Judæorum culpâ. Etfi enim Antipater erat moderatus & multa in Judæorum gratiam faciebat, Judæi tamen impatienter ferentes peregrinum dominum fubinde feditiones moverunt. Poftea interfecto Julio, quum quidam Malichus Antipatri infidiator fe Hircano fecuritatem paraturum fperaret, corrupto pincernâ Hircani, apud quem Antipater epulabatur, veneno Antipatrum

tol-

tollit, seseque Cassio, qui tunc in Syria præsidem agebat, conjungit, sed frustra. Quum enim Herodes Antipatri filius hoc facinore irritatus Hierosolymam instante festo & jejunante populo cum militibus esset ingressus, arte tandem perfecit ut à militibus Cassii Malichus interficeretur, Joseph. lib. 14 ant. capp. 18. 19. 20.

2. Antigonus filius Aristobuli audito Antipatri obitu ex Chalcide in Judæam reversus turbas movet Judæis & Herodi, ascitis in Judæam Parthis, quorum rex erat Pacorus; qui compositionem simulabat, sed captis Hircano & Phaselo Herodis fratre regnum Judææ tradit Antigono. Hic Hircano, ut ineptus in posterum esset ad Sacerdotium, aures præcidit, Phaselum verò in vinculis retinet, qui cum neci se destinatum rescisceret, & præ vinculis manus sibi adferre non posset, alliso ad saxum capite vitam abrupit. Hoc modo Antigonus periculo Hircani & Phaseli liberatus est. Interim Herodes summâ celeritate contendit Romam, & Antonio omnia quæ acciderant commemorat. Re pensitatâ unanimi consensu Antonii, Octavii, & Senatus Herodes Romæ rex Judææ declaratur, anno ante natum Christum 39; Antigonus verò ut hostis populi Romani proclamatur. Interea temporis dum hæc Romæ geruntur, Antigonus oppugnat familiam Herodis. At Herodes jam rex Judææ creatus ex Italia magnum exercitum ducit contra Antigonum, qui jam ultra triennium in Judæa regnaverat; & recuperatâ Galilæâ Judæam ingressus ad urbem Hierosolymam accedit, quam multo labore ac periculo acerrimè oppugnatam tandem expugnat, & multa crudeliter agit. Antigonus vinctus ducitur ad Antonium, qui tunc erat Antiochiæ in Syria. ubi ut hostis populi Romani securi percussus est. Quum igitur Herodes videret neminem regii generis præter Hircanum superesse, statuit eum è medio tollere, virum octogenarium, idque tandem perfecit. Vide Joseph. lib. 14 ant. à cap. 21 usque ad finem libri, item lib. 15. cap. 9. Hoc modo deleta est posteritas Maccabæorum, & rerum summa devenit ad Herodem Antipatri Idumæi filium, quod accidit anno 36 ante nativitatem Christi; ex quo porrò apparet quomodo sceptrum à Juda fuerit ablatum.

3. Hircano in summo Sacerdotio autoritate Herodis successit Ananelus Babylone accersitus. Quum autem Alexandra

Alexandra socrus Herodis ex uxore Mariamne indignè ferret filio suo Aristobulo hunc honorem eripi, qui tamen ipsi esset hæreditarius, Herodes dejecto Ananelo surrogat Aristobulum adolescentem 18 annorum, in cujus insidias Herodes intentus perfecit, ut in piscina quadam lavans quasi per ludum & jocum submergeretur, quo sic sublato rediit pontificatus ad Ananelum. Joseph. lib. 15 ant. cap. 3.

4. Summus senatus populi Judæorum deletus est ab Herode, videlicet 72 seniores, quum Senatum Judæi nominarunt Sanhedrin, vocabulo facto ex Græca appellatione συνέδριον. Vide Joseph. lib. 14 ant. cap. 17. in sermone Sameæ ad judices habito, quum Herodes tum præses Galilææ cædis accusaretur. Vide etiam lib. 15 ant. Josephi cap. 1. Accidit hæc crudelitas circa annum 6 imperii Augusti, qui est annus 2 regni Herodis, anno ante natum Christum 36 vel circiter. Reliquam Herodis sævitiam in domesticos suos recenset Josep. lib. 15 antiquit. cap. 11. & lib. 16. capp. 6. 11. 17. & lib. 17 ant. cap. 3. ubi Antipater filius Herodis legitur patri insidias struxisse, unde porrò varia exorta sunt mala, & ipse Antipater tandem jussu patris interfectus est quinto die ante mortem Herodis, Joseph. libr. 17 ant. cap. 9. quod accidit circa annum 2 nati Christi.

5. Judæa horrendâ fame affligitur, ex qua etiam multi gravissimi morbi exorti sunt. Hic verò Herodes ut Judæorum gratiam colligeret, pecuniâ variis modis conquisitâ frumenta comparat, & populo distribuit, Joseph. lib. 15 ant. cap. 12. Factum est hoc anno 13 regni Herodis, 23 ante natum Christum.

6. Ananelo in pontificatu Hierosolymæ successerat Jesus Phabetis filius, sed hic ab Herode Pontificatu movetur, eique sufficitur quidam Simon homo mediocris sortis; quia Herodes, posteaquam uxorem Mariamnem Hircani filiam interfecisset, Joseph. lib. 15 antiq. cap. 11, Simonis istius filiam puellam longè formosissimam uxorem duxerat, Joseph. ibid. cap. 12.

7. Templum Hierosolymitanum ab Herode renovatur, ampliatur & exornatur anno regni Herodis 18, ante natum Christum 18, anno imperii Augusti 24. Hinc ad ministerium Christi numerantur anni 46, qui nominantur à Judæis in sermone cum Christo, Joh. 2. vers. 20 Cæterùm

terùm de hac templi renovatione vide Joseph. lib. 15 ant.cap.14. Post triennium Marcus Agrippa vicarius Cæsaris invitatus ab Herode venit Hierosolymam, ibique in templo obtulit hostias Deo Israëlis, ut Philo Judæus testatur. De hoc Agrippa vide etiam Joseph.lib. 15 ant. cap. 13. Porrò non solùm templum renovavit Herodes, verùm etiam in gratiam Cæsaris urbes condidit, de quibus vide Josephum lib. 15 ant.cap. 13. & lib. 1 de bello Jud. cap. 16.

8. Simon pontificatu abdicatur per Herodem, cui succedit Matthias filius Theophili genere Hierosolymitani. Quum enim Simonis filia Herodis uxor accusaretur veneficii, ab Herode est rejecta, & pater pontificatu deturbatus, Joseph. lib. 17 ant. cap. 6.

9. Matthias pontifex suspectus de consilio dejectæ aquilæ aureæ super majorem templi portam privatur pontificatu, & ab Herode substituitur Jozarus frater uxoris Matthiæ, Joseph. lib. 17 ant. cap. 8.

10. Historia NOVI TESTAMENTI incipit proximo anno ante nativitatem Christi. Nam Lucas Euangelista suam narrationem orditur à denunciatione conceptionis Johannis Baptistæ, Matthæus verò anno sequenti; Marcus & Johannes à prædicatione Johannis Baptistæ.

11. NATIVITAS JESU CHRISTI, filii Dei & Mariæ virginis, Domini ac redemptoris nostri, incidit in annum M. 3970, aliis recentioribus 4020. Admodum discrepantes sunt in hac supputatione Chronologi. Historia hujus nativitatis legatur apud Matthæum & Lucam Euangelistas. Supervixit porrò Augustus Cæsar annos 15. Primo nativitatis suæ anno Jesus Christus jussu Dei mittitur in Ægyptum, ubi exulasse scribitur quinquennium, ut nimirum Herodis infanticidio subtraheretur.

12. Herodes immani facinore infanticidii Bethlehemitici perpetrato sequenti proximo anno moritur. Morbum & mortem vide apud Josephum lib. 17 ant.capp.8. & 9. Egesipp. lib. 1. cap. 45.

13. Defuncto Herode Augustus Cæsar relictis filiis provincias Judaïcas & paternam hæreditatem distribuit. Archelaüm adempto regio titulo constituit Ethnarcham, & dimidiam paternæ ditionis partem ei tribuit, regium hono-

honorem ac titulum pollicitus si eo dignum se gesserit. Alterum dimidium partitus est Philippo & Antipæ, Josephus lib. 17 ant. cap. 13. Sed Archelaüs decimo principatus sui anno propter nimiam tyrannidem à Judæis & Samaritis apud Cæsarem Augustum accusatus mittitur in exilium Viennam urbem Galliæ, mulctatus priùs omni pecuniâ, Joseph. ibid. cap. 15. Ditio verò Archelaï contributa est Syriæ. quò missus est ab Augusto Sulpitius Quirinius vir consularis, qui censum ageret per Syriam & ipsius Archelaï bona venderet, fiscoque Romani imperii inferret, Joseph. lib. 17 ant. cap. 15. Interim Philippus & Antipas suæ quisque tetrarchiæ res ordinat, Joseph. lib. 18 ant. cap. 3. Porrò occurrit hic difficultas de tempore istius ἀπογραφῆς de qua meminit Lucas cap. 2. vers. 2. ubi dicitur ἡγεμόνι præside Syriæ Cyrenio, qui aliàs dicitur Quirinius. Nam Josephus lib. 18 ant. cap. 1. narrat Quirinium proconsulem missum esse in Syriam census agendi caussâ demum post mortem Herodis & post missionem Archelaï in exilium, & cap. 3. ait Josephus censum actum fuisse anno 37 post pugnam Actiacam, qui est annus 7 vel 8 post natum Christum. Sunt qui non absimile vero esse putant Josephum memoriâ fuisse lapsum, vel quòd census quidem edictus sit antè, sed non statim peractus, ideoque cum exercitu postea missum esse Coponium qui Judæos pertinaces comprimeret. Vide harmoniam Calvini ad locum Lucæ cap. 2. vers. 1. Hinc est quod quidam scribunt post Archelaï ejectionem à Quirinio secundum censum actum esse.

HActenus Synchronismus rerum Judaïcarum seu Ecclesiæ: sequitur rerum politicarum Synchronismus.

1. Ad supplicium tracti sunt Julii Cæsaris percussores. Trebonius in cubili suo omni cruciatu corporis vexatus trucidatus est, ejusque caput à militibus instar pilæ lusoriæ hinc inde jactum per ludibrium adeò contritum est, ut nulla appareret facies. Decius Brutus à legionibus suis relictus & ad Aquileiam captus jussu Antonii à Capeno Sequano occisus, & caput Antonio missum est. Minutius Basilius à suis servis trucidatus est, quos per iram castraverat. Cassius Brutum cum equitatu redeuntem longè prospiciens, & irrumpentes hostes esse suspicans

cans, liberti ſui Pindari manu caput ſibi præſecari juſſit. M. Brutus rebus deſperatis Stratonem fugæ comitem exoravit ut ſe gladio transfoderet.

2. De Auguſti familia tenendum hoc: primò uxorem duxit Claudiam Fulviæ ex P. Clodio filiam, Antonii privignam, ſed vixdum nubilem. quam deinde ſimultate cum Fulvia ſocru exortâ virginem intactam dimiſit. Mox Scriboniam in matrimonium accepit, nuptam antè duobus conſularibus & ex altero matrem; ſed quum moroſior eſſet, divortium cum ea fecit, ac ſtatim nuptias celebravit cum Livia uxore Tiberii prægnante, conſentiente marito. Hæc Livia tertio à nuptiis menſe peperit filium Druſum, unde factum eſt proverbium: τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία, id eſt, felicibus ſunt & trimeſtres liberi. Fuit autem ſuſpicio Liviam per adulterium ab Auguſto ante fuiſſe imprægnatam. Ex Scribonia ſuſcepit filiam Juliam; ex Livia nullam habuit ſobolem. Julia maritum habuit M. Agrippam, ex quo genuit tres filios, Caium, Lucium & Agrippam; item duas filias, Juliam & Agrippinam. Sed ambæ Juliæ, mater & filia omnibus probris contaminatæ relegatæ ſunt, & in cæteris nepotibus Auguſtus nihil quicquam habuit ex quo gaudere potuit, unde ad Juliarum mentionem ingemiſcens Homericum illud proclamare eſt ſolitus: Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμμεναι ἄγονός τ' ἀπολέσθαι. Vide Sueton. in Octav. Auguſt. capp. 62. 63 64. 65.

3. De ducibus bellicis quorum operâ uſus eſt Auguſtus adverſus exteros hoſtes, etiam multa commemorant hiſtorici. Nec enim poſt C. Julium Cæſarem deſtiterunt Romani infeſtare Germanos. Mittitur igitur à Romanis M. Lollius, homo avarus, qui irruptione factâ in Saxoniam 18000 Germanorum trucidavit. At Francus Sicambrorum rex 40000 militum mittit Saxonibus, quorum auxilio Romani cæſi & profligati ſunt duce Mellone Weſtphalo. In hac clade Lolliana, quæ incidit in annum imperii Auguſti 26, Germani adepti ſunt aquilam, inſigne prætoriæ cohortis, & 20 centuriones de arboribus ſuſpenderunt. Poſtea miſit Auguſtus Claudium Druſum, qui in Germania multa feliciter egit, eamque à Rheno uſque ad Albim, Salam & mare Balthicum Romanis ſubegit, ut inde Germanicus diceretur; deinde verò Germani libertatis ſtudio bellum redintegrarunt. ubi

ubi inito prælio Drusus ex equo delapsus crus fregit, indeque Moguntiam deportatus vitam finivit. Druso extincto belli moles devoluta est ad Claudium Tiberium, Drusi fratrem ex patre Tiberio. Hic benevolentiâ magis quàm vi & armis effecit, ut plerique Rheni accolæ sese in fidem Romanorum darent. Quo ita peracto Augustus Tiberium ad imperium provexit & nomine Imperatoris ornavit, quod accidit anno 6 ante natum Christum. Deinde anno 10 post Christum natum missus est contra Germanos Quintilius Varus, qui antea fuerat Syriæ præses, homo avarus & immitis. Hic quum multa faceret crudeliter, justa arma adversus illum induit Arminius Cheruscorum rex, & ascitis Germanicis principibus ac Sacerdotibus Varum per insidias adortus est in Westphalia non procul à Paderborn inter fluvios Lippiam & Amisiam, ubi Varus maximâ sui exercitus parte amissâ sauciatus ne ab hoste caperetur suo se jugulavit gladio. Arminius verò tres legiones Romanas delevit. Quod ubi Augustus Romæ rescivit, præ ingenti dolore capite aliquoties ad parietem alliso exclamasse fertur: Quintili Vare redde legiones. Post annos 12 Arminius à propriis suis propinquis, sed dolo Tiberii conductus, interficitur.

4. De proscriptione & cæde Ciceronis gravis fuit contentio inter Triumviros, Augustum, Antonium & Lepidum, Antonio graviter contra Ciceronem debacchante, & tandem proscriptionem obtinente. Cicero igitur sub adventum Triumvirorum in urbem Româ cesserat in Thusculanum suum, & inde cognitâ proscriptione in Formianum. Quum autem percussores ad suam cædem accurrere videret ex lectica cervicem immotam eis præbuit. Popilius Lænas (quem parricidii reum Cicero morte eripuerat) caput præscidit & manus, eaque Antonio comitia habenti eminùs ostendens ingentem gratiam iniit. Fulvia Antonii uxor linguam acubus pupugit. Caput pro rostris positum est. Plutarchus in Cicerone.

5. Docti viri sub imperio Augusti fuerunt, Cicero, Virgilius, Salustius, Dioscorides, Manilius, Propertius, Horatius, Ovidus, &c.

TI-

TIBERIUS.

Augusto Cæsari vi adoptionis in Imperio successit Tiberius in Claudia familia natus. Patrem habuit Tiberium Neronem, qui in bello Alexandrino Julii Cæsaris Quæstor fuerat, & deinde in Triumviratu Octavii, Antonii & Lepidi, Prætor. Mater ejus fuit Livia, quam Augustus, licèt ex Tiberio marito (ut putabatur) gravidam, vivo marito uxorem duxerat, unde Drusus natus. Hinc & Tiberius & Drusus privigni Cæsaris Augusti dicti sunt, & quum Drusus in Germania periisset, hic Tiberius ab Augusto fuit adoptatus. Quales fuerint ejus mores, judicari potest ex præceptoris Theodosii verbis, qui in objurgando ipsum nominare solebat *lutum sanguine maceratum*. Fuit enim ingenio ac naturâ insidiosus & hypocriticus. Vide Suetonium. Cœpit imperare anno Christi 15, & imperavit annos 23. Inter initia modestum sese, humanum & patientem exhibuit, scilicet quandiu vixit Germanicus Drusi filius, & semper pro symbolo in ore habuit, tondendas non deglubendas esse pecudes, κείρεσθαι ἀλλ' οὐκ ἀποξύρεσθαι; postea verò in Campaniam secedens imperii curam abjecit, ebriosus, luxuriosus, rapax, crudelis, ut tandem per contemptum BIBERIUS MERO diceretur. Ab hoc igitur Tiberio inposterum dignitas & flos imperii magis magisque flaccessere cœpit. Obiit languore & lentâ tabe absumptus anno ætatis 78, & mors ejus universo populo magnam lætitiam attulit.

Synchronismus.

1. Archelao in exilium misso præsides Judææ constituti sunt, ex quibus primus fuit Coponius, qui cum Sulpitio Quirinio Syriæ præside mittebatur. Alii hunc Coponium numerant secundum. Coponius successorem habuit M. Ambivium; huic successit Annius Rufus, quo præside obiit Augustus Imp. Post hunc à Tiberio missus est Valerius Gratus; post hunc Tiberius misit Pontium Pilatum anno 27, qui præfuit Judææ annos 10, & deinde ob injustitiam & crudelitatem à Samaritanis coram Vitellio Syriæ præside accusatus Romam revocatur, quo antequam pervenit, Tiberius vitâ excessit. Pontio

Pilato successit Marcellus Vitellii amicus, Joseph. lib. 18 ant. capp. 1. 3. 5.

2. In pontificatu Hierosolymitano Jozaro, qui dejectus fuit ab Archelao, successit frater Eleazarus, Josph. libr. 17 ant. cap. 9. Eleazaro Jesus Siæ filius. Deinde pontificatum adeptus est Ananus Sethi à Quirinio Syriæ præfecto surrogatus, Joseph. lib. 18 ant. cap. 3. Postea Valerius Gratus Judææ præses quatuor pontifices successivo ordine ordinavit, nempe Ismaëlem, Eleazarum Anani filium, Simonem Camithi, & Josephum Cajapham, qui tempore passionis Christi functus est pontificatu. Postea anno Christi 37, Vitellius Syriæ præses venit Hierosolymam in festo Paschatis, & quum reddidit Sacerdotibus sacras vestes Cajapham à Sacerdotio removet, eique sufficit Jonathanem Hannæ (seu Anani) filium. Estque memorabile quod Lucas monet cap. 3. vers. 2. sub pontificibus Anna & Cajapha factum esse verbum Domini ad Johannem Zachariæ filium, &c. ut scilicet significetur, dum duo simul fuerunt pontifices, res adeò fuisse turbatas & confusas, ut planè contra leges non esset unus aliquis verus pontifex, sed ambitione & tyrannicâ potentiâ laceratum fuisse sacrum munus. Calvinus in harm. super hunc locum.

3. *Novi Testamenti* historia, quæ contigit sub Tiberio Imp. incipit à baptismo Johannis, qui incidit in annum imperii Tiberii 15, qui est à nato Christo 30, ut expressè meminit Lucas cap. 3. vers. 1. & vers. 23. & extenditur ad annum 3 à conversione Pauli, quo Paulus ex Arabia Damascum reversus rediit Hierosolymam ut viseret Petrum, Gal. 1. vers. 18. & Act. 9. vers. 26. Hoc enim anno Tiberius obiit. Quare à baptismo Johannis ad hunc Pauli reditum abierunt anni 8 vel circiter.

4. Johannes Baptista decollatur anno ætatis 32, qui fuit annus imperii Tiberii 17. Historia extat apud Matt. 14. v. 3. &c. Marc. 6. v. 14, &c. Luc. 3. vers. 12.

5. JESUS CHRISTUS, Dominus ac redemptor noster propter peccata nostra crucifixus, mortuus ac sepultus est, & tertiâ die resurrexit à mortuis, &c. anno ætatis 34 completo, vel 35 inchoato, qui est annus 19 Tiberii imperii.

6. Stephanus diaconus & protomartyr lapidatur, & Paulus antea Saulus dictus ad Euangelium Christi convertitur

vertitur anno Christi 35, qui est annus imperii Tiberii 20. Pauli Apostoli peregrinationes cum temporum distinctione vide apud Philippum Melanchth. in Chronico fol. 367.

7. Philippus Herodis infanticidæ filius, Iturææ & Trachonitidis tetrarcha, cui frater Herodes Antipas uxorem Herodiadem abduxerat sibique duxerat, moritur anno Christi 35, qui est annus Tiberii 20, annus à decollatione Joh. Baptistæ 3. Elapso quinquennio Herodes Antipas deinde cum sua Herodiade mittitur in exilium imperante Caligulâ. Fuit hæc Herodias Antipæ & Philippi neptis ex fratre Aristobulo, Joseph. lib. 18 ant. cap. 9. Tabula est:

Herodes M. infanticida.

Archelaus, Antipas, Philippus, Aristobulus.

Agrippa. Herodias.

8. Agrippa filius Aristobuli, nepos Herodis M. ob debita non soluta Romam vocatus conjicitur ibi à Tiberio in vincula, Joseph. lib. 18 ant. cap. 8. Nota obiter Aristobulum hunc fuisse filium Herodis M. quem pater unà cum altero filio Alexandro ex suspicione insidiarum interfecit, Joseph. lib. 16 antiquit. cap. 17. Reliquit autem Aristobulus filium Agrippam, qui deinde Jacobum Apostolum interfecit, Act. 12. versſ. 1, 2. & filiam Herodiadem, de qua jam dictum.

9. Paulus Apostolus posteaquam triennio à conversione sua exacto reversus Hierosolymam vidit Petrum, & per dies 15 cum ipso est conversatus, Gal. 1. vers. 18. deductus deinde à fratribus Cæsaream emissus est Tarsum Act. 9. v. 30. Accidit hoc ultimo anno Tiberii.

10. Germanicus Drusi filius à Tiberio patruo in Germaniam mittitur, ibique quamvis difficulter, feliciter tamen, vincit Germanos, de quibus Romam revocatus triumphat. Cæterùm ut videas quo propinquitatis gradu Germanicus in familia Tiberii hæreat, notetur hæc tabella:

Tiberius. — Livia Drusilla.

Tiberius Imp. Drusus. — Antonia filia Antonii ex Octavia.

Claudius Imp. — Germanicus.

Germanicus hic ille est, cui Ovidius dedicavit fastos suos. Mortuus est in Syria Antiochiæ à Pisone jussu Tiberii veneno interfectus. Excelluit virtute, rexit Germaniam, & inde Armeniam & Syriam. Latino carmine reddidit Aratum. Uxorem habuit Agrippinam, filiam Agrippæ & Juliæ filiæ Augusti Imp. unde nomen est Coloniæ Agrippinæ.

11. Docti viri imperante Tiberio vixerunt, Ovidius in exilio mortuus, Valerius Maximus. Nati sunt Plinius & Persius Satyricus poëta.

C. CALIGULA.

Quartus hic est à Julio Cæsare Imperator, filius Germanici & Agrippinæ, optimi parentis pessimus filius & ad monstrum usque turpis ac flagitiosus, adeò ut suis sceleribus flagitia Tiberii obscuraverit. Patre in Syria defuncto ad Antoniam aviam Drusi conjugem transiit, inde annos ætatis 20 ad Tiberium pervenit, cujus beneficio imperium obtinuit. Cœpit imperare anno Christi 38, & imperavit annos 3, menses 10. Initio exoptatissimus fuit princeps, sed paulò pòst adeò degeneravit, ut inter sceleratissimos numeraretur. Cædibus, adulteriis atque incestis libidinibus fuit contaminatissimus, fratrem Tiberium & socerum Syllanum interfecit, haut ullâ illustriore fœminâ abstinuit, duas sorores quibus stuprum intulerat relegavit, aviam, quòd verbis ab ea esset correptus, ad voluntariam mortem compulit, ἀποθέωσιν affectavit adeò ut & templum Hierosolymitanum in suam ædem commutare conatus sit, ut Caii Novi illustris Jovis appellaretur, id quod occasionem & ansam præbuit Judaicæ defectionis. Interfectus tandem est à Cas-

Caſſio Chæreo & Cornelio Sabino prætoriæ cohortis Tribunis. Dictus fuit Caligula à caliga ſive calceamento militari.

Synchroniſmus.

1. Suprà diximus de Agrippa (qui dictus fuit major) interfectore Jacobi Apoſtoli, quòd debitorum cauſſâ à Tiberio Imper. Romæ in vincula fuerit conjectus. Hic quamprimùm Caligula ad imperium acceſſit, eò quòd in pueritia ei fuiſſet familiariſſimus, non ſolùm è carcere fuit liberatus, ſed etiam regiâ dignitate ornatus in regnum ſuum remiſſus eſt. Hunc tam inopinatum honorem invidens ſoror Herodias multis ſollicitationibus eò tandem adegit Herodem Antipam maritum ſuum, ut & ipſe regium diadema ab Imp. Caio peteret. Quocirca Antipas Romam profectus, quum ibi præter ſpem per literas Agrippæ accuſaretur perfidiæ in Cæſarem, in exilium ejectus eſt unà cum ſua Herodiade, & ejus bona Agrippæ tradita ſunt. Ita pœnas luit tum inceſti tum cædis in Johanne Baptiſta patratæ. Accidit hoc anno Chriſti 50, mortis Baptiſtæ 9. Circa hoc idem tempus ſcribitur Pontius Pilatus mortem ſibi conſciviſſe in ſummis rerum anguſtiis, Euſeb. lib. 2. cap. 6. hiſtor. eccleſ. Idem accidiſſe Hannæ, Cajaphæ, item aliis Scribis ac Phariſæis narratur ex Nicephoro lib. 2. cap. 10.


2. C. Caligula per Petronium Syriæ præſidem Judæos cogere vult, ut intra templum recipiant imaginem ſuam, cui ſpontaneâ mortis oblatione Judæi reſiſtunt. Perſcribit hoc Petronius ad Cæſarem, qui interceſſione Agrippæ regis Judæis ampliùs non eſt moleſtus, Joſeph. lib. 18 ant. cap. 11. & lib. 2 de bello Jud. cap 9.

3. Qui Chriſto crucifixo, mortuo, à mortuis reſuſcitato, ad cælos evecto & ad dextram Dei Patris ſedenti nomina dederunt ſua Antiochiæ, primò cœperunt *Chriſtiani* nominari. Quum enim hæretici ſeſe etiam fratres nominarent, ut eſſet diſtinctio, placuit diſcipulis Chriſti ut inpoſterum Chriſtiani appellarentur, Act. 11. verſ. 26.


Philo Judæus & Philoſophus inſignis plurimùm in Platonis Philoſophia exercitatus, ut quaſi proverbium factum ſit: ἢ Φίλων πλατωνίζει, ἢ Πλάτων φιλωνίζει, legatus mittitur ad Caligulam propter ſeditionem Alexandriæ inter Judæos & Græcos obortam. Videatur Joſephus lib. 18 ant. cap. 10.

CLAUDIUS.

Caligulæ successit Tiberius Claudius, filius Drusi, patruus Caligulæ, ut liquet ex hac tabula:



Defuncto Caligulâ, cum quo multùm est conversatus, præ metu in occulta loca sese abdidit, unde extractus à militibus invito Senatu salutatus est Imperator, quum illis singulis promisisset quater dena sestertia, id est, 350 coronatos. Latinè & Græcè doctus fuit, & historias operam addente Livio scripsit. Laudatur ejus humanitas. Vitiis tamen non caruit, maximè in vagis libidinibus & voracitate. Modum etiam in ludis gladiatoriis excessit, & quod ridiculum est, publico edicto crepitum ventris emittendi potestatem fecit etiam in publico convivio, quum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperisset. Uxorem duxit Agrippinam filiam Germanici & Agrippinæ filiæ Agrippæ & Juliæ filiæ Augusti Imp.



Hæc Agrippina Claudii uxor priùs habuit maritum Domitium Neronem, ex quo genuit Neronem, qui post Claudium factus est imperator. Nata autem est Agrippina in loco Germaniæ, quò deinde jussu ejus per Veteranos

ranos deducta est colonia, quod nomen urbi remansit in hodiernum usque diem, & dicitur COLONIA AGRIPPINA ad Rhenum sita. Quum animadverteret Agrippina Claudium de ipsa humilianda & filio Britannico successore relinquendo consilia agitare, ipsa metu perculsa immedicabile venenum per veneficam parat, quo circumventus Claudius noctu amissâ loquendi & audiendi facultate vitam clausit. Cœpit autem Claudius imperare anno Christi 42, & imperavit annos 13, menses 8. De Claudio multa etiam narrat Josephus lib. 19 antiquit. capp. 2. 3. 4.

Synchronismus.

1. Huc pertinent ea quæ per totum cap. 12 Act. à Luca commemorantur, videlicet 1. de martyrio Jacobi majoris, qui fuit filius Zebedæi & frater Johannis Euangelistæ. 2. de carcere Petri & miraculosa ejus liberatione per Angelum. 3. de Agrippæ fastu & pœna φθειρι-ασ qua extinctus est. Item quæ porrò sequuntur in Actis Apostolorum usque ad finem capitis 24. Nam in cap. 25. narrat Lucas quomodo caussa Pauli acta sit coram Festo, qui Felici Judææ provinciâ jam decedenti, constitutus erat successor, ut legitur cap. 24. vers. ult. Factum autem hoc est autoritate & mandato Neronis, & quidem anno primo imperii Neronis.

2. Herodes Agrippa quum jam præter ditionem Archelai & Antipæ multâ accessione per Claudium Imp. auctior esset factus, ut refert Ioseph. libr. 19 ant. cap. 4. & lib. 2 de bello Jud. cap. 10. jamque totius Judææ rex esse declaratus & confirmatus, Hierosolymæ auream catenam à Caligula donatam in templo suspendit, ut carceris sub Tiberio aliarumque calamitatum esset monumentum. Quibus votis Deo redditis Theophilum Anani filium summo Sacerdotio movit, inque ejus locum suffecit Simonem Cantharam Boëthi filium, Josephus lib. 19 ant. cap. 5. Sed paulò pòst rex Agrippa Simonem Cantharam pontificatu privat, quem Jonathæ Anani filio obtulit, sed hoc recusante & ut fratri Matthiæ traderetur petente, ad hunc hic honos est delatus, Joseph. lib. 19 ant. cap. 6.


3. Petronio in præfectura Syriæ succedit Marsus, inter

quem & Agrippam ex diffidentia simultas orta est, Joseph. lib. 19 ant. cap. 7.

4. Agrippa Matthiæ adempto pontificatu successorem dedit Elionæum Cithæi filium, Jos. ibid.

5. Herodes Agrippa anno 3 regni totius Judææ exacto, qui est annus Christi 44, annus imperii Claudii 3, profectus est Cæsaréam (quæ urbs dicta est Stratonis turris) ut festum ibi in magna Judæorum frequentia editis ludis sumptuosissimis pro salute Cæsaris Claudii celebraret. Confluxit magnus nobilium cœtus. Horum ludorum altero die in theatrum venit manè veste indutus filis argenteis mirabili artificio ita intertextâ, ut radiis orientis Solis perculsa & divinum quendam fulgorem emittens spectatoribus venerationem cum horrore excuteret. Nec defuerunt adulatores, qui tantâ majestate permoti Herodem insolita quædam concionantem lætis acclamationibus interpellarunt, non hominem sed deum esse qui ita coruscaret, itaque se veniam petere quòd hactenus non ut deum sed ut hominem timuissent. Hanc gratulationem quum rex accepisset, nec quidquam contradixisset, subito intestinorum dolore eoque acerbissimo correptus est, & in regiam delatus inter maximos cruciatus à vermibus erosus superbam & impiam animam exhalavit. Meminit etiam Lucas in Actis cap. 12. verss. 21, 22, 23. Eo tempore defuncti Agrippæ filius patri ὁμώνυμος Agrippa junior Romæ educabatur apud Claudium Cæsarem, qui audito patris obitu sperabat successionem in regnum paternum, quam etiam à Claudio Imp. obtinuisset, nisi à libertis & aliis dissuasum fuisset, quòd non esset tutum admodum adolescenti & adhuc puero tantum regnum committere. Cæsar igitur mittit præsidem Judææ totiusque regni Cuspium Fadum, Joseph. lib. 19 antiquit. cap. ultim. Marsum verò Syriæ provinciâ decedere jubet, cujus in locum sufficit Cassium Longinum, propter simultates quæ intercesserant Marso cum defuncto Agrippa. Interim Herodes defuncti Agrippæ frater, dynasta Chalcidis petit à Cæsare potestatem in Templum, sacrorum ærarium, & jus eligendorum pontificum, eaque omnia impetrat, ut non solùm sibi sed etiam posteris suis manserint usque ad belli Judaici exitum. Ipse deinde Herodes Canthara in ordinem redacto summum pontificem creat Josephum

phum Canæi. Cæterùm quum hactenus aliquot Herodum mentio facta sit, propter majorem claritatem sequens tabula notetur:



a. Tenuit Judæam sine regio nomine annos 9. De hoc Matth. 2. vers. 22.
b. Tenuit Galilæam ut Tetrarcha, de quo Matth. 14. v. 1, 3. Marc. 6. v. 17. Luc. 3. v. 19.
c. Tenuit Trachonitidem seu Ituræam, de quo ibid.
d. Hunc pater interfecerat propter suspicionem insidiarum, Joseph. lib. 16 ant. cap. 17.
e. Matth. 14, &c. ut supra in litera *b.*
f. Act. Apost. cap. 12.
g. Joseph. lib. 20 ant. cap. 1.
h. Act. 25. vers. 13, &c. & cap. 26, &c. Joseph. lib. 19. cap. ult.

Comprehensi sunt tres Herodes hoc disticho:

Ascalonita necat pueros, Antipa Iohannem,
Iacobum Agrippa, & tenet hic in carcere Petrum.

5. Pontificiæ seu Papales traditiones ex Hieronymo affirmant, Petrum Apostolum anno 2 (aliis anno 3, aliis anno 4) Claudii Imperatoris abiisse Romam ut confun-

deret Simonem Magum, ibique Cathedram sacerdotalem tenuisse annos 25 usque ad ultimum annum Neronis Imp. quod si ita est, quomodo quæso stabit, quod Lucas in actis scribit Petrum Hierosolymæ fuisse in vinculis, quod incidit in annum 2 Claudii, item interfuisse Synodo Apostolorum quæ Hierosolymæ celebrata est anno 7 Claudii Imp. vel, ut alii volunt, 9. & Paulus dicit se post 14 annos (scilicet à primo ascensu Hierosolymam, de quo Galat. 1. vers. 18.) rediisse Hierosolymam, indeque Antiochiam, ubi Petro in os restitit, Gal. 2. v. 1. & 11. Profectò Acta Apostolorum non admittunt Petrum Romæ fuisse, quicquid Hieronymus & alii ex humanis traditionibus scribant.

7. Synodus Apostolorum Hierosolymæ habita, de qua in actis cap. 15, refertur ad annum 9 Claudii, qui est annus 16 conversionis Pauli, juxta supputationem Melanchthonis. In hac Synodo decretum est leges ceremoniales in N. Testam. esse abrogatas, & omnes credentes per gratiam Domini nostri Jesu Christi salvos fieri.

8. Cuspius Fadus quum jam per triennium Judæam gubernasset, successit ei Tiberius Alexander, de quo Joseph. lib. 20 ant. cap. 3. Cæterùm Cuspii Fadi tempore quidam Theudas (act. 5. vers. 36.) præstigiator plurimis Judæis persuasit ut assumptis suis facultatibus se sequerentur ad Jordanem fluvium, se enim esse prophetam, & verbo se scissurum Jordanem ac transitum præbiturum. Sed Fadus hunc Theudam cum asseclis repressit & interfecit, Josephus lib. 20 antiq. cap. 2. Ad administrationem Tiberii Alexandri refert Josephus magnam illam famem quæ Judæam tenuit, & quam prædixerat Agabus Act. 11. vers. 28. nec solam Judæam afflixit hæc fames, sed & totum terrarum orbem. Josephus de hac fame meminit lib. 20 ant. cap. 3. Alii hanc famem referunt ad annum Christi 46, quo tempore Fadus Judæam rexit, nisi forsan non de eadem sed de diversa fame historiæ loquantur.

9. Herodes Chalcidis dynasta Josephum Camyde filium pontificatu privavit, eique succedere jussit Ananiam Nebedæi filium. Forsan est hic ille Ananias de quo in Actis 23. vers. 2. qui jubebat Paulo alapam impingi, Joseph. 20 ant. cap. 3.

10. Tiberio Alexandro in præfectura Judææ successit Cu-

Cumanus, sub quo exortâ seditione Hierosolymis multi Judæi desiderati sunt. Etenim in festo Paschatis miles quidam impudentissimus ut Judæorum solennitatem contumeliâ afficeret, populo nudata genitalia ostenderat, quod Judæi indignissimè ferentes, & Cumanum, quòd sceleris hujus conscius esset suspectum habentes, omni modo vindicare studuerunt & statuerunt. Sed & ipse Cumanus non mediocriter irritatus jubet totum suum exercitum cum armis convenire, unde multitudo perterrita magno impetu fugere cœpit, quumque angusti essent viarum exitus, mutuis compressionibus & conculcationibus 20000 exinctorum numerata sunt, Joseph. lib. 20 ant. cap. 4. Cumanus porrò quòd in orta seditione inter Judæos & Samaritanos hisce visus fuisset æquior, à Quadrato Syriæ præside missus est Romam, ubi cognitâ caussâ Claudius Imp. ipsum in exilium ejecit, & in Judæam misit Claudum Felicem, cujus fit mentio in actis Apostolorum cap. 23. vers. 24. & cap. 24. ubi Paulus Apostolus contra Ananiam & seniores Judæorum coram Felice sese defendit. De misso in Judæam Felice vide Joseph. lib. 2 ant. capp. 5. 6.

11. Herodes rex Chalcidis frater Agrippæ majoris vitâ excessit anno 8 Claudii Imper. eo ipso tempore quo Cumanus factus est procurator Judææ. Principatum ejus Claudius Cæsar Agrippæ juniori donavit, Josephus lib. 20 antiquit. cap. 3. Postea anno imperii 12 eidem donavit Philippi tetrarchiam, Joseph. ibid. cap. 5. sed Chalcidem ei ademit, cui jam quadriennio præfuerat, ibidem.

12. Ægyptius quidam impostor & Pseudopropheta venit Hierosolymam & plebi persuadet ut secum in montem Oliveti ascenderet, ibi enim se suo jussu diruturum mœnia, ut aditus in urbem pateat. Quo cognito Felix jubet colligi exercitum & cæsis 400, vivos cepit 200, ipse verò Ægyptius pugnâ elapsus disparuit. Collegerat hic impostor fermè 30000 hominum, Josephus lib. 20 ant. cap. 6. & lib. 2 de bello Jud. cap. 12. Ejus fit mentio in Act. Apost. cap. 21. vers. 38.


13. Rex Agrippa summum Sacerdotium contulit Ismaeli Phabei filio: & ipsi summi pontifices diffidere cœperunt à Sacerdotibus & primatibus. Vide Joseph. lib. 20 ant. cap. 6.

14. Clau-

14. Claudius Imp. anno imperii 9 edixit ut omnes Judæi Româ excederent, ut refert Suetonius. Hac occasione Aquila Ponticus cum uxore sua Priscilla venit Corinthum, ubi Paulus cum illis aliquantisper mansit & σκηνοποιίαν exercuit, Act. 18. versf. 2, 3.

NERO.

Tiberio Claudio successit in imperio Domitius Nero sextus Imp. & ultimus eorum, qui ex Octavii Augusti familia nati sunt. Patrem habuit Domitium Ænobarbum, quem amisit vix trimulus, matrem verò Agrippinam Germanici filiam. Post obitum patris matrem viduam uxorem duxit Claudius Imp. unde hic Nero Claudii privignus extitit. Perfecit autem mater artibus, ut Claudius privignum Neronem adoptaret eique Octaviam filiam desponsaret. Quum porrò mater vereretur ne Claudius successorem constitueret Britannicum filium ex se genitum, veneno maritum sustulit & à militibus pecuniâ corruptis Neroni imperium obtinuit. Nota tabulam:



Cœpit Nero imperare anno Christi 56, & imperavit annos 14. Ab initio gubernationis ad annos 5 benè & rectè sese gessit, ut omnibus amabilis existeret & optimæ gubernationis spem ostenderet. Elapso verò hoc quinquennio adeò à seipso degeneravit, ut totum sese comessationibus, libidinibus & parricidiis dederit. In Musica arte singularem affectavit laudem, ut etiam publicè in scena cantaret; nocturnas discursationes personatus exercebat; inter scortorum & ambubajarum ministeria

sæpè

sæpè publicè cœnitabat; puerum Sporum exsectis testibus fœminam facere voluit, quem etiam solennibus nuptiis ad se adductum pro uxore habuit: matris concubitum appetere non veritus est, quam etiam in lectica aliquando lascivè ac libidinosè contrectavit. Ipsum Claudium Vitricum operâ matris veneno sustulit, quem deinde pro concione omnibus contumeliis insectatus est. Britannicum eodem modo tractavit. Octaviam uxorem sub falso adulteriorum crimine occidit, & duodecimo die pòst Pappæam Sabinam in matrimonium accepit, quam quòd gravida duriùs incederet ictu calcis occidit. Matrem etiam quòd severiùs ipsum correxisset per centurionem occidi jussit, cui ferrum stringenti uterum protendens, ventrem, inquit, feri ut qui tale monstrum tulerit. Urbem Romam offensus veterum ædificiorum deformitate ipse per ministros incendit, qui propter direptiones ad hanc rem promptiores fuerunt, & quum ob hoc facinus malè audiret, autores falsò dixit esse Judæos, quo nomine & tunc apud ethnicos etiam Christiani comprehendebantur. Denique quum omnem imperii curam abjecisset, primò ab ipso defecerunt Galli duce Julio Vindice, deinde Galba Hispaniarum præfectus, qui imperator à militibus est declaratus; defecerunt etiam Germanici exercitus. Senatus quoque legatos ad Sergium Galbam mittit, & Neronem hostem declarat. Cognito igitur Galbæ adventu Nero fugit ex urbe Roma, qua in fuga quum terræ motus fieret visa fuit ipsi terra dehiscere & à se interfectorum spectra jam occurrere. In hisce angustiis quum percussores à Senatu missos propè adesse intelligeret, ipse sese gladio suo transfixit.

Synchronismus.

1. Judææ præses Felix suâ decedens provinciâ successorem habuit Portium Festum à Nerone missum, qui Judæam invenit admodum turbulentam & à latronibus afflictam, Joseph. lib. 20 ant. cap. 7. Hujus Festi mentio fit in Actis cap. 24. vers. 27. & seqq. duobus capitibus. Sexto autem præfecturæ suæ anno, qui est annus 6 imperii Neronis, moritur Festus in Judæa, & mittitur à Nerone successor Albinus, qui quum in itinere esset, Ananus Pontifex & sectâ Sadducæus, & in judicando severissimus advocato judicum concilio fratrem Jesu Christi Jacobum

cobum nomine, & unà quosdam alios lapidandos tradidit, id quod Albinus indignè tulit; & ob hanc ipsam caussam rex Agrippa Ananum pontificatu (quem tres menses obierat) dejecit, & pontificem fecit Jesum Damnei filium, Joseph. lib. 20 ant. cap. 8. Sic martyrio coronatus est Jacobus minor, Episcopus Hierosolymitanus, Alphæi filius, qui & frater Domini dictus fuit, quod esset filius illius Mariæ quæ fuit soror matris Domini. In concilio Apostolorum primus post Petrum sententiam dixit, videlicet gentes non esse onerandas lege Mosaicâ, Act. 15. vers. 13, &c. vide etiam Eusebium lib. 2 histor. eccles. cap. 23. Post Jacobum Episcopus Hierosolym. factus est Simeon, dictus Simon secundus, frater Jacobi uterinus, sed patrem habuit Cleopam. Vixit usque ad tempora Trajani, & quum jam instaret bellum Vespasiani contra urbem Hierosolymam, eduxit Ecclesiam trans Jordanem in oppidum Pellam, de quo Euseb. lib. 3 hist. eccles. cap. 5.

2. Jesus Gamalielis filius in summo pontificatu succedit Jesu Damnéi filio licèt invito, unde dissidium inter utrumque est ortum, quod eò excrevit, ut per factiones labare cœperit miris modis Judæorum respublica, Josephus lib. 20 ant. cap. 8. Post hunc Jesum summus pontifex factus est Matthias Theophili filius, sub quo Judaïcum bellum habuit initium. Atque hic porrò Josephus catalogum summorum Sacerdotum recenset ab Aharone usque ad excidium urbis Hierosolymæ, lib. 20 ant. cap. 8.

3. Gessius Florus anno 10 Imperii Neronis Albino mittitur successor in præfectura Judææ, qui multa perversè, crudeliter & avarè egit, adeò ut latronibus favere & prædas cum illis dividere ipsum non puduerit. Quumque nullus injuriarum finis ac modus esset, & Judæi relictis patriis ceremoniis ad exteros confugere cogerentur, deventum est ad defectionem & ad bellum immanissimum, quo per Vespasianum Hierosolyma est diruta & Judæorum gens tota dispersa, Joseph. lib. 20 ant. cap. ult. & lib. 2 de bello Jud. cap. 13 & seqq. Quum igitur Gessius Florus Judæos non solùm non defenderet, sed etiam variis injuriis lacesseret ac molestaret, arma sumpserunt contra Romanos, unde Nero Imp. motus misit ducem Flavium Vespasianum anno 13 Imperii sui, qui

mense

mense Majo primùm intulit in Judæam Aquilam Romanam; signum scilicet in Romanorum vexillis, nimirum illam desolationis abominationem, de qua Christus ex Daniele dixerat Matth. 24. vers. 15, &c. Lege Josephum ab initio lib. 3 de bello Judaïco. Interea temporis dum Nero ex hac vita decessit, & Fl. Vespasianus Imperator est creatus, belli hujus administrationem committit filio T. Vespasiano, qui illud confecit.

4. D. Paulus Apostolus Nerone imperante mittitur Romam, quia à Judæis accusatus coram Festo appellaverat Cæsarem, Act. capp. 27. 28. & Romæ in libera custodia biennio mansit de Christo docens cum omni libertate, Act. 28. vers. ult. Elapso autem hoc biennio ab omnibus desertus caussam coram Nerone dixit, & præsidio Dei liberatur ex ore Leonis, id est, Neronis, quæ fuit prima defensio, 2 Tim. 4. verss. 16, 17. Accidit hoc anno Neronis 4. Postea salutatis primò ecclesiis per Syriam, Asiam & Græciam abiit in partes occidentis, Italiam, Galliam & Hispaniam, prædicans Euangelium per decennium usque ad obitum.

5. Anno imperii Neronis 9, qui fuit annus nati Christi 65, instituta est prima Christianorum persequutio Romæ, & quidem ut, suprà dictum, per occasionem incendii nonnullorum vetustorum ædificiorum, cujus Nero ipse autor fuit, sed ut suspicionem à se averteret, in Christianos, quorum nomen tunc erat odiosum, crimen hoc contulit, & ut aliquam suæ criminationis speciem adferret, quæstioni aliquos Christianos subjecit, qui horrendis cruciatibus contra veritatem se incendii autores affirmarunt. Nec solùm Romæ substitit hæc persequutio, sed latiùs in alias Romani imperii ditiones progressa est, duravitque quadriennium usque ad mortem Neronis. Comprehensi quoque sunt in hac persequutione, ut nonnulli scribunt, Petrus & Paulus Apostoli. Legatur Onuphrius Panuinus & Eusebius lib. 2 Eccles. histor. cap. 25. de Paulo quidem, ut Melanchthon meminit, omnes confirmant idem, quòd nimirum capite truncatus sit; sed de Petro multi sunt in ea opinione ipsum Romæ nunquam fuisse, utpote qui ex conventione cum Paulo inter circumcisos Euangelium docuit, Galat. 2. vers. 9.

6. In Neronis tempora incidunt Nicolaitæ, sic dicti à Nicolao

Nicolao uno de septem diaconis Ecclesiæ Apostolicæ, Actor. 6 vers. 5. Hi docuerunt insano libidinum impulsu non posse salvari hominem nisi quotidie in venerem se resolvat. Atque hinc in promiscuos concubitus prolapsi sunt, & multitudinem deorum introduxerunt, Eusebius lib. 3. cap. 29 Nicolaitarum fit quoque mentio in Apoc. cap. 2. verss. 6, 15.

7. Linus post Petrum Apostolum (ut Papistæ ex Onuphrio credunt) factus est Episcopus Romanus anno Christi 69, aliis anno Christi 57, quod non est probabile, siquidem hic annus incidit in annum Neronis 3 vel circiter. Sedit annos 11 & menses 6. Cæsus est à Saturnino consule, cujus filium à dæmonibus liberaverat. Ordinasse scribitur ut mulieres velato Capite templum ingrediantur.

8. Annæus Seneca, cujus erudita scripta hodiè leguntur, Neronis præceptor fuit.

FLAVIUS VESPASIANUS.

Post Neronis interitum multiplex laniena facta est inter duces ad imperium adspirantes, Galbam, Othonem & Vitellium. Galbam interfecit Otho, Othonem prælio superavit Vitellius, & postea Otho seipsum occidit. In hac confusione Imperator à militibus creatus est Flavius Vespasianus, cujus adventum quum cognovisset Vitellius, aufugit, sed è latebris extractus à militibus interfectus est, cadaver à canibus laceratum & in Tiberim est projectum. Acciderunt hæc spacio unius anni & paucorum mensium. Plura apud Suetonium & Plutarchum in Galba & Othone. Flavius igitur Vespasianus, cujus virtus jam antea ab adolescentia in bellicis aliisque administrationibus satis erat perspecta, in Judæa bello Judaïco occupatus à militibus Imperator est creatus. Nam à Neronis tempore reipublicæ status eò fuit redactus, ut penes exercitum ac legiones populi Romani esset Imperatorem creare. Judaïci igitur belli administratio devoluta est ad majorem natu filium Titum. Cœpit imperare anno Christi 70, & imperavit annos 10. Princeps optimus & laudatissimus, qui reipublicæ statum per superiores tyrannos valde labefactatum suis consiliis feliciter restituit. Militum petulantiam ad disciplinam revoca-

vocavit. Injurias atque inimicitias facilè oblivioni tradidit. Unum est quod in hoc Imperatore culpatur, habendi libido; quamvis sint qui putant fisci inopiâ ipsum ad auri cupiditatem fuisse impulsum. Hinc de ipso hoc usurpatur: Lucri bonus odor ex re qualibet. Sic enim respondisse fertur filio Tito, à quo reprehensus quòd cloacis etiam pecuniæ pensionem constituisset, quum ex ea pecuniam aliquam ad ejus nares admovisset, & quod è lotio esset, submonuisset, hanc responsionem tulit. Suetonius.

Synchronismus.

1. *Ignatius* præficitur Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus primo Vespasiani Imperatoris anno, qui est annus Christi 70. Primus est qui post Apostolos numeratur. Fuit discipulus Johannis Euangelistæ, & complures epistolas scripsit imitatione Pauli, in quibus tamen quædam inveniuntur, quæ ad normam Propheticæ & Apostolicæ scripturæ sunt examinanda. Præfuit suæ Ecclesiæ annos 39, & postea Romam perductus bestiis objectus est & dilaniatus. De Ignatio plura vide apud Eusebium lib. 3 hist. eccles. cap. 36, ubi quod in principio capitis dicitur observandum est, Ignatium in Antiochena Ecclesia fuisse successorem Petri. Quod si hoc ita est, certè Petrus non Romæ sed Antiochiæ vixit.

2. Cletus Romanorum Episcopus tenuit Episcopatum ab anno Christi 77 annos 13. Fuit tertius à Petro ut vult Hieronymus. Sunt qui inter Linum & Cletum interponunt Clementem, cujus mentionem facit Paulus Philip. 4. vers. 3. Hic Clemens scribitur ordinasse puerorum confirmationem post baptismum, ut scilicet in eos per impositionem manus Pontificis Spiritus Sanctus infundatur uberiùs, idque autoritate Apostolorum ex Act. 8. versſ. 14, 15, 16, 17. Vide Polydorum Virg. lib. 5. cap. 3. Sanxit etiam ne Sacerdotes religionis prætextu uxores dimitterent, neve clerici secularibus curis implicarentur. Martyrio tandem est coronatus, & ad ancoram ferream alligatus in mare est projectus.

3. Excidium urbis Hierosolymæ per T. Vespasianum incidit in annum 2 Fl. Vespasiani, qui est annus Christi 71. Obsidio cœpit in festo Paschatis, & expugnatio facta est mense Septembri, quo urbs est incensa, quum paulò antè mense Augusto templum conflagrasset.

Oportuit enim templum deleri ut liquidiùs constaret legalibus sacrificiis, peracto jam vero sacrificio Christi, ampliùs nullum esse locum. Desiit igitur pontificatus Aharonicus postquam pontifex ille in æternum secundùm ordinem Melchizedec suum sacrificium in ara crucis exhibuit & perfecit. Completæ jam sunt 70 hebdomades Danielis, de quibus suprà monuimus in secunda Monarchia de regibus Persicis.

4. Ad annum Christi 72, doctiores referunt initium septem periodorum Ecclesiæ N. Testamenti, quæ in Apocalypsi capp. 8. 9. &. 16. modò per 7 tubas, modò per 7 phialas Angelorum Johanni Euangelistæ sunt ostensæ. Sunt autem periodi hæ:

1. A destructa politia Mosaïca, quæ accidit anno Christi 72, usque ad Constantinum M.
2. Hinc ad Mahometen Antichristum orientalem.
3. Hinc ad Carolum M.
4. Hinc ad regnum Turcicum in Asia.
5. Hinc ad Ottomannos anno Christi 1300.
6. Hinc ad Lutheri mortem.
7. Hinc ad finem Mundi.

5. Docti viri circa hæc tempora vixerunt, Lucanus poëta, Persius, Plinius.

TITUS VESPASIANUS.

Flavius Vespasianus duos reliquit filios, Titum majorem & Domitianum juniorem. Titus patri in imperio successit, qui & ipse Vespasianus est dictus, princeps à suis adeò laudatus & amatus propter singularem humanitatem, justitiam & beneficentiam, ut amor & deliciæ generis humani dictus sit. Cœpit imperare anno Christi 80, imperavitque annos 2 & menses 2. Valde commendatur ejus liberalitas. Monitus aliquando à domesticis ut aliquid remitteret de munificentia, Neminem, inquit, oportet à sermone principis tristem discedere. Et recordatus aliquando super cœnam quòd toto die nihil cuiquam præstitisset, in hanc vocem prorupit: Amici, diem perdidi. Delatores & obtrectatores floccipendebat, quòd mendacia nihil curaret. Fratrem Domitianum insidiatorem amicè & fraternè ad mutuum amorem

rem lacrymans hortatus est, à quo tamen, ut opinio est, veneno est sublatus. Obiit Titus anno ætatis 42.

DOMITIANUS.

Domitianus successit fratri Tito non sine suspicione parricidii in fratre Tito patrati. Homo à prima adolescentia flagitiosus, ut totus à virtutibus patris & fratris degeneraverit. Cœpit imperare anno Christi 83 & imperavit annos 15. Expeditiones quatuor suscepit. 1. adversus Sarmatas. 2. adversus Cattos. 3 & 4 adversus Daces, quorum dux fuit Decebalus, vir strenuus, promptus & solers, qui Romanos exercuit per annos 16. Domitianus primus est ex Imperatoribus qui pecuniâ pacem ab hostibus emit, & tamen passim trophæa statuit & triumphos egit. De expeditione in Germaniam contra Cattos refert Dion, quòd inde ne conspectis quidem hostibus redierit. Immanem sævitiam exercuit contra quamplurimos & maximè contra Judæos, horumque occasione contra Christianos. Judæi enim tumultus excitaverant. Ad extremum quum omnibus esset formidabilis, & Domitia conjux interficiendorum Catalogum invenisset, in quo suum quoque nomen erat scriptum, effecit ut à libertis in cubiculo interficeretur. Plura apud Suetonium.

Synchronismus.

1. Sub Domitiano contigit secunda persequutio Christianorum anno Christi 96. Tanta enim fuit ambitio & superbia Domitiano, ut Dominum & Deum se salutari præceperit, & in edictis publicis hæc verba præfixerit: Dominus & Deus noster sic fieri jussit. Hoc quum detestarentur Judæi & Christiani, exarsit in eos odium Cæsaris. In hac persequutione JOHANNES Apostolus & Euangelista Epheso Romam adductus est, ubi in oleo ignito demersus quum nullos sensisset dolores, in insulam Pathmon est relegatus, ubi vidit Apocalypsin de statu Ecclesiæ Christi usque ad finem mundi. Fuit in hoc exilio per biennium usque ad imperium Nervæ, & inde rediit Ephesum. Vide Eusebium lib. 3 hist. eccles.

2. Hoc tempore diabolus tetros quoque errores sparsit in Ecclesia. Excitavit hæreticos Cerinthum, Ebionem, Carpocratem, Marcionem, &c. Cerinthus & Ebion

bion impugnarunt personam Christi divinam naturam negantes, & ceremonias Mosaïcas urgebant. Carpocrates docebat, oportere facultates conferri in unum & commune, & probavit confusiones libidinum more Nicolaitarum. Marcion posuit duo contraria principia coæterna, Bonum & Malum, φῶς καὶ σκότος.

3. Romæ Episcopus fuit Anacletus, homo Græcus, ab anno Christi 84 per annos 12.

4. Docti viri floruerunt, Quintilianus, Martialis, & Stathius Domitiani ἐγκωμιαστής.

NERVA.

Domitiano successit Nerva Cocceius annum agens 66. Cœpit imperare anno Christi 97, & imperavit annum 1 & menses 4. Princeps justus & beneficus, Domitiani injusta acta abolevit, & injustè damnatos restituit. Sævitiam in Christianos prohibuit, & multas honestas leges sanxit. Quum verò apud milites ob ætatem videretur contemptior, M. Ulpium Trajanum in filii locum adoptavit, idque propter virtutem, & successorem suum constituit.

Synchronismus.

Johannes Apostolus & Euangelista ex Pathmo rediit Ephesum; ubi deinde annos 4 vixit, suum Euangelium contra Cerinthum & Ebionem scripsit, atque ita deitatem Filii Dei Domini nostri Jesu Christi asseruit. Hic enim scopus est totius istius scripti, quæ etiam est caussa quod exordium ducit à λόγῳ, quem dicit in principio fuisse & esse Deum, ut scilicet doceat, λόγον illum verè esse ὑφιστάμενον verumque cum Patre & Spiritu S. Deum, non verbum evanescens, ut hæretici volebant qui deinde sequuti sunt

TRAJANUS.

Ex Impp. Romanis Trajanus fuit primus qui extra Italiam oriundus ad hanc dignitatem pervenit. Fuit enim natione Hispanus, sed ut dictum à Nerva adoptatus. Cœpit imperare anno Christi 99, & imperavit annos 19 & menses 6. Senatus decreto hic honos ipsi est habitus ut princeps optimus diceretur. Leges enim & judicia restituit,

ſtituit, bibliothecas inſtruxit, ex quibus excelluit quæ à nomine ipſius dicta eſt Ulpia. Erga viros doctos fuit liberalis, & familiarem habuit Plutarchum ut præceptorem. Ad Saburanum prætorio præfectum ipſe gladium porrigens hæc protulit verba: Hoc gladio pro me utaris donec juſta facio; ſi injuſta fecero, contra me ſtringito. Bella geſſit contra Decebalum Dacorum principem, contra Parthos, & contra Judæos ſeditioſos. Decebalum vicit, qui præ animi dolore mortem ſibi conſcivit. Parthis regem dedit. Judæorum furorem, quo 40000 hominum trucidaverant, per ducem ſuum L. Quietum ſedavit, qui ob hoc etiam Judææ præſes factus eſt. Quum Agarenos (fuerunt hi pars Arabum) bello aggrederetur, & re infectâ ab iis diſcederet, adverſâ valetudine correptus quum veniſſet in Ciliciam, apoplecticus & hydropicus mortuus eſt.

Synchroniſmus.

1. Johannes Euangeliſta Epheſi moritur anno Chriſti 100, Trajani 2, ex omnibus Apoſtolis ſolus reliquus, ſpectator excidii Hieroſolymæ. Clauſit igitur morte ſuâ primum centenarium nati Chriſti. Sunt qui huc referunt illud Chriſti ad Petrum, Joh. 21. verſ. 22. Si velim illum manere (videlicet Johannem) donec veniam, quid ad te: & per adventum Chriſti intelligunt excidium urbis Hieroſolymæ.

2. Tertia perſequutio Chriſtianorum facta eſt ſub Trajano, qui mente ſuâ firmiter hoc conceperat, non poſſe eſſe ſalvam rempublicam niſi una in ea coleretur religio. Quocirca quum videret varias in religione mutationes, veritus eſt ne incurreret in deorum ſuorum odium niſi eas prohiberet. Præterea quum omnis fatalis calamitatis cauſſa conferretur in Chriſtianos & horum religionem, cœpit Imperator in eos acerbiùs ſævire, & quidem initium hujus perſequutionis fecit circa annum Chriſti 108, in qua ſimul interierunt Simeon filius Cleopæ natus ex ſorore Mariæ Virginis Epiſcopus Hieroſolymitanus quum attigiſſet jam annum ætatis 120, & Ignatius Antiochenus Epiſcopus, qui familiaris fuerat Apoſtolis & multas reliquit epiſtolas lectu utiles.

3. Hoc tempore Romæ ſedit Epiſcopus Euariſtus ab anno Chriſti 100 per annos 8, qui conſtituit ut conjugia fierent parentum autoritate, & πιογάμοις ſolenniter bene-

nediceretur per sacerdotes. Huic successit Alexan- qui sedit ab anno Christi 109 annos 9, & scribitur or- nasse, ut aqua aspersionis sale benediceretur, & in habi- culis hominum aspergeretur.

4. Docti viri claruerunt, Plutarchus Chæronensis, & Florus, cujus extat epitome Livianarum historiarum, & rerum Romanarum Historia, Plinius secundus, qui fuit Plinii historiæ naruralis scriptoris ex sorore nepos, cujus- que scripta ad Trajanum extant, & Cornelius Tacitus, qui de moribus Germanorum scripsit.

ADRIANUS.

Trajanus ex Syria discedens regendam eam tradide- rat Ælio Adriano consobrino, qui nunc in imperio Tra- jano succedit, vir prudens, doctus & rei militaris peritus, pacis interim studiosior quàm belli. Cœpit imperare anno Christi 118 & imperavit annis 21. Numeratur inter laudatos principes. Aliquando rogatus ab anu ut i- psam audiret, respondit sibi ocium non esse; ad quod illâ regerente, ne ergo imperet, conversus querelam audi- vit & expedivit. Christianis benignum sese præbuit, nec quenquam ex iis condemnari voluit nisi de crimine con- victum. Quin & Christo templum exstruxisset nisi à consiliariis fuisset prohibitus. Memorabilis est expeditio ejus contra seditiosos Judæos, qui duce Bencochab Mes- siæ titulum mentito & pristinam libertatem pollicente à Romano imperio defecerant, sed eventu infelicissimo. Perierunt enim in illo tumultu Judæorum 500000. Con- cessit deinde in ruinis urbis Hierosolymæ ædificari ur- bem quam de suo nomine dixit Æliam. Moriturus pro- nunciasse scribitur hos versus:

Animula, vagula, blandula,
Quæ nunc abibis in loca?
Hospes comesque corporis.
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut soles dabis jocos.

Synchronismus.

1. Circa hanc ætatem vixit Papias Episcopus Hierapo- litanus, qui Apostolorum discipulos audivit & ipsum Jo- han-

hannem, Polycarpi συζυγον. Sed iis quæ audivit multa deinde ex rumoribus in vulgus sparsis addidit, unde tandem natæ sunt traditiones, quæ falsò dictæ sunt Apostolicæ. De Polycarpo refert Irenæus, quòd omnia quæ tradidit fuerint σύμφωνα ταῖς γραφαῖς, sed tale testimonium non perhibetur Papiæ, Euseb. lib. 3 histor. eccles. cap. 39. Vide etiam Chemnitium in exam. Concil. Trid. parte 1. de tradit.

2. Judaïcum bellum renovatum per Bencochab Pseudo-Messiam extremum tandem exitium Judæis attulit. Hoc enim bello finito & rebus Judæorum penitus oppressis & excisis Adrianus Imp. Judæis ingressu in urbem Hierosolymam interdixit, & urbis nomen mutavit, voluitque ut inposterum Ælia de suo nomine diceretur. Et ut Judæos magis deterreret, portæ quâ Bethlehemum itur suum marmoreum sculptum imponi jussit.

3. Jejunium quadragesimale institutum creditur per Telesphorum Episcopum Romanum.

4. Docti viri vixerunt hoc tempore, Suetonius historicus, magister epistolarum in aula Adriani, Aquila Bibliorum interpres, & Lucianus, cujus scripta εἰρωνικὰ καὶ σατυρικὰ leguntur, & qui Christum per ludibrium appellavit σοφιστὴν ἀνεσκολοπισμένον, hoc est, Sophistam de palo suspensum.

ANTONINUS PIUS.

Hic ab Adriano fuit adoptatus, cui deinde in imperio successit. Dictus est Pius, quia socerum jam ætate fessum manu sublevabat, & Senatum reverenter colebat, subditos verò omni clementiâ prosequebatur. Cœpit imperare anno Christi 139, & imperavit annos 23. Princeps laudatissimus, qui sine civili sanguine fuit, & illud Scipionis dictum semper in ore habuit: Malo unum civem servare quàm mille hostes occidere. Bella non movit sed moventes repressit, ut Daces & Alanos. Comis fuit erga amicos, quorum facetè dicta & παῤῥησίαν placidè tulit. Aliquando in amici cujusdam ædibus curiosiùs quædam inquirenti, quum paterfamilias (Omulum vocat Capitolinus) respondisset: In aliena domo decet esse surdum & mutum, delectatus est hac responsione. Liberalis fuit erga literatos. Christianos aliquantisper perse-

persequutus lectis Justini martyris & aliorum apologiis decreta retractavit. Febri extinctus est anno ætatis 77.

Synchronismus.

1. Sub Antonino Pio vixerunt tres Episcopi Romani, Hyginus, Pius, & Anicetus. Hyginus constituit ut è fonte Baptismi levatum suscipiat una tantum persona quæ fidejubeat, & templorum consecrationem per solennes celebrationes ordinavit. Pius jussit die Dominicâ, non aliâ, Pascha celebrari. Anicetus interdixit clericis comâ & barbâ, præcepitque coronam in capite instar sphærulæ.

2. Polycarpus Johannis Apostoli & Euangelistæ discipulus, æqualis Ignatii & Papiæ, Ecclesiæ Smyrnensis in Ionia supra Ephesum Episcopus à Johanne ordinatus, circa annum Christi 159 sub Aniceto Romano Episcopo venit Romam, ubi plurimos hæresi Marcionis & Valentini infectos ad veritatem Christianæ religionis reduxit. Hic Polycarpus est Episcopus ille Smyrnensis de quo in Apoc.8 cap.2.vers.8 & seqq. Occurrit ei aliquando Marcion hæreticus, & quum dixisset: Polycarpe cognosce nos, respondit Polycarpus: Cognosco te primogenitum Satanæ. Martyrio coronatus est sub Antonino Philosopho, ut mox dicetur, Euseb. lib. 4. & 5.

3. Justinus Philosophus & Martyr hoc tempore fuit clarissimus, & Christianorum defensor studiosissimus, ut videre est ex scriptis quæ hodie leguntur, & imprimis ex apologeticis pro Christianis ad Antoninum Pium. Dictus est Philosophus propter exquisitam Philosophiæ cognitionem, & Martyr, quia suo sanguine veritatem doctrinæ Christianæ testatus est sub Antonino Philosopho, Euseb. lib. 4.

4. Hæretici hujus ætatis fuerunt Gnostici, Tatianus, Montanus & Marcion. *Gnostici* à jactatione excellentis cognitionis ac scientiæ dicti sunt, quum interim omni impuritati in vita essent addicti, & animarum substantiam ipsam esse Dei naturam finxerunt. Tatianus anno Christi 150 inter alios errores conjugium damnavit, nihil differre illud dictitans à scortatione; docuit etiam hominem operibus justificari. Ab hoc Tatiano orti sunt hæretici qui dicti sunt Encratitæ. ἀπὸ τῆς ἐγκρατείας, id est, continentia, quòd à conjugio abstineret. Montanus matrimonium dissolvit, jejuniorum leges primus

pro-

promulgavit, & humanam Christi naturam negavit. Marcion in quæstione de caussa mali ingentia certamina movit; constituit duo principia contraria & συναΐδια, videlicet Bonum & Malum, quem errorem deinde tenuerunt Manichæi. Bonum vocarunt φῶς, id est, lucem, & qui hinc oriuntur dixerunt non posse damnari quicquid faciant. Malum nominarunt ὕλην, id est, materiam, & hinc ortos dixerunt non posse converti ad bonum. Sic Marcion Stoïcam necessitatem in bonis & malis defendit. Præterea ut speciem sanctitatis præ se ferret, conjugium prohibuit, qui tamen ipse Diaconi cujusdam in Cypro conjugem abduxit, quæ postea ad maritum reversa magnam turpitudinem hujus sectæ narravit.

5. Docti viri claruerunt Galenus, eximius ille medicus, Justinus historicus, Justinus Philosophus & Martyr, & Egesippus Judæus ad Christum conversus.

M. ANTONINUS PHILOSOPHUS.

Hic de consilio & voluntate Adriani ab Antonino Pio fuit adoptatus, natus verò ex Annio Vero fratre uxoris Antonini Pii; Simili modo ab Antonino Pio adoptatus fuit L. Verus, qui natus fuit ex Ælio Vero, & postea factus est collega Antonini Philosophi in gubernatione imperii. Cœpit imperare anno Christi 162, & imperavit annos 19. Princeps laudatissimus. Quamprimùm ad imperium accessit, L. Verum collegam assumpsit, sed hominem ingenio & moribus admodum dissimilem, voluptatibus deditum, cujus tamen vitia Antonini virtute tegebantur, & ejusdem moderatione ac prudentiâ tolerabantur. Mortuus est L. Verus apoplexiâ anno regni 9, & mansit imperium penes solum Antoninum. Sic ergo Romanum imperium omnium primùm duos habuit Augustos. Commendantur in Antonino Philosopho eximiæ virtutes, sapientia, justitia, modestia, beneficentia, & doctrinarum studia, unde & Philosophi nomen est adeptus. Adversus hostes pertinax fuit, erga subditos misericors, juxta illud Virgilii: Parcere subjectis & debellare superbos. Philosophorum auditoria jam imperator accessit egressus annum 50. Bella gessit præcipua

quatuor, Britannicum, Catticum sive Germanicum, Parthicum, & Marcomannicum. Hoc ultimum fuit gravissimum propter immensam siccitatem quâ milites & equi siti perierunt, & longè graviùs cum illis actum fuisset, nisi singulari Dei providentiâ Christianorum legio precibus suis pluviam impetravisset militibus Cæsaris, & fulmen contra hostes, unde hæc legio κεραυνοβόλος dicta est, Euseb. lib. 5 hist. Eccles. cap. 5. Hinc contigit ut Imperator Christianis factus sit æquior, & ad Senatum Romanum scripserit, credibile esse, licèt Christiani plurimis sint exosi, illos Deum habere protectorem. Morbo consumptus mortuus est, & cum hoc principe Romani imperii felicitas periit.

Synchronismus.

1. Quarta persequutio Christianorum in Asia orta est sub hoc Antonino, in qua sanguine suo cælestem doctrinam obsignârunt Polycarpus discipulus Johannis Euangelistæ, Episcopus Smyrnensis, annum agens 86, de quo Euseb. lib. 4. cap. 15. & Justinus Martyr & Philosophus. In Gallia verò martyres occisi sunt Maturus, Pothenus & Blandina, Euseb. lib. 5 hist. eccles. capp. 1.2.3.4.

2. Irenæus Ecclesiæ Lugdunensis in Gallia Episcopus & Polycarpi auditor circa hæc tempora scripsit libros qui extant contra hæreticos. Quomodo & quando vitam finiverit, à nullo autore certæ fidei expressum est.

3. Romani Episcopi fuerunt, Soter qui constituit celebritatem nuptiarum. Post hunc Eleutherius pastor bonus & martyr, cujus meminit Eusebius lib. 5 cap. 3.

4. Creduntur circa hæc tempora vixisse Pausanias historicus & A. Gellius.

COMMODUS.

Antonino Philosopho successit filius Commodus, homo omnibus incommodus, optimi patris pessimus filius, ad civium perniciem & suum dedecus natus, à prima statim pueritia turpis & crudelis. Cœpit imperare anno Christi 181 & imperavit annos 12, menses 8. Sævitia Domitianum, libidinibus Neronem æquavit. Inter gladiatores pugnabat, quos veluti ludendo interficiebat. Inter trecentas concubinas, quas ex matronarum & meretricum delectu ad formæ speciem collegerat, in palatio agebat. Ad Germanicum bellum contra Quados pro-

profectus post victoriam triumphavit, sed cætera bella per legatos & duces gessit. Tantæ fuit impudentiæ homo, ut muliebri veste in Senatu sedens & publicè sæpissimè biberit. Undecunque potuit pecuniam corrasit, adeò ut provinciarum administrationes venderet. Ex quo factum ut imperii dignitas valdè fuerit labefactata, quæ hactenus à Julio Cæsare usque ad hunc Commodum suam ἀκμὴν tenuerat, postea magis magisque decrescens & in pejus ruens. Tandem quum in omnium odio esset, conjuratio in ipsum facta est, & noctu fraude Martiæ concubinæ, quam præ cæteris amaverat, strangulatus ultimum diem clausit.

Synchronismus.

1. Ecclesia Christiana sub Commodo licèt homine flagitiosissimo crevit. Ille enim suis voluptatibus omnem operam dans, neque religionis neque imperii curâ tangebatur. Ex Dione narratur Martiam concubinam favisse Christianis, & quum multùm valeret apud Imperatorem nonnihil ocii & quietis Christianis peperisse.

2. Scholæ Alexandrinæ hoc tempore magna fuit frequentia, in qua cælestis doctrinæ veritas pulchrè floruit, moderatore Pantæno, qui circa annum 183 in illa schola primò Philosophiam Stoïcam professus est, & postea eximius Theologiæ Doctor evasit. Primus ex ethnica schola fecit Christianam & Catechetes in ea fuit. Missus est porrò in Indiam, ubi Euangelium docuit, & sic verè sese Doctorem & Euangelistam declaravit, Euseb. lib. 5 histor. eccles. cap. 10.

3. Pantæni discipulus fuit Clemens, cognomento Alexandrinus, circa annum Christi 180. Hic primò Alexandriæ docuit Catechesin, deinde Euangelium Hierosolymæ & Antiochiæ. Libros scripsit complures, & inter hos qui inscribuntur στρωμάτων, quia sunt veluti strata quædam, hoc est, variarum & multiplicium doctrinarum commentarii, per collationem ethnicæ doctrinæ cum Christiana, Euseb. lib. 5 hist. eccles. cap. 11.

4. Romanæ Ecclesiæ Episcopus fuit Victor, qui ab anno Christi 192 sedit annos 10. In concilio statuit, ut Pascha semper die Dominicâ celebraretur, atque adeò excommunicavit omnes Episcopos & Ecclesias in Asia quæ eodem die Pascha non celebrabant. Verùm ab Irenæo Episcopo Lugdunensi admonitus à sententia destitit.

tit. Apparet hinc quomodo in Romana Ecclesia paulatim exortæ sint superstitiones. Quorsum enim attinet ob rituum & ceremoniarum diversitatem doctrinæ & fidei concordiam dissolvere ac rumpere? Euseb. lib. 5 hist. eccles. capp. 22. 23. 24. 25.

SEPTIMIUS SEVERUS.

Inter Commodum & hunc Severum interponuntur alii duo Impp. Pertinax & Didius Julianus, sed quia perexiguo tempore imperarunt, ab aliis prætereuntur. Etenim Pertinax regnavit menses duos & dies 25 imperium ab interfectoribus Commodi adeptus. Quum verò milites, qui ex Commodi ignavia facti erant petulantiores, rigidiore disciplinâ coërcere vellet, à præfecto prætorio, cujus ope ad imperium erat evectus, occisus est. In hac rerum confusione contentio orta est inter Sulpitianum urbis præfectum & Didium Julianum de imperio, qui sine omni pudore hoc mercati sunt, sed quum Didius Julianus plus pecuniæ promitteret militibus, prælatus est. Tenuit autem imperium menses 2 & dies 5. Verùm comessationi & aleæ deditus quum promissis non staret, omni gratiâ excidit, & contra ipsum à militibus in Pannonia electus est L. Septimius Severus, natione Afer, equestris ordinis, & Romæ apud M. Antoninum Philosophum educatus, Per Hispaniam, Galliam, Germaniam & Pannoniam variis officiis functus. Cœpit imperare anno Christi 194, & imperavit annos 18. Adversarium habuit Pescennium Nigrum magnæ virtutis virum, qui in Syriaco exercitu Imperator fuerat proclamatus. Contra hunc igitur pace in Occidente constitutâ arma sumpsit, & tribus magnis prœliis victor evasit, ubi Pescennius Antiochiæ, quò fugerat, est interfectus. Bello etiam vicit Albinum Britanniæ præfectum, quem antea sibi junxerat collegam. Hic Albinus domuit Frisios, quorum primâ est mentio in hac historia. Porrò duos habuit Severus filios, Bassianum ex Martia priore conjuge, & Getam ex Julia altera uxore. Sed Bassianus Getam interfecit. Omnis enim potestas consortis est impatiens. Habuit etiam Severus in aula sua Plautianum, quem adeò extulit, ut ejus filiam suo desponsaret filio Bassiano, sed homo ille rebus hisce secundis luxurians quum insidiator deprehenderetur

Cæsaris,

Cæsaris, à Severo in palatio interfectus est. Exercuit etiam Severus tyrannidem in Christianos. Mortuus est in novissimo bello in Britannia gesto Eboraci nimio pedum dolore cruciatus.

Synchronismus.

1. Quia persequutio Christianorum commota est sub Severo Imp. maximè in Ægypto & Africa, ubi falsis criminibus onerati Christiani quòd essent seditiosi contra Cæsarem, homicidæ, sacrilegi, incesti, ἀνθρωποφάγοι, &c. variis suppliciis fuerunt affecti. Inter alios etiam martyrio coronatus est Leonides pater Origenis, quem filius per epistolam consolatoriam ad constantiam & alacritatem hortatus scribitur, Euseb. lib. 6 hist. eccles. capp. 1. 2.

2. Hoc tempore in Ecclesia floruit excellens Doctor Tertullianus, qui circa annum Christi 200 in Africa primò Philosophiæ, deinde etiam Theologiæ studio sese dedit. Græcæ & Latinæ linguæ peritissimus fuit. Romæ fuit presbyter usque ad mediam ætatem, inde pulsus rediit Carthaginem, quæ fuit patria ejus, & palam Montani dogma professus est, quod postea abjecit. Secundas nuptias damnavit hoc modo ridiculè argumentatus: Non licet fratris mortui viduam ducere, omnes autem Christiani inter se sunt fratres. Ergò, &c. De hoc igitur doctore tale extat judicium Phil. Melanchthonis in tractatu de Ecclesia. Testimonia historica in Tertulliano prosunt, ubi commemorat quid senserit prior Ecclesia; sed ejus narrationes & disputationes ne recipiantur tanquam dogmata, nisi quatenus consentiunt cum Apostolica scriptura.

3. Romæ Episcopus fuit Zephyrinus, qui ab anno Christi 202 sedit annos 18. Jussit omnes Christianos annorum 12 Eucharistiam in die Paschatis accipere.

CARACALLA.

Filius fuit Septimii Severi ex Martia priore conjuge, alio nomine dictus M. Antoninus Bassianus. Nomen Caracallæ traxit à figura discissæ vestis & rursus consutæ. In pueritia jucundus fuit & amabilis omnibus, sed adolescens adeò mores mutavit, ut omnibus esset odiosus. Cœpit imperare anno Christi 212, & imperavit annos 6 & menses

menses 2. De patris consilio collegam in initio habuit fratrem Getam, quem tamen diu ferre non potuit. Insidias enim inter se moliti populum in factiones distrahebant, ut plurimi adhærerent Getæ propter probitatem aliosque honestos mores, quum interim Bassianus ferox esset & crudelis. Mater Getæ Julia conabatur quidem fratres conciliare, sed frustrà. Tandem Caracalla in fratris cubiculum irrumpens interfecit fratrem de collo matris pendentem & matris auxilium implorantem. Mox fratris domesticos omnes atque amicos occidi jussit, etiam Papinianum Jurisconsultum, quòd noluisset excusare necem Getæ fratris, capite plexit. Postea Juliam novercam uxorem duxit eâ occasione, quòd vidisset eam parte aliquâ corporis datâ operâ nudatam. ubi dicenti, Vellem si liceret, illa respondit: Si libet licet; an nescis te Imperatorem esse, & reges dare, non accipere? Hinc Alexandrini Caracallam vocarunt OEdipum, Juliam verò Jocastam, quo dicterio offensus Caracalla multa millia hominum Alexandriæ interfecit. In Gallia quoque & Rhœtia summam exercuit sævitiam. In Asia à quodam satellite Martiale occisus est, & cadaver missum est Juliæ quæ Antiochiæ erat, quæ ubi cadaver conspexit, super illud recumbens mortem sibi conscivit.

Caracalla interfecit fratrem Getam.

Papinianus propter justitiam occisus.

Caracalla alter OEdipus.

Caracallæ & novercæ Juliæ interitus.

Synchronismus.

Papinianus insignis Jurisconsultus eximium constantiæ in tuenda justitia martyrium reliquit. Maluit enim mortem oppetere quàm contra sanctam justitiam nefandum Caracallæ parricidium approbare.

POPILIUS MACRINUS.

Caracallæ successit Macrinus, homo obscuro genere natus, & quum ad præfecturam prætorii evectus esset, tandem ab exercitu Syriaco Imperator est creatus, ne scilicet milites, qui tam longè ab Italia aberant, sine Imperatore essent. Pacem à Parthis emit pecuniâ, & quum voluptatibus atque ignaviæ se daret, filium verò Diadumenum, quem Imperatorem fecerat, occisum intellexisset, & quòd contra se Heliogabalus Imperator constitutus esset, cognovisset, in quodam suburbano latitans interfectus est. Imperavit annum unum & menses 2. Princeps superbus & crudelis, ut pro Marino dictus sit

Macel-

Macellinus, quòd domus ejus macelli specie multorum sanguine esset cruentata. Crudelitatem ostendit in duobus militibus qui hospitam vi compresserant, quos in duos boves inclusit exertis capitibus ut colloqui possent donec extincti sunt.

HELIOGABALUS.

Hic fuit filius Bassiani Caracallæ, & nomen sortitus est ab idolo cujus Sacerdos fuit in Syria. Homo ad omnem spurcitiem pronus, adeò ut omnes qui in historiis propter libidines infamiâ notantur superaverit, ipso etiam Sardanapalo contaminatior. Cœpit imperare anno Christi 219, & imperavit annos 3, menses 9. Matri Soæmi adeò fuit deditus, ut cum ipsa meretricio more viveret, eamque in Senatu consulum subsellia occupare juberet. Quin etiam in colle Quirinali mulierum Senatum exstruxit, in quo de muliebribus ornamentis ridicula agitata fuere consilia. Inter alias plures uxores Vestalem virginem è templo abreptam duxit, Sacerdotem Sacerdoti jungendam esse prætendens. Quum odium militum sentiret, à matre Soæmi & hujus sorore Mammæa persuasus collegam sibi assumpsit consobrinum Alexandrum Severum. Periculum enim erat ne oppresso Heliogabalo imperium conferretur alieno. Verùm ut timidi plerumque sunt homicidæ, quum misisset qui Alexandrum occiderent, idque prætoriani, qui mores Alexandri probabant, resciviffent, ipsum Heliogabalum in latrina, quò confugerat trucidarunt, cadaver verò per carnifices in Tiberim abjecerunt, addito pondere ne unquam emergeret. Sic turpem vitam mors sequitur turpis.

Synchronismus.

1. Romæ Episcopus fuit Calixtus seu Callistus, qui ab anno Christi 219 sedit annos 5.

2. Floruit hoc tempore Cyprianus scriptor eximius, cujus lucubrationes in magno habentur precio. Primò gentilis adhuc magna cum laude Rhetoricen professus est & magiæ studuit, ut Nazianzenus scribit. Postea ad Christum conversus totius Orientis & Hispaniæ Ecclesiis præsedit, martyrio tandem sub Valeriano coronatus. Quæ fuerit doctrina ejus tum vera tum erronea, recenset Me-

Melanchthon in tractatu de Ecclesia, ubi ostendit quo pacto Pontificii quidam errores ex Cypriani durioribus loquutionibus enati sunt.

ALEXANDER SEVERUS.

Heliogabali pessimi hominis successor fuit Alexander Severus optimus princeps, natus ex Mammæa, quæ fuit soror matris Heliogabali. Fuerunt igitur consobrini, sed dissimillimæ naturæ ac indolis. Nomen Alexandri inde habet, quia in templo Alexandro M. dicato genitus est. Bonis artibus à prima pueritia fuit imbutus, literarum & literatorum amantissimus & in familiari convictu humanissimus. Dictus est Severus propter severitatem in disciplina militari. Cœpit imperare anno Christi 223, & imperavit annos 13. In primo initio laudabilem reformationem in aula sua instituit, adulatores aliosque infames removendo, contrà verò veraces, laudatos doctosque viros officiis præficiendo. Ex omnibus autem familiarissimum sibi habuit eximium illum Jurisconsultum Ulpianum, quem etiam contra milites in ipsum impetum facturos purpurâ suâ texit. Crebrò in ore habuit illud: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Fures severissimè punivit, & legitur memorabile exemplum quod statuit in quodam Thurino Verconio, quem quòd fumum vendidisset, hoc est, responsa imperatoria acceptâ pecuniâ finxisset, fumo necavit, acclamante præcone: Pereat fumo qui vendidit fumum. Duo gessit insignia bella, alterum in Oriente contra Persas, ubi Artaxerxem, qui adjectione Parthici regnum suum auxerat, vicit; alterum in Occidente & quidem in Germania, ubi quum duriùs tractâsset milites, & mater Mammæa per avaritiam provincias exhauriret, exosus factus est militibus, qui ad Maximinum Thracem unum ex ducibus imperium detulerunt, ipsum verò Alexandrum cum matre Mammæa trucidarunt. Plura in Lampridio.

Synchronismus.

1. Christiani sub Alexandro Severo in pace & tranquillitate vixerunt. Nam Mammæa mater Severi curâ & institutione Origenis religionem Christianam amplectebatur. Quin & ipse Imperator summam autoritatem Christo tribuit, ut ejus imaginem in larario sua habuerit,

rit, & eidem templum condere ac inter deos recipere instituerit, unde quum querela ad Imperatorem deferretur, quòd Christiani locum quendam publicum occupassent, rescripsit præstare locum consecrari qualicunque divino cultui quàm popinis.

2. Floruit hoc tempore Origenes Ecclesiæ Alexandrinæ Catechetes, discipulus Justini Martyris. Relictâ Alexandriâ factus est presbyter Cæsareæ Palæstinæ. In doctrina confudit philosophiam cum Euangelio, unde in varios deturbatus est errores, maximè quum nimium indulgeret allegoriis, corrumpendo scilicet nativam significationem vocabulorum Spiritus & Literæ, item Fidei, Justitiæ, &c. Euseb. lib. 6 hist. eccles.

3. Romæ Episcopus fuit Urbanus ab anno Christi 224 per annos 8, quo tempore Ecclesia cœpit possidere prædia.

4. Ulpianus Jurisconsultus, autor variarum legum quæ in Pandectis continentur hoc tempore vixit; interfectus est à prætorianis militibus. Fuit auditor Papiniani, & sub Alexandro Imp. militibus prætorianis præfectus, quorum vitia quum graviùs taxaret in odium venit, & quum primò ab illorum impetu purpurâ Imperatoris esset defensus, postea tamen est occisus.

5. Dion Cassius historicus, qui Romanam historiam scripsit ab urbe condita usque ad annum Christi 230, sub hoc Alexandro Imp. historiam suam finit, quo scilicet cum Alexandro secundum consulatum gessit. Ejus epitomen contexuit Johannes Xiphilinus circa annum Christi 1080.

MAXIMINUS.

Hic Imperator factus est per necem Alexandri Imp. ut suprà dictum est. Oriundus fuit ex Thracia, ubi quum opilio fuisset, tempore Severi venit Romam, & propter robur & agilitatem corporis receptus est inter custodes corporis Septimii Severi. Postea sub Caracalla factus est militum Tribunus. Hunc Alexander ὡς ὄφιν ἐν κόλπῳ valdè dilexit. Cœpit imperare anno Christi 236 & imperavit annos 3. Adeò fuit crudelis non solùm in milites, sed etiam Romanos Senatores, ut inde dictus sit ab aliis Cyclops, ab aliis Busiris, ab aliis Anteus. Truculentior

fuit in cives quàm in hostes, & scribit Capitolinus, non extitisse crudelius animal in terris. Quum ob corporis proceritatem & robur sibi immortalitatem fingeret, quidam mimus in theatro ipso præsente Græcos versus, quos tamen Maximinus non intelligebat, recitavit in hanc sententiam:

Elephas grandis est & occiditur,
Leo fortis est & occiditur,
Tigris fortis est & occiditur,
Cave multos si singulos non times.

Filium habuit ὁμώνυμον, quem Cæsarem fecerat, verùm à Senatu declaratus hostis quum exercitus ducturus esset Romam, ad Aquileiam substitit, eamque cum filio obsedit; & quum milites fame premerentur, Senatusque voluntatem cognoscerent, Maximinum patrem medio die in tentorio quiescentem interfecerunt, & quum necaretur filius acclamatum est: Ex pessimo genere ne catulus quidem est relinquendus. Capita contis affixa & Romam missa populo jucundo extiterunt spectaculo; sed deinde in campo Martio sunt combusta, cadavera verò canibus & volucribus projecta.

Synchronismus.

1. Sexta Christianorum persequutio mota est ab hoc Maximino, sed cum ejus vita & imperio desiit, Euseb. lib. 6 hist. eccles. cap. 20.

2. Romæ Episcopus fuit Antherus, qui anno Christi 237 sedit mensem unum. Instituit notarios ad res martyrum conscribendas. Ei successit Fabianus, qui sedit annos 14. Hujus capiti dicitur insedisse columba quum de eligendo Episcopo ageretur, Eusebius lib. 6. cap. 21.

3. Hoc tempore vixit secta Helchesaitarum, qui docuerunt periculosis temporibus posse aliquem bona conscientiâ ore negare religionem Christianam, modò in corde eam retineat, Euseb. lib. 6 hist. eccles. cap. 28.

GORDIANUS.

Post interitum Maximini Imperator à Senatu factus est Gordianus, qui dictus est Tertius, item Gordianus junior. Fuerunt enim ante ipsum duo Gordiani, pater & filius,

filius, qui quum essent Imperatores electi contra Maximinum, ab hujus duce Capelliano interfecti sunt. Superfuit igitur Gordianus tertius, majoris illius ex filia nepos, cujus virtutes, ut justitia, castitas & humanitas celebrantur. Gubernatorem habuit Mistheum socerum, virum sapientem & justum. Cœpit imperare anno Christi 239 & imperavit annos 6. Pro symbolo usurpavit hoc dictum: Miser est princeps quem latet veritas. Philippum Arabem fecit prætorii præfectum, qui quum imperium affectaret, omnibus modis Gordianum apud milites in odium induxit, contempsit, & tandem spoliari atque occidi jussit.

Synchronismus.

Hisce temporibus vixit Herodianus, qui Græcè descripsit historias aliquot Imperatorum, à Commodo usque ad Gordianum. Item Arrianus scriptor rerum Alexandri M.

PHILIPPUS ARABS.

Huic Philippo post Gordiani obitum imperium à Senatu est approbatum & confirmatum. Percusso cum Persis fœdere Mesopotamiam & Syriam hostibus reliquit. Cœpit imperare anno Christi 245 & imperavit annos 5. Inter Impp. primus fuit Christianus, & quum in Paschate ad cœnam Domini accessurus esset, non admissus est ab Episcopo Romano Fabiano, nisi priùs inter cæteros, quorum pœnitentia explorabatur in templo, staret. Mos enim erat ut manifestorum scelerum rei per aliquot dies starent certo loco, & ante administrationem cœnæ è templo egrederentur usque dum certa pœnitentiæ signa ederent. Misit Decium contra Scythas, qui quum venisset ad exercitum Illyricanum, communi consensu à militibus factus est Imperator. Quod ubi rescivit Philippus, velut furore concitus expeditionem paravit contra Decium, sed ipse Veronæ à militibus cæsus est, medio capite supra ordines dentium præciso; Romæ verò filius jam duodenarius à prætorianis interfectus est.

Synchronismus.

In annum 4 imperii Philippi incidit annus millesimus Romæ conditæ, qui magno ludorum apparatu celebra-

tus eſt, longè magnificentiùs quàm in ludis ſecularibus fieri ſolebat. Feræ adhibitæ memorantur, Elephanti, Alces, Leopardi manſueti, Hyenæ, Hippopotamus, Rhinoceros, Leones, Camelopardi, Onagari, Equi feri, &c.

DECIUS.

Natus fuit in inferiore Pannonia ex nobili familia, & ab ineunte ætate bonæ indolis ſpem præbuit, quam adultior non fefellit, ut boni & honeſti mores ipſum tandem ad imperatoriam dignitatem promoverint procurante exercitu Illyricano. Cœpit imperare anno Chriſti 250, & imperavit annos 2. Optimi principis nomen judicio Senatus meruit ut Trajano æquaretur, & plures inveniſſet laudatores ejus gubernatio, ſi à Chriſtianorum perſequutione abſtinuiſſet, cujus pœnas dedit in bello Scythico contra Getas, qui deindè Gothi dicti ſunt. Hi enim quum per Thraciam multa vaſtarent, & Decii conſilia per Trebonianum Gallum limitis Mæſiæ ducem haberent explorata, fugam ſimulantes Decium traxerunt in paludes, cæſo antea in prima acie filio, ubi periiſſe creditur. Cadaver enim poſtea non eſt inventum.

Synchroniſmus.

1. Septima Chriſtianorum perſequutio à Decio eſt mota, in qua plurimi ſanctiſſimi homines abrepti & trucidati ſunt, ex quibus præcipui narrantur, Fabianus Epiſcopus Romanus, Babylas Epiſcopus Antiochenus, Laurentius Diaconus in craticula toſtus, & Apollonia virgo, quæ excuſſis dentibus ultrò in rogum aſcendens cremata eſt. de Babyla ſcribunt, quòd juſſus ſacrificare idolis quum recuſaſſet cum tribus filiis ad ſupplicium ductus petiverit, ut priùs filii interficerentur, ne patris necem ſpectantes langueſcerent. Laurentius Archidiaconus fuit Eccleſiæ Romanæ ſub Sixto (aliàs Xyſto) Epiſcopo Romano. Juſſus à tyranno theſauros Eccleſiæ tradere plurimos obtulit pauperes, quòd hiſce quicquid datur magno cum fœnore in cœlo reddatur. Deluſus igitur tyrannus juſſit illum craticulæ impoſitum ſubjectis prunis aſſari. Euſebius de perſequutione Deciana refert lib. 6. hiſtor. Eccleſ. ſed de Laurentio nihil meminit. Apparet etiam diſcrepantia in Chronologia. Nam Decius

cius obiit anno Christi 252, & in historia Pontificum Romanorum Sixtus cum suo Laurentio scribitur martyrio coronatus anno Christi 267; sic Laurentii mors incidit in annum 15 post Decii obitum. Conciliet qui potest.

2. Gotti primùm sub Decio Romanis bellum intulisse scribuntur. Olim in Asia sedes habuisse Herodotus scribit. Inde progressi accesserunt in Thraciam, & postea longum tractum à Pannonia usque ad litus Balthicum & vicinas insulas compleverunt. Inde rursus effusi primùm Pannoniam, deinde Italiam occuparunt.

3. Circa hæc tempora natus scribitur S. Antonius eremita, de quo Hieronymus & Marianus.

VALERIANUS.

Post Decium à nonnullis ponitur C. Vibius Trebonianus Gallus cum filio Volusiano. Quum verò ignominiosam pacem Trebonianus fecisset cum Scythis sive Gottis, ut populus Romanus tributa penderet, quod erat inauditum, & Scythæ inde audaciores facti plures provincias Romanorum invaderent, missus est Æmylianus Mæsiæ præfectus, qui magnâ pecuniæ vi, quæ pendenda erat Scythis, militibus promissa Scythas repressit, & solutâ pecuniâ Imperator à militibus est declaratus. Hæc dum fiunt in Thracia, alter exercitus qui in Alpibus erat Imperatorem facit Valerianum. Ne autem hinc civile bellum oriretur, Æmylianus sive per cædem sive per morbum tollitur. Valerianus igitur jam valde senex & per omnes dignitatum gradus progressus fit Imperator. Cœpit imperare anno Christi 254 & cum filio Gallieno imperavit annos 7. Nullus hoc Valeriano fuit calamitosior. Incitatus à Mago Ægyptio, quum antea mitis erga Christianos fuisset, asperior esse cœpit, ut persequutionem moverit, & humanas hostias mactaverit. Sed non fuit diuturnus hic furor. Nam anno 4 Imperii in Orientem profectus contra Persas, acie victus in potestatem Saporis regis Persici venit, à quo admodum duriter & ignominiosè est habitus, ut quoties rex equum conscendere vellet Valerianus scabelli usum præbere cogeretur. Tandem in extrema senecta viventi cutis à cervice ad pedes detracta est.

Synchronismus.

1. Octava persequutio Christianorum à Valeriano excitata est paulò ante ejus obitum, in qua martyrio coronatus est in Africa Cyprianus Carthaginensis Episcopus, & Dionysius Alexandrinus in exilium pulsus, ut & Cheremon Episcopus Nicopolitanus, de quo referunt scriptores, quòd quum senii onere pressus procedere non potuisset, spectante multitudine in cœlum fuerit susceptus. De Dionysio Alexandrino vide Euseb. lib. 7 hist. eccles.

2. Circa hæc tempora Paulus eremita in eremum sese contulit, ubi asperrimam egit vitam, cujus exemplum mox sequutus est S. Antonius, unde tandem Monachatus est exortus.

3. Origenes scriptor ecclesiasticus hoc tempore obiit Tyri, & reliquit post se plurimos discipulos, inter quos fuit Gregorius Episcopus Neocæsariensis, qui hoc seculo floruit.

4. Prodiit sub Valeriano Novatus presbyter Romanus, qui atrox dissidium in Ecclesia excitavit. Quum enim multi metu suppliciorum se Christianos esse negâssent, & postea pœnitentiam agerent, negavit Novatus semel lapsos esse recipiendos in Ecclesiæ communionem.

5. Sabellius Afer hoc tempore circa annum Christi 255 vixit, qui blasphemè docuit unam tantùm divinæ essentiæ personam esse, quæ distinguatur non ὑποστάσεσι tribus sed duntaxat nudis nominibus.

GALLIENUS.

Hic fuit filius Valeriani, qui patre à Sapore Persarum rege capto, factus est Imperator, homo similis Neronis aut Domitiani, totus voluptatibus ac libidinibus deditus. Cœpit solus imperare anno Christi 261 & imperavit annos 8. Suis quum indulgeret voluptatibus, omnem tum patris liberandi tum imperii administrandi curam abjecit, unde omnium contemptum & odium in se concitavit. Patris exemplo territus pacem Ecclesiæ reddidit, & edictis divulgatis persequutionem Christianorum relaxavit. Quum igitur passim Gotti & Scythæ provincias Romanorum invaderent, vastarent & occuparent,

ipse

ipse verò Gallienus domi deses & securus viveret, ducibusque invisus existeret, triginta duces à suis exercitibus facti sunt Imperatores, inter quos de imperii majestate dimicantes ingens exorta est laniena. Sed repressit hosce Flavius Claudius, qui Gallieno à Cecropio Dalmata prope Mediolanum interfecto successerat, vir magnæ virtutis & longiore vitâ dignus.

Synchronismus.

1. Romanis ducibus sub Gallieno inter sese belligerantibus Ecclesia crevit. Multi enim libentiùs amplexi sunt doctrinam de vero Deo quum viderent scelera & pœnas impiorum principum idola defendentium. Sparsi tamen sunt furores gravissimi & Ecclesiæ perniciosissimi. Nam Manes in Persia & Paulus Samosatenus in Syria Antiochiæ furere cœperunt.

2. Francorum prima fit mentio in bellis Romanis sub Gallieno. Quum enim Posthumus unus ex ducibus, excellens vir, qui Galliam rexit, à Gallieno bello peteretur, Francos sibi adjunxit qui tunc ad Rhenum accesserant. Hic de Francis & horum virtute, sede, origine refert Melanchthon in Chronico.

FL. CLAUDIUS.

Oriundus fuit è Dalmatiis, morum gravitate insignis, vitæ integræ, & singularis felicitatis in bellis contra 30 tyrannos. Cœpit imperare anno Christi 269 & imperavit biennium, sed non integrum. Si diutius supervixisset, suis virtutibus Scipiones & Camillos reddidisset. Victor Syrmium Pannoniæ petiit, ubi in ægritudinem incidit quâ extinctus est, posteaquam Sarmatas, Getas, Scythas, Quados ab imperii finibus pepulisset pacemque restituisset. Hinc post mortem nomen Divi consequutus est, & ejus statua ex auro prope ipsum Jovis simulacrum in Capitolio collocata est, & Clypeus aureus in Curia cum imagine vultus ejus.

AURELIANUS.

Obscuriore familiâ natus est, & de patria nihil certi constat, creditur tamen in Syrmio natus. Sub Claudio præcipuus dux fuit contra Gottos & ductor equitum.

Cœpit regnare anno Christi 271 & imperavit annos 6. Militari virtute excelluit, sed nimis fuit severus, ut propter crudelitatem odiosus factus sit militibus. Militem qui hospitam vi stupraverat inflexis arboribus alligatum rursusque dimissis & ad pristinam figuram recurrentibus discerptum enecavit. Præcipua ejus bella tria recensentur. 1. Francicum, quod ante imperium susceptum gessit, in quo ad Moguntiam 30000 Francorum trucidata sunt. 2 Marcomannicum, in quo magna quidem cum clade sui exercitus Marcomannos & Suevos delevit. 3. Syriacum contra Zenobiam fortissimam mulierem, quam ex urbe Palmyra in tutiora loca discedentem cepit & belli istius finem fecit. Zenobia cum filiis & filiabus captiva Romam ducta est, ubi privatam vitam egit. Interfectus est Aurelianus non procul à Byzantio urbe à militibus quos Mnestheus Secretarius ejus incitaverat, de quo tamen statim pœnas sumpsit exercitus eumque bestiis objecit. Lepidum est quod narratur de Thyanæ urbis obsidione. Quum enim Aurelianus iratus dixisset, se captâ urbe ne canem quidem vivum relicturum, & potitus urbe à militibus solicitaretur ut urbem direptioni traderet, Agite, inquit, quod dixi faciam; Omnes occidite canes, sed civibus parcite. Proditorem, cujus operâ urbem ceperat, occidi jussit, quòd ab eo nullam expectare posset fidem qui fidem non præstitisset patriæ.

Synchronismus.

1. Ad Aureliani imperium quidam referunt nonam Christianorum persequutionem, quam alii ponunt ad imperium Diocletiani & hujus sociorum. Verum quidem est Aurelianum persequutionem Christianorum instituisse, sed morte præventus non est assequutus quod voluit. Rectiùs igitur faciunt, qui nonam persequutionem tribuunt Diocletiano, Maximiano, Galerio & Maximino, circa annum Christi 303, decimam verò referunt ad imperium Juliani apostatæ circa annum Christi 361.

2. In Aureliani tempora incidit Paulus patriâ Samosatenus, Antiochiæ Episcopus, hæreticus, qui impiè asseruit Jesum Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον, inque ipso verbum Dei, id est, λόγον, non aliter habitasse quàm olim in Prophetis, atque ita veram Christi deitatem negavit. Occasionem erroris hujus Samosateno dedit Zenobia

mulier

mulier Arabica, quæ Antiochiam & Syriam tenebat, & doctrinam Judaïcam fovebat. Huic reginæ familiaris fuit Samosatenus, & ut eam ad Christianos inflecteret, doctrinam de Messia transformavit in Judaïcas opiniones. Samosateno opposuerunt sese Dionysius Alexandrinus & Gregorius Neocæsariensis, qui miraculis fuit clarus, Euseb. lib. 7 hist. eccles. cap. 23, &c.

3. Manes Persa natione prodiit anno Christi 274, & horrendas blasphemias evomuit, unde tandem Manichæi orti sunt. Nunc Christum, nunc Paracletum sese finxit, & discipulos secum circumduxit. Blasphemiæ fuerunt: 1. Duo esse principia æterna, alterum bonum, alterum malum. 2. Christi humanam naturam fuisse φαντασίαν καὶ δόκησιν seu spectrum, quemadmodum Angeli interdum humanâ specie fuerunt conspecti. 3. Conjugium & politicum ordinem nullius esse momenti. 4. Carnis resurrectionem esse nullam. 5. Contingentiam in rebus humanis nullam esse, sed omnia fieri necessariò. Hæc Manichæorum secta latissimè sparsa est per Africam, Arabiam & Ægyptum, & duravit per annos 200. Manes autem medicam artem professus quum regis Persarum filium malè curasset seu dolo seu inscitiâ, rex cutem ei detrahi jussit. Cæterùm primus autor horum errorum fuit Basilides, quem sequutus est Marcion, qui vixit tempore Polycarpi, de quo suprà.

4. Constantinus, postea dictus Magnus, natus est anno Christi 272 in Britannia, patre Constantio Chloro & matre Helenâ. Hinc ad ejus imperium effluxerunt anni 34.

5. Saracenorum prima fit mentio sub Aureliano.

TACITUS.

Post obitum Aureliani interregnum fuit 6 mensium, quod à temporibus Romuli non fuit auditum. Imperator deinde non à militibus sed ex Senatusconsulto factus est P. Annius Tacitus, qui imperavit 6 menses, interemptus deinde insidiis militaribus. Nihil igitur præclarum gerere potuit. Fratrem habuit Florianum, qui suo arbitrio imperium tanquam hæreditarium arripuerat, sed vix duobus mensibus elapsis Tharsi occisus est à militibus, qui audiverant Valerium Probum imperare.

VALERIUS PROBUS.

Oriundus fuit ex Pannonia, civitate Syrmiensi. Tanta fuit ejus virtus in ipsa etiam adolescentia, ut propè imberbis tribunatum acciperet. Cœpit imperare anno Christi 277 & imperavit annos 6, menses 4. Princeps laudatissimus & ob justitiam ac fortitudinem omnibus acceptissimus. Miræ felicitatis in bellis fuit. Victo Saturnino, qui Orientis imperium arripuerat, tranquillissima in Oriente fuit quies. Proculum quoque & Bonosum, qui imperium affectabant, vicit, atque ita Britannias, Hispanias & aliquot Galliæ provincias recuperavit. De Bonoso referunt quòd homo fuerit bibacissimus, helluo, & ob deformitatem ventricosus, unde quum laqueo sibi vitam finivisset, jocus militaris factus est, non hominem, sed amphoram pendere. Pacato bello Persico Probus per Illyricum iter faciens interfectus est à militibus, quos nimio onere siccandi paludem presserat.

Synchronismus.

In historia Valerii Probi primò occurrit nomen Alemannorum, quæ appellatio abolevit nomen Rhetiæ. Melanchthon in Chronico putat idem nomen esse Alanorum & Alemannorum. Alemannos autem contra Probum concitaverat Bonosus. Creduntur in veteribus historiis Alemanni populi inter Alpes & Moguntiam.

CARUS.

Hunc Probus propter insignes virtutes prætorii præfectum fecerat, quo in munere omnem militum favorem sibi conciliavit, ut occiso Probo solus dignissimus imperio judicaretur. Cœpit imperare anno Christi 283, & imperavit cum filiis Numeriano & Carino annum unum & aliquot menses. Carinum ad Gallias tuendas destinavit, Numerianum verò secum retinuit, cum quo contra Persas feliciter profectus in Mesopotamiam ulteriùs est progressus, sed ubi ad Tigridem fluvium, limitem imperii Romani fatalem, pervenisset, ægrotare cœpit, & in tentorio jacens exortâ ingente tempestate, coruscatione & immaniori tonitru exanimatus fuisse

fuisse putatur, ideoque fulmine extinctus scribitur. Successisset forsan patri Numerianus nisi à socero Ario imperium affectante nefariè fuisset interfectus, quem postea Diocletianus Imperator electus gladio percussit. Carinus verò homo omnium contaminatissimus quum ad fœdissimam luxuriem multas innocentum hominum cædes adderet, & nobiles matronas ad adulteria raperet, in ultima pugna contra Diocletianum à suis desertus occubuit & scelerum pœnas luit. Interfectus est à Tribuno, cujus uxori stuprum intulerat. Vide Vopiscum & Eutropium.

Carolus Sigonius historiam Occidentalis imperii 20 libris eruditè scriptam hinc pertexit usque ad annum Christi 565, quo Justinianus Imperator mortuus est.

DIOCLETIANUS.

Fuit oriundus ex Dalmatia, parentibus obscuris natus. In Gallia fuit gregarius miles, ubi quum apud hospitam Druidam (fuerunt autem Druidæ mulieres sacerdotes & fatidicæ) convictus sui rationem faceret, & parcè pecuniam numeraret, illa verò ne avarus sit moneret, respondisse per jocum fertur Diocletianus: Ubi Imperator fuero largior ero. Ad quod mulier: Noli, inquit, jocari, nam Imperator eris quum Aprum occideris. Occidit deinde Aprum Numeriani socerum, ut dictum est. Post Carinum profligatum Imperator factus est, & cœpit imperare anno Christi 284 imperavitque annos 20. Quum autem in multis imperii partibus graves excitati essent motus, ut tutior esset, consortem imperii legit Maximianum, additâ hac lege, ut Diocletianus diceretur Jovius, Maximianus verò Herculeus. Atque ita fuerunt duo Augusti. Postea quum subinde per varia loca pullularent nova bella, & fidelibus ducibus opus esset, inter duos Augustos ita convenit, ut duos alios Cæsares adoptarent. Et quidem Diocletianus adoptavit sibi Galerium Maximinum, Maximianus verò Constantium Chlorum, & ut firmior esset amicitiæ nexus, affinitas accessit. Nam Diocletianus filiam Valeriam uxorem dedit Galerio, Maximianus verò privignam suam Theodoram matrimonio junxit Constantio Chloro. Maximianus deinde filiam suam dedit uxorem Constantino

ſtantino filio Conſtantii Chlori. Diocletianus ſuſcepit bellum Ægyptium, in quo vicit Achilleium quendam, qui ad rebellionem concitaverat ferme totam Ægyptum, eumque beſtiis dilaniandum objecit, atque ita Ægyptum pacatam recuperavit. Maximianus ſua bella habuit in Gallia & Africa, ubi ſeditioſos repreſſit. Galerius Maximianus contra Narſum regem Perſarum miſſus eſt, quem tandem captâ regiâ Gazâ vicit. Conſtantius magnâ cum difficultate domuit Francos & Alemannos trucidatis 60000. Multis autem victoriis in Aſia obtentis Diocletianus divinos honores ſibi fieri præcipit, & ut omnes ſine diſcrimine pedes oſcularentur ſanxit. Tandem variarum moleſtiarum pertæſum eſt, & eodem die (ſic enim de compoſito convenerat) Diocletianus Nicomediæ, & Maximianus Mediolani imperium depoſuerunt. Sunt qui putant Diocletianum dolore motum fuiſſe ut imperio ſeſe abdicaret, quum perficere ſe non poſſe videret ea quæ contra Chriſtianos molitus fuerat. Addunt quidam ſtupore mentis & longâ ægritudine confectum animam inter ſuſpiria efflaſſe, alii hauſto veneno interiiſſe, quum novennium jam privatus in ocio vixiſſet, anno Chriſti 313. Maximianus verò interiit ante obitum Diocletiani anno 5 Maſſiliæ, ubi inſidias ſtruxerat Conſtantino genero, quod factum eſt anno Chriſti 308. Galerius ex ulcere circa genitalia orto, quod vermibus ſcatere cœperat, obiit anno Chriſti 311. Hiſce ita extinctis imperium tenuerunt Conſtantinus, Maxentius filius Maximiani, Licinius à Galerio Auguſtus appellatus, & Maximinus ſororis Galerii filius.

Synchroniſmus.

1. Nona Chriſtianorum perſequutio excitata à Diocletiano & hujus ſociis Maximiano, Galerio, & Maximino Galerii ex ſorore nepote. Diuturna & crudeliſſima fuit hæc calamitas, & ſcribit Sulpitius, fermè totum terrarum orbem Chriſtianorum ſanguine fuiſſe conſperſum. Inchoata eſt anno Chriſti 303, qui fuit annus 19 Diocletiani imperii. Vide Euſebii totum librum 8 hiſt. eccleſ. Sed in hoc tanto tyrannorum furore Conſtantius Chlorus Chriſtianos tutatus eſt, cujus pietatis æmulus ac hæres fuit Conſtantinus filius, ut dicetur.

2. Conſtantius Chlorus exprobratam à Diocletiano paupertatem collectâ à ſubditis ingente pecunia, quam deinde

deinde reddidit, refutavit. Deinde exploraturus suorum aulicorum in fide Christiana constantiam, se alienum à Christianismo simulavit, & qui nollent idolis sacrificare ex aula exire jussit. Quum autem multi essent qui ad idolorum cultum se accessuros significabant, indignatus Chlorus ex aula illos removit hâc voce: Quomodo fidem Imperatori præstabunt inviolatam, qui Deo sunt perfidi? Mortuus est Constantius Eboraci in Britannia anno Christi 306.

3. Spira urbs ad Rhenum à Constantio Chloro condita scribitur, ubi matrem Claudiam sepelivit. Natus est enim Constantius ex Romana stirpe nobilissima, patre Eutropio & matre Claudiâ filiâ Imperatoris Claudii, qui antecessit Aurelianum.

De secunda Classe Monarchiæ quartæ, in qua continetur historia Imperatorum Græcorum seu Orientalium.

CONSTANTINUS M.

NAtus fuit hic Constatinus anno Christi 272 patre Constantio Chloro & matre Helenâ priore conjuge, post cujus mortem Chlorus uxorem duxit Theodoram Maximiani privignam, ut suprà dictum. Patria fuit Britannia. Militavit Diocletiano in Ægypto, ubi animadvertens sibi à Diocletiano & Maximino insidias fieri inde effugiens rediit in Galliam ad patrem. Paulò post hunc reditum pater mortuus est, & regnum Galliarum, Hispaniarum ac Alpium Cottiarum reliquit filio Constantino. Primus feuda hæreditaria constituit, quum antea ducibus benè meritis darentur agri & villæ ad dies vitæ. Propter crudelitatem, quam Maxentius Romæ exercebat, accersitus est in Italiam à Senatu, quumque quid hac in re faciendum esset dubitaret, ostendit Deus illustre signum victoriæ: nam medio die in clara luce vidit Constantinus signum crucis ex lucis splendore figuratum cum literis hæc verba significantibus, ἐν τούτῳ νίκα, id est, in hoc vince. Et narrat Eusebius in vita Constantini se hanc narrationem ex ore ejus audivisse. Confirmatus igitur hoc signo Constantinus exercitum Romam

mam duxit, cui Maxentius licèt imparatus infeliciter occurrit. Prælio enim victus & in flumen immersus periit, non secus ac olim Pharao in mari rubro, Euseb. lib. 9 hist. eccles. cap. 9. Quum autem Constantinus à Senatu contra Maxentium vocaretur, & feliciter præliatus esset, à Senatu Populoque Romano liberator urbis dictus & insigni triumpho honoratus est anno imperii sui 7. Cœpit ejus imperium anno Christi 306, idque tenuit annos 32. Deletis Maximino & Maxentio reliquus fuit Licinius, qui Orientem tenebat. Ut autem Constantinus à Maximiano, ita Licinius à Maximino Cæsar nominatus fuerat. Fecerat igitur Constantinus cum Licinio fedus eique sororem Constantiam dederat uxorem. Hisce igitur duobus imperantibus, Licinio in Oriente, & Constantino in Occidente, pax fuit in imperio Romano circiter quinquennium. Postea quum Licinius crudeliùs sæviret contra Christianos, idque contra pacta & edicta quæ simul ediderant Impp. & monitus à Constantino insolentiùs responderet, bellumque minitaretur, defensionem innocentium Constantinus suscepit, Licinium bello vicit, qui tandem Thessalonicæ interfectus est. Postea Constantinus omnia in Imperio, tam ecclesiastica quàm politica, juxta pietatis & honestatis leges ordinavit & sancivit, quum jam sex hostibus Christiani nominis deletis solus imperium teneret. Omnibus igitur rebus in Occidente benè dispositis, quum Sarmatæ & Gothi Thraciam vexarent direptionibus, sedem imperatoriam ex Italia transtulit in Thraciam, nempe Româ Byzantium, unde factum, ut post multam instaurationem ac renovationem Byzantium diceretur νέα ῥώμη, id est, Nova Roma, & ex nomine Constantini Constantinopolis, quod nomen in hodiernum usque diem remansit. Hæc verò translatio Occidenti fuit perniciosissima, quia mox peregrinæ gentes in Italiam influxerunt, & magnis calamitatibus eam affixerunt; sed deletis ethnicis superstitionibus Christiana fides passim recepta est. Tandem Constantinus jam senex in expeditione contra Persas in morbum incidit non sine veneni suspicione, quo vires sumente Nicomediam translatus est, ubi baptismum, quem ad Jordanis fluvium differre voluit, accepit, & sic obiit quum vixisset annos 66 (alii 64) anno Christi 337. Fabulam de donatine qua Constantinus

tinus M. in papatu fingitur post suum ex Italia discessum totum Occidentis imperium donasse Sylvestro Episcopo Romano, refutatam vide apud Melanchthonem in Chronico.

Synchronismus.

1. NICENA SYNODUS à Constantino M. instituta & coacta fuit anno Christi 325, estque OEcumenica prima. Caussam huic Synodo præbuit Arius presbyter Alexandrinus in Ægypto, qui quum frustra affectasset Episcopatum fertur dolore repulsæ sese opposuisse Alexandro Episcopo, & impium dogma contra deitatem Jesu Christi sparsisse, quo negavit λόγον apud Johannem cap. 1. verss. 1 & 2. esse ὑφιστάμενον, nec λόγον esse ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον patri, &c. Convocati autem sunt ex omnibus partibus orbis terrarum Episcopi 318, inter quos etiam martyres fuerunt. Vocatur Nicena à Nicea oppido Bithyniæ, ubi fuit coacta ipso Constantino assidente. Decretum tandem fuit contra Arii impietatem & blasphemias, & sic asserta est deitas Jesu Christi Salvatoris nostri. Post longa certamina scriptum est Symbolum Nicenum, quod adhuc in Ecclesiis retinetur & proximum Apostolico habetur. Autor hujus Symboli creditur Athanasius, qui post ejectum Arium fuit presbyter Ecclesiæ Alexandrinæ, & post obitum Alexandri Episcopus. Cæterum de Synodo Nicena plura videantur apud Eusebium lib. 10 hist. eccles. cap. 1 & seqq.

2. Athanasius designatus est Episcopus Alexandriæ anno Christi 325. Hunc absentem successorem nominaverat Alexander ob singularis pietatis & industriæ specimina quæ dum presbyter esset, ostenderat. Natus fuit Alexandriæ, ubi in pueritia magni viri documenta præbuit. Episcopali munere functus est annos 46, sed inter varia certamina & pericula, in quibus tamen mirabilem ostendit constantiam. Fuit ejus vita similis comœdiæ quinque exiliis tanquam actibus distincta. Et quidem primum exilium sustinuit vivo adhuc Constantino. Quum enim post Synodum Nicenam Arianum incendium non esset planè extinctum, arte inventus est dolus per quendam Eusebium Nicomediæ Episcopum, hominem astutum & sceleratum familiarem Constantiæ sororis Constantini. Is Constantiæ afflaverat Ariana contagia, & perfecerat ut fratrem mitiorem effecerit erga

Arium

Arium exulem, quin etiam ab exilio revocaverit, & causam denuò cognosci jusserit, quod factum est. Vocantur Episcopi Constantinopolim & Arius ex Alexandria accersitur. Oritur ingens certamen inter Alexandrum Episcopum Constantinop. & Eusebium Nicomediensem Arii defensorem. Post aliquot dierum congressum, quum jam iterum ad disputationem conveniendum esset, Alexander noctu manens in templo, Deum precatur ut ipse veritatem tueri velit, quod & miraculosè factum est. Etenim manè quum longa esset expectatio, tandem cum sua factione progressus Arius & ad publicum consessum accessurus in itinere ventris dolores sentiens ad cloacam deflectebat, ubi effusis intestinis teterrimam mortem obiit, anno Christi 336, qui fuit proximus ante obitum Constantini, quum jam Athanasius instinctu Eusebii Nicomed. & mandato Constantini M. exularet Treviris Hoc igitur primum est exilium Athanasii, quo latitavit apud Maximinum Episcopum Trevirensem per biennium & 4 menses. De revocatione Arii per Constantinum vide Euseb. lib. 10 hist. eccles. cap. 11. de morte ejusdem cap. 13.

3. Lactantius Firmianus, sic dictus à lacteo eloquentiæ flumine & Firmio, quæ fuit patria in Italia, vixit circa hæc tempora. Rhetoricam docuit Nicomediæ, præceptor Crispi filii Constantini M. ex Minervina prima conjuge, quem fraude Faustæ secundæ conjugis Constantinus interfici jusserat. Quum autem homo Latinus in Schola Græca parum proficeret, relictâ professione ad scribendum se contulit, & senex in Gallia docuit. Ejus libri hodie leguntur, septem de institutionibus divinis adversus gentes; de ira Dei; de opificio Dei. Vixit in summa egestate.


4. Claruit etiam hoc tempore Eusebius Episcopus Cæsareæ in Palæstina, scriptor historiarum ecclesiasticarum, quem intervallo non admodum longo sequuti sunt Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Euagrius, Nicephorus, &c.

CON-

CONSTANTINUS.
CONSTANS.
CONSTANTIUS.

Hos tres filios reliquit Constantinus M. ex Fausta secunda uxore susceptos, quibus distributum est imperium, ita ut Constantino, qui fuit maximus natu, obvenirent Galliæ, Hispaniæ, Alpes Cottiæ, Britanniæ & Hiberniæ; Constanti Italia, Africa, Illyricum & Græcia; Constantio Oriens & Thracia. Cœperunt imperare anno Christi 337, sed Constantinus imperavit annos 3, Constans annos 13, Constantius anno 25. Etenim Constantinus non contentus suis provinciis novam urgebat divisionem; quumque nihil proficeret, contra jus & fas bellum inferebat fratri Constanti, à cujus exercitu in Italia ad Aquileiam prælio victus est, & ab equo jam vulnerator excussus multis ictibus est confossus anno Christi 340, & sic respublica ad duos Augustos est redacta. Supersunt igitur Constans & Constantius, quorum ille fraterno bello motus intra biennium omnes occisi fratris provincias occupat, & quum postea neglectâ gubernationis curâ ad voluptates & crudelitatem degeneraret, per conspirationem centurionum contra ipsum factus est Imperator Magnentius, quem Rhætiæ præfecerat. Hic percussores misit qui Constantem trucidarunt, & deinde contra Constantium præliatus, & ab hoc victus, quum nihil spei reliquum videret, se ipsum confodit. Magnentium in Illyrico Constans tutatus fuerat contra impetum militum; jam verò Magnentius Constantem insidiosè & sceleratè interfecit. Scilicet hoc est colubrum in sinu fovere. Solus ergò ex Constantini M. filiis superest Constantius natu minimus, qui quum bello adoriretur Magnentium, in Oriente Gallum patruelem Cæsarem fecerat, eumque bello contra Parthos præfecerat; sed quum postea multa ageret insolentiùs & crudeliùs, & Constantii mandata sperneret, motus officio & trucidatus est. Interea quum Sapóres rex Persicus *Persicum* poscceret sibi à Constantio restitui Mesopotamiam & Ar- *bellum.* meniam, indeque Persicum exoriretur bellum, Constantius alium imperii consortem deligere coactus est, &

delegit patruelem Julianum trucidati Galli fratrem, quem Cæsarem fecit, eique sororem Helenam matrimonio junxit. Julianus rebus deinde in Gallia præclarè & feliciter gestis, quum totum ferè Alemannorum exercitum prope Argentoratum perdidisset, ab exercitu Imperator vocatus est, indeque porrò Augustus, quem titulum tamen invitus sumpsit, metuens Constantii indignationem. Sed Constantius ægerrimè hoc ferens, rebus in Armenia & Mesopotamia constitutis, quum copias contra Julianum ducturus esset, febri extinctus periit anno Christi 361. Notetur tabula:



Synchronismus.

1. Athanasius ab exilio Trevirensi ex mandato Constantini II redit Alexandriam anno Christi 338, ibique triennio retinet Ecclesiæ gubernationem. Postea delatis ad Constantium querelis, maximis artificiis Eusebii Nicomediensis, quòd vox ὁμοούσιος, quam defenderet Athanasius, multas daret turbas, Synodum Antiochiæ Constantius indixit, in qua factio Ariana obtinuit, ut nova fidei formula componeretur, cui quum Athanasius adstipulari nollet nec posset, sede suâ dimotus est & in alterum exilium ejectus, in quo Romam profugit ad Julium Episcopum, cujus literis commendatitiis ornatus quum rediisset Alexandriam, tumultus ab Arianis excitati sunt, ita ut iterum cedere cogeretur, quod tertium est exilium consumptum per totum Orientem. Instat apud Constantem Julius Episcopus Romanus, ut à fratre Constantio caussæ Athanasianæ recognitionem impetraret, quod factum est. Indicitur Synodus in Illyrico in

Synodus Antiochena.

in urbe Sardica, ubi decreta Nicena confirmantur, & Athanasius aliique extorres restituuntur. Antisynodus Arianorum habita est in urbe Philippopoli in Thracia. *Synodus Sardicensis.* Mansit tamen Athanasius Alexandriæ in suo munere usque ad mortem Constantis Imp. quæ incidit in annum Christi 350. Postea quum Constantius solus imperaret, accusatus fuit Athanasius, quasi hortator fuisset Constanti ad inferendum bellum fratri Constantio. (minatus enim fuerat Constans, nisi Constantius restituerit Athanasium, se vi ipsum restituturum.) unde permotus Constantius iterum ejicit Athanasium, qui in Libya latitavit sexennium usque ad mortem Constantii. Hoc quartum fuit exilium, quod tamen alii tertium vocant.

2. Eusebius Pamphili historiarum ecclesiasticarum scriptor moritur circa annum Christi 339. Vocatur Eusebius Cæsariensis, quia Cæsareæ in Palæstina fuit Episcopus.

3. Synodus Syrmiensis anno post Sardicensem quinto à Constantio instituta fuit, & tentata reconciliatio inter Orthodoxos & Arianos, sed abiit in majores acerbitates. *Synodus Syrmiensis.* Nam Photinus Syrmiensis Ecclesiæ presbyter & Arianos & Orthodoxos vituperabat, & Samosateni blasphemiam ab orco revocabat, videlicet λόγον apud Johannem non esse ὑφιστάμενον, sed significare decretum Dei de redemptione generis humani. Decreta hujus Synodi recenset Melanchthon in Chronico. Ubi verò hæc Synodus ad Arii caussam processit, impia decreta facta sunt, & pro ὁμοούσιος posita est vox ὁμοιούσιος, quæ propter ambiguitatem novas deperit dissensiones. Incitarunt deinde Ariani Constantium ut in Italia quoque Synodos convocaret & Syrmiensia decreta in illis confirmaret, unde duæ Synodi, Mediolanensis & Ariminensis, ambæ sine fructu. *Synodus Mediolanensis & Ariminensis.* Ita Ariani pro lubitu suo flexerunt Constantium, τὸν πάντῃ ῥαδίως πειθόμενον, ut Theodoretus Constantii inconstantiam notavit. Dum autem Synodus celebratur Arimini in Italia, alia congregatur in urbe Isauriæ Seleucia. *Synodus Seleuciensis.* Ariminensis retinet vocem ὁμοούσιος, Seleuciensis verò illâ rejectâ retinet vocem ὅμοιος. Postea convocata est à Constantio Synodus Antiochiæ, in qua etiam vox ὅμοιος est rejecta, & contenderunt Ariani Filium planè dissimilem esse Patri. *Synodus Antiochena.*

4. Tempore Constantii superstitiones quædam hodie

in Papatu usitatæ in Ecclesiam irrepserunt, videlicet secessus tanquam Monachatus, delectus ciborum, cœlibatus Sacerdotum, de quo tamen etiam disputatum fuit in Synodo Nicena. Sed refutata & damnata hæc sunt in Synodo Gangrensi in oppido Galatarum Gangra.

5. Liberius Romæ Episcopus fuit ab anno Christi 351 per annos 15. Hic quum omni curâ id ageret ut Constantio Cæsari odium adversus Athanasium adimeret, ipse quòd alienus esset ab Arianis in exilium ire coactus est, eique suffectus Felix II, qui sedit annos 10. Postea in schismate revocatus est Liberius, & sedit annos 8 & menses 10.

6. S. Nicolaus Myræ in Lycia Episcopus fuit circa annum 343. Celebratur ejus liberalitas in pauperes, inprimis in quendam vicinum egenum, qui per penuriam tres filias nubiles prostituere dum cogitaret, Nicolaus noctu per fenestram in ejus cubiculum projecit crumenam auro refertam ad præcavendum hoc facinus. Scribitur precibus ingentem maris tempestatem sedasse, unde in Papatu navigantium patronus habetur.

7. S. Hilarius Ecclesiæ Pictavorum in Gallia moderator floruit circa annum Christi 350. Ejus scripta hodie leguntur. Cum Arianis ei fuit maximum certamen, qui tandem contra ipsum obtinuerunt ut in exilium cum aliis Orthodoxis pelleretur. Non tamen in sanandis Ecclesiæ vulneribus suo muneri defuit.

8. Vixit circa hæc tempora S. Antonius eremita, Monachus in Ægypto, qui ut autor est Hieronymus attigit annum ætatis 105, & mortuus est anno 19 imperii Constantii qui est annus Christi 355.

9. S. Martinus Sebariensis, natione Pannonius militavit adolescens in Gallia sub Juliano apostata, sed circa annum Christi 356, relictis castris militaribus, ad Christi castra se contulit, & disciplinâ ac conversatione Hilarii tantùm profecit, ut primùm presbyter in Ecclesia Pictaviensi, deinde Episcopus in Ecclesia Turonensi factus sit. Satanæ purpurâ regiâ induto & Christum se nuncupanti respondisse fertur: Abi hinc, quia Christus nuspiam in purpura & regio ornatu se ostentavit. Hoc Papæ dictum esto. Ejus solennitas incidit in diem XI Novembris.

10. Donatus Grammaticus D. Hieronymi præceptor & Victorinus Rhetor hoc tempore Romæ claruerunt.

11. Gun-

11. Gundomarus & Vadomarius Alemannorum reges anno Christi 354 crebris incursionibus Galliam vexarunt & vastarunt, quibus quum Constantius Imp. obviam iret, pax facta est. Quum verò rebellandi nullum facerent finem, contra eos missus est Julianus, qui acri prælio ad Argentoratum cæsis 6000 victor evasit capto Gundomaro. Hinc Julianus victor Germanorum dictus est. Fuit autem hoc tempore Alemannorum sedes ab Alpibus ad Moguntiam usque. A Moguntia porrò Rheni ripam & Belgicum tenuerunt Franci. Sæpè autem Alemanni & Franci cum Romanis dimicarunt, & postea inter sese, donec Francorum fortuna fuit victrix.

JULIANUS APOSTATA.

De hoc sub Constantio nonnihil est dictum, quomodo Cæsar factus sit & contra Alemannos belligerarit. Natus fuit ex illustri genere. Patrem enim habuit Constantium fratrem Constantini M. ingenio fuit ad literas & arma promptissimo. Adolescens traditus fuit institutioni Eusebii Episcopi Nicomediensis, à quo doctrinam Christianam didicit; sed quum clanculum audiret Libanium rhetorem & alios ethnicos philosophos, ad ethnicam impietatem ac idololatriam seductus est; ex quo deinde acerrimus Christianorum hostis extitit, adeò ut quicquid ad impediendam Christianam doctrinam faceret omni studio promoverit. Idolorum templa à Constantino M. & hujus filiis clausa aperuit, scholas Christianorum clausit, additâ hac voce: *ἰοκείοις πτεροῖς βαλλόμεθα*, id est, propriis pennis ferimur. Ecclesiastica bona ad se rapuit addito sarcasmo, se hoc ideò facere ut Christianos ad regnum cælorum promoveret, quòd Galilæus (sic per ludibrium nominabat Christum) dixisset: Beati pauperes, quia illorum est regnum cælorum. Euangelio dixit tolli magistratus, judicia & leges, propterea quòd Euangelium prohiberet vindictam. In odium Christianorum Judæis concessit potestatem reædificandi templum; quod quum molirentur, totum opus dehiscente terrâ disjectum est, & multa millia Judæorum perierunt. Sæviit etiam privatim in multos Christianos, etiam principes, ut Jovinianum, Valentinianum & Valentem. Edidit scripta contra Christianos sed refutata à

Nazianzeno & Cyrillo, quamvis in quibusdam non adeò solidè, maximè ubi in loco de vindicta distinguunt inter consilia & præcepta. Quum Christiani offerrent ei scriptum in quo doctrina Ecclesiæ defendebatur, cum risu & joco rescripsit hæc verba: ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων. Sed respondit nomine aliorum Episcoporum Basilius in hæc verba: ἀνέγνως ἀλλ' οὐκ ἔγνως, εἰ γὰρ ἔγνως οὐκ ἂν κατέγνως. Cum Constantio Imp. tenuit imperium sexennio. Cœpit deinde solus imperare anno Christi 361, & imperavit annum 1 & menses 7. Quo tempore multa petulanter & crudeliter egit. Persis bellum intulit, in quo lethaliter sauciatus projecto in aërem sanguine in Christi contumeliam evomuit hæc verba: νενίκηκας ὦ Γαλιλαῖε, vicisti Galilæe, & sic ex impuro corpore impuram effudit animam.

Synchronismus.

1. Sub initium imperii Juliani multi Episcopi à Constantio expulsi ad ecclesiarum gubernationem redierunt, inter quos etiam Athanasius fuit. Sed non diu duravit hæc felicitas. Julianus enim magicis artibus deditus magorum accusationibus contra Athanasium facilè cessit & Athanasium in exilium ejecit, quod quintum ejus exilium fuit. Consolatus tamen est Athanasius lugentes Christianos his verbis: Estote bono animo, filioli, nam Julianus nubecula est quæ brevi evanescet. Convenit hoc cum responso cujusdam ludimagistri ad quæstionem sarcasticam Libanii, quid faceret fabri filius? Parat, inquit ille, Juliano loculum. Paucis diebus pòst cadaver Juliani loculo inclusum allatum est.

2. Anthropomorphitæ circa hæc tempora redierunt, qui Deo humanam figuram affinxerunt.

3. Templum Delphicum antehac sæpè deletum sed rursus exstructum tempore Juliani terræ motu & fulminibus ita est eversum, ut nunquam deinde instauratum fuerit. Miserat eò Julianus sciscitatum de eventu Persici belli. Admiratione digna sunt quæ eodem tempore accidisse leguntur de duobus templis, Hierosolymitano & Delphico in pœnam Judæorum & Ethnicorum.

JOVINIANUS.

Post Juliani obitum quum milites Romani propter immi-

imminentem hostem in magnis essent augustiis, festinatâ deliberatione Imperatorem fecerunt Jovinianum filium Varroniani Pannonici in re militari clari. Invitus autem Jovinianus imperatoriam dignitatem assumpsit urgentibus militibus, qui Joviniano quòd Christianus esset sese excusanti, & quòd militibus ethnicis præesse non possit prætendenti, responderunt & se Christianos esse. Sic ergo factus est Imperator Jovinianus extincto Juliano, in quo Constantini M. posteritas deleta est, & imperium ad alios translatum: Fuit enim Julianus ethnicorum Imperatorum ultimus. Qui enim sequuntur omnes Christiani fuerunt, nisi quòd quidam Arianismo fuerunt infecti. Cœpit Jovinianus imperare annò Christi 363, & imperavit menses 7. Orthodoxorum Episcoporum summus fautor & Arianorum osor, unde in ecclesiastica historia valdè celebratur. In negotiis politicis hoc maximè in ipso desideratur, quòd pacem cum Persis fecit, necessariam quidem, sed Senatui Populoque Rom. ignominiosam. Etenim quum in castris Romanis ingens fames esset, & hostis propter Juliani obitum factus esset elatior, præ metu Jovinianus restituit Sapori Persæ regiones trans Tigrim sitas, quas Galerius Maximianus Romano Imperio adjecerat. Præterea prohibitus fuit Populus Romanus auxilia ferre Arsaci Armeniæ regi Romanorum socio contra Persas, quæ non erat levis ignominia. Postea mense imperii 7 læsus hyberno frigore quum in finibus Bithyniæ & Galatiæ venisset in cubiculum recens calce illitum, idque calefactum graviorem odorem emisisset, noctu odore illo suffocatus & mortuus repertus est. Alii mortem hanc tribuunt cruditati ex nimia edendi in cœna aviditate & cibi ingestione contractæ.

Synchronismus.

Orthodoxi, inter quos Athanasius, ab exiliis revocantur, Ecclesiis reditus redduntur, & idolorum templa clauduntur. Jam enim nubecula, de qua Athanasius, evanuerat.

VALENTINIANUS & VALENS.

Valentinianus natus fuit in Pannonia ex humili loco, patre Gratiano, qui Funarii nomen obtinuit, eò quod

quinque milites funem ei extorquere non potuissent. Sub Juliano militaverat, sed quòd sacrificulum ethnicum, à quo aquâ lustrali fuerat aspersus, in præsentia Juliani pugno verberasset, dimissus fuit, postea verò à Joviniano receptus & Tribunus militum constitutus fuit, cui tandem in Imperio successit. Cœpit imperare anno Christi 364. regnavitque annos 12 non completos. Die 30 à suscepto imperio consortem sibi sumpsit Valentem fratrem, cui Orientem tradidit Occidente sibi servato: Post triennium filium Gratianum creavit Augustum. Valens post fratris obitum in Oriente imperavit annos 3. Dissimilia fuerunt horum fratrum ingenia. Valentinianus severus quidem fuit sed justus & singularis Orthodoxorum fautor: Valens verò crudelis & Arianorum defensor, & Orthodoxorum gravissimus persequutor, idque Arianorum instinctu. Uxores habuit Valentinianus simul duas, Severam, ex qua Gratianus, & Justinam, ex qua Valentinianus II natus fuit & Galla. Hanc Justinam deinde uxorem duxit Theodosius. Magnis præliis vicit Alemannos, & Saxones infra Coloniam Agrippinam in Tungris repressit. In hac historia prima est Saxonum mentio. Periit Valentinianus apoplexiâ, quam ex subita ira contraxerat, quum Quados audivisset in legatione falsa quædam narrantes & latrocinia defendentes. Valens verò in bello contra Gothos in fugam versus, & vulnere accepto in vilissimam quandam casulam deportatus igne à Gothis injecto absumptus est.

Synchronismus.

1. In Ecclesia clarissima lumina fulserunt hoc tempore: Athanasius, Hilarius, Basilius magnus & hujus frater Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Didymus Alexandrinus, Apollinaris Syrus, qui quasdam Bibliorum historias carmine & comœdiis donavit quum Julianus Christianorum scholas clausisset. Didymus Alexandrinus fuit Hieronymi præceptor.

2. Ariani in Oriente freti Valentis favore Orthodoxos graviter vexant.

3. Gothis à Valente Imp. doctores Christianos petentibus mittuntur Ariani, à quibus deinde eâdem hæresi infecti fuerunt.

4. Hilarius & Athanasius moriuntur; ille in patria sua Pictavii,

Pictavii, hic in patria sua Alexandriæ; ille anno Christi 366, hic 371.

5. In historia Valentiniani I prima irruptio Saxonum in limites Romani Imperii facta est, cum quibus deinde Romani semper summo cum periculo dimicarunt.

6. Inter Ursicinum & Damasum Episcopos Romanos accerrima fuerunt schismata, adeò ut ad cruentos gladios devenirent. Obtinuit tamen Damasus vir doctus & D. Hieronymi amantissimus, qui ab anno Christi 367 sedit annos 17.

GRATIANUS & VALENTINIANUS II.

Fuerunt hi fratres, sed non uterini, filii Valentiniani I. Imperarunt cum patre annos 8 & paulò ultra, & post patris obitum cum Valente patruo annos 3. Mortuo Valente cœperunt soli imperare anno Christi 377. Gratianus in Oriente annos 6, Valentinianus in Occidente annos 15. Gratianus consortem imperii fecit Theodosium, ejusque ingenium studiis deditum valdè commendatur & singularis amor erga Ausonium poëtam, quem etiam consulem fecit. Symbolum Nicenum se amplecti professus est, & post obitum Valentis Orthodoxos Episcopos exulantes revocavit, hæreticos verò ejecit. Dictus fuit Germanicus, item Alemannicus, quia vivo adhuc Valente ad Argentoratum (quam urbem & Argentariam scriptores vocant) plures quàm 30000 Alemannorum fudit. Quum Theodosio collegæ omnia tradidisset, & quidem bellum contra Gothos in Thracia, quod etiam Theodosius repressit, ipse venationi & ludis deditus, & exteros milites domesticis præferens, insidiosè à Maximo Galliæ præside interfectus est. Venio nunc ad Valentinianum, qui adolescens Mediolani cum matre Justina vivebat, quæ Arianæ sectæ vivo marito clanculum erat addicta, sed mortuo palàm professa filium Valentinianum in eundem errorem pertraxit; neque hoc solùm, verùm etiam Ambrosium Mediolanensis Ecclesiæ Episcopum missis satellitibus ex templo ejici jussit, quibus adventantibus Ambrosius respondisse scribitur, se non discessurum à grege suo, sed quicquid essent fa-

cturi se paratum esse ad omnes eventus. Literis monitus à Maximo ut ecclesiis orthodoxis molestus non esset, indeque dolos Maximi suspicatus confugit in Orientem ad Theodosium, à quo monitus fuit, ut relictâ Arianorum sectâ veram sententiam amplecteretur. Progressus est Theodosius Thessalonicam cum Valentiniano juniore, ubi auditis & cum ambiguo responso dimissis Maximi legatis Mediolanum est profectus, superatisque Alpibus quum circa Aquileiam Maximum ibi securè degentem cepisset, occidi jussit eò quod Gratianum interfecerat & imperium ad se transferre conatus fuerat. Post Maximi interitum quum Theodosius in Italia & vicinis provinciis omnia ad tranquillitatem redegisset, Valentinianus in Galliam discessit, cujus præses fuerat Maximus, eamque gubernavit quinquennium, ubi scribam habuit Eugenium & ducem Arbogastum virum Gotticum. Horum fraude per cubicularios suos Valentinianus laqueo strangulatus est. Affectabat enim imperium Eugenius, quam ad rem socium sibi jungebat Arbogastum, sed ambos spes fefellit, siquidem Theodosio justas patricidii pœnas dederunt, ut dicetur.

Synchronismus.

1. Claruit hoc tempore D. Ambrosius Ecclesiæ Mediolanensis Episcopus, in Gallia patre illustri natus. Adolescens Romam profectus est & eloquentiæ operam dedit, ut postea forum adierit, & consularem dignitatem adeptus Liguriam gubernaverit. Quum autem Mediolani inter Orthodoxos & Arianos orta esset contentio de eligendo Episcopo, Ambrosius eò missus gravi oratione de concordia habitâ omnium suffragatione eligitur Episcopus, & post multam recusationem accepto baptismo Episcopi munus suscepit, & à fascibus ad pedum transiit, anno Christi 372. Valdè commendatur ejus eloquentia & in pura religione constantia. Quum enim jussu Valentiniani II, à matre Justina Arianorum fautrice instigari, ut è templo egrederetur significatum esset, præsenti animo restitit, Non, inquiens, tradam lupis stabulum ovium mearum. Sed ob id Mediolano cedere coactus Aquileiam profugit anno Christi 313. sed postea ad Episcopatum suum rediit.

2. Siricius Episcopus Romanus sedit ab anno Christi 382 annos 15. Primus ministris Ecclesiæ in Occidente con-

conjugio interdixit, pro fundamento adducens illud Pauli Roman. 8. verſ. 8. Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.

3. Vixit circa hæc tempora Apollinarius Epiſcopus Laodicææ in Syria, qui in humana natura Chriſti negavit animam rationalem, quaſi λόγος fuerit aſſumpti corporis anima.

4. Macedonius Epiſcopus Conſtantinopolitanus negavit deitatem Spiritus S. ex quo πνευματομάχος dictus eſt. Sunt qui hujus vitam referunt ad annum Chriſti 361. Hinc ſecta Macedonianorum.

THEODOSIUS.

Genere fuit Hiſpanus, natus patre Honorio & matre Termantia, ex nobili familia. A Gratiano in imperii conſortium fuit aſcitus anno Chriſti 379, à quo anno numerantur anni imperii Theodoſii, qui fuerunt 16. Princeps fuit laudatiſſimus & de republica & Eccleſia optimè meritus. Nam oppreſſis hoſtibus Chriſti & imperii pacem reſtituit. Maximum, qui in Gallia imperium ſibi vendicabat, propè Aquileiam vicit, ut ſuprà diximus. Eugenium & Arbogaſtum, Valentiniani junioris interfectores, licèt copiis multò inferior miraculoſo ventorum præliantium auxilio vicit, ubi Eugenius ad Theodoſium adductus & ad pedes ejus proſtratus, quum veniam petiiſſet, à militibus aſtantibus capite truncatus eſt, Arbogaſtus in fuga ne retractus in conſpectu victoris pœnas daret, ipſe ſibi mortem conſcivit. Tantæ fuit autoritatis Theodoſius, ut Athanarico Gothorum rege, cum quo fœdus pepigerat, Conſtantinopoli defuncto, Gothi ultrò ſeſe imperio Romano ſubjecerint. Hic Athanaricus ſeu Athalaricus eſt ille qui in ordine ſucceſſit Fridigerno. De pace in Eccleſia valdè fuit ſolicitus, quam ob cauſſam convocatis aliquot Epiſcopis Synodum Conſtantinopoli celebravit, in qua contra Arianos & Macedonium Nicæno ſymbolo adjecta eſt confeſſio de Spiritu S. quòd is eſſet verè ὁμοούσιον. Et voluit Theodoſius proferri ſcripta veterum Patrum ante hæc diſſidia edita. Acerbius ejus factum legitur quod patravit in Theſſalonicenſes, in quos propter ſeditionem exortam promiſcuè ſæviit cum ſonte inſontem abripiendo & 7000 trucidatis. Ob hujus

hujus facti enormitatem ab Ambrosio communione Ecclesiæ exclusus non nisi per publicam pœnitentiam receptus est. Post devictos Eugenium & Arbogastum, filios duos imperii consortes fecit, Arcadium Orienti, Honorium Occidenti præficiens; ipse verò reliquum vitæ tempus Mediolani exegit, ubi mortuus est, & corpus Constantinopolin relatum, ac sepultum anno Christi 395. Ante mortem condito testamento Honorio Stiliconem, Arcadio Ruffinum tutorem adjunxerat.

Synchronismus.

1. Theodosio Imp. sacro baptismate Thessalonicæ initiato per Acholium ejus loci Episcopum Orthodoxum, Ariani ex urbe Constantinopoli ejiciuntur, & recipiuntur Athanasiani anno Christi 380.

2. Synodus OEcumenica II quæ fuit Constantinopolitana prima indicitur à Theodosio Imp. & frequentatur ab Episcopis 150 anno Christi 381. Principes Episcoporum fuerunt Cyrillus Hierosolymitanus, Meletius Antiochenus, & Timotheus Alexandrinus. Damnatus est Macedonius πνευματομάχος. Execrationes quibus hostes Spiritus S. fuerunt excommunicati, dictæ sunt ἀναθεματισμοὶ. Confirmata & declarata sunt Synodi Nicenæ decreta, & lata est sententia ut Constantinopolitanus Episcopus haberet primatus honorem post Episcopum Romanum, quòd Constantinopolis esset nova Roma.

3. D. Augustinus celeberrimus ille Ecclesiæ Doctor quum Mediolani Rhetoricam doceret, audivit ibidem docentem Ambrosium, & quum antea Manichæus esset, animo ad sacræ scripturæ lectionem rectiùs applicato Manichæorum doctrinam fastidire & salutarem Euangelii lucem amplecti cœpit, & postea ab Ambrosio Mediolani baptizatus est anno ætatis 33, qui fuit annus Christi 388. Triennio pòst factus est presbyter in Ecclesia Hipponensi in Africa, cui præfuit annos 40.

4. D. Hieronymus circa hæc tempora floruit, qui natus scribitur anno Christi 330, oriundus Stridone oppido Dalmatiæ in finibus Pannoniæ. Primò Philosophiæ operam dedit, postea sacris literis sese addixit, in quibus quantum profecerit testantur ejus scripta. Mortuus est in Judæa in oppido Bethlehem patria Jesu Christi Servatoris nostri, anno ætatis 91, qui est annus Christi 420.

5. Au-

5. Ausonius poëta Gratiani Imp. præceptor gratitudinis ergò ad consularem dignitatem evectus est.

6. Claudianus poëta imperante Theodosio floruit hoc tempore, & res gestas suorum temporum diligenter scripsit, inprimis bellum Gildonicum, quod Gildo homo seditiosus movit in Africa sub Honorio Imp. Fuit autem Gildo tutor Honorii, cujus ætatem quum sperneret, imperium affectavit.

7. Symmachus quòd ethnica sacra Romæ restitui petivisset ab Ambrosio & Prudentio poëta refutatur.

ARCADIUS in Oriente.
HONORIUS in Occidente.

Filii Theodosii, quos pater vivus consortes imperii fecerat; sed propter ætatem adjunxit tutores præcipuos duces Ruffinum Arcadio, & Stiliconem Honorio, Africæ verò Gildonem præfecit. Sed omnes hi perfidi facti sunt. Cœperunt hi fratres post obitum patris imperare anno Christi 395, & Arcadius regnavit annos 13, Honorius annos 29. Arcadius igitur suum imperium perduxit usque ad annum Christi 408; Honorius verò in Occidente usque ad annum Christi 423.

Arcadius in suo imperio mox sensit perfidiam tutoris sui Ruffini hominis in Gallica gente nati. Hic enim spe imperii potiundi seductus quum antea sub Theodosio in bello contra Eugenium Gothica auxilia duxisset, muneribus Gothos sibi conciliavit, regique Alarico ut arma contra Arcadium caperet persuasit. Sic enim fore sperabat ut ab Arcadio in societatem imperii assumeretur & Imperator nominaretur. Sed spe falsus est. Quum enim hoc peteret, à militibus ante tribunal trucidatus est. Mox pari fraude Arcadium oppugnavit Ruffini imitator Cajanus, dux Gothicus & Arianus, qui Gothorum auxilio fretus bellum civile contra Arcadium movit. Cujus regiam nullis præsidiis humanis munitam quum noctu incendere conatus esset, deprehensum est angelicis præsidiis eam fuisse conservatam. In muris enim Angelorum exercitus fuit conspectus, qui milites Cajani depulit. Ipse verò Cajanus in prælio navali inter Hellespontum & Chersonesum è fuga retractus est, ejusque caput Constantinopoli palo suffixum omnium ludibrio fuit

expo-

expositum. Eodem tempore Gildo Africæ præfectus Africam suo dominio subjecit, & ob hanc perfidiam à fratre Mascezel(seu Mascelzer)reprehensus ejus filios interfecit. Quam injuriam Mascezel vindicaturus ex Italia copias contra Gildonem eduxit, & exercitu 5000 virorum fudit 70000 hostium; ipse verò Gildo in fuga sese jugulavit. Postea quum Mascezel Africam ad se trahere conatus esset, à militibus fuit obtruncatus. Ita divina protectione ab hostibus suis liberatus est Arcadius, in cujus imperio ferè nihil fuit desideratum, nisi quòd uxori Eudoxiæ & eunuchis nimiam concessit potentiam. Illa enim propter factum à Joh. Chrysostomo graviùs taxatum effecit, ut Chrysostomus ex Ecclesia Constantinopolitana, cujus Episcopus erat, ejectus in exilium pelleretur. Ex eunuchis verò fuit quidam Eutropius, qui magistratus & sententias vendere solebat & provincias dare quibus vellet; quumque consul factus imperium ad se transferre studeret, in ipso consulatu Arcadius ei caput præcidi jussit. Suscepit Arcadius ex Eudoxia uxore filium Theodosium, quem in cunis vagientem appellavit Augustum.

HONORIUS Stiliconem in magno habuit precio propter res contra Gottos feliciter gestas, adeò ut filias ejus duas successivè uxores duceret. Quum verò tandem Stilico cogitare cœpisset quâ arte Imperium Occidentale ad filium suum Eucherium transferret, & in hunc finem Vandalos, Suevos & Alemannos Romani imperii hostes magnis pollicitationibus in Galliam attraxisset, jussu Honorii occisus est, ejusque filius obtruncatus. Vituperatur Honorii socordia, & quod nihil paternæ aut avitæ virtutis retulerit. Aiunt enim quum ab Alarico Gotto Roma esset capta, ipsum maximè de gallina sua quam Romæ nomine appellavit solicitum fuisse. Id temporis Gottorum potentia in Italia indies fermè crevit, &, quod non parum admirationis meretur, non levia initia dilacerationis imperii facta sunt. Nam versus Galliam à Francis, versus Pannoniam à Gottis non leviter concussum est imperium.

Synchronismus.

1. Johannes Chrysostomus Antiochenus post eloquentiæ studium totum se sacrarum lectionum meditationibus dedit, tantâ felicitate ut primò lector Antiochenæ Ecclesiæ, deinde presbyter, tum Episcopus Constantinopo-

nopolitanæ Ecclesiæ electus sit, ac plurimas Ecclesias per Thraciam, Asiam & Pontum sub cura & inspectione sua habuerit. A facundia dictus est χρυσόστομος, quòd aureum os haberet. Nimia usus est παῤῥησία, ex qua ab iis quorum vitia tangere solebat malam iniit gratiam, maximè verò ab Eudoxia Arcadii conjuge, quam ob ejectum Severianum graviùs reprehenderat. Quare hæc ultionem meditans à marito impetravit, ut coactâ Synodo ab Episcopis adversariis Chrysostomus damnaretur tanquam reus criminis læsæ majestatis. Abiit igitur in exilium in faucibus Ponti, unde tamen propter populi tumultum mox revocatus est, sed quum non desisteret insolentiam Eudoxiæ carpere, & ejus παῤῥησία diceretur contumelia, Arcadii mandato iterum abducitur in exilium, ubi annum agens 52 febri correptus in Ponto mortuus est anno Christi 407. Fuit ei dissensio cum Epiphanio de libris Origenis.

2. Anastasius Romæ sedit Episcopus ab anno Christi 398 annos 4, ut refert Marcellinus. Hic Episcopus voluit stando, non sedendo lectionem Euangelii audiri. Huic Anastasio successit Innocentius Albanus, qui sedit ab anno Christi 402 annos 15, & excommunicavit Arcadium Imp. quòd Eudoxiæ caussâ Joh. Chrysostomum sede suâ movisset.

3. Alaricus Gottorum rex primam irruptionem facit in Italiam allectus fraude Ruffini, qui perfidum agebat tutorem Arcadii. Ex hoc tempore cœpit meticulosa esse Italia, quæ hactenus exteris gentibus formidabilis extitit. Hic Alaricus apud Theodosium ductor exercitus fuerat contra Eugenium, sed jam Italiam ingressus ab Honorio Imp. sedem expetiit, & obtinuit ut in Gallia opponeretur Francis, qui ex illa parte imperium infestabant. Dum igitur in Gallias Alaricus pergit, Honorius contra fidem mittit Stiliconem, qui per ducem quendam suum ex insidiis in ipso die Paschatos Gottos nihil tale suspicantes adoritur. Hi perturbati & propter festi religionem cedentes quum extremè urgerentur, demum arma corripuerunt, jamque in furorem acti à cœpto itinere desistentes Romam contenderunt cuncta obvia ferro & flammâ vastantes. Urbs biennio obsessa capta est anno 13 Honorii, qui est annus Christi 410. In hac Romæ direptione in hostium potestatem venit Placidia Galla soror

Gottorum prima irruptio in Italiam.

Gotti capiunt Romam.

soror Honorii, filio Theodosii, & desponsata est Alarici cognato Adaulpho. Alaricus enim jam erat senex. Per hoc conjugium multa effecit Placidia quæ salutaria erant Italiæ. Postea Constantius quidam Patricius Romanus, qui Galliam gubernabat, missus est contra Adaulphum, qui quum in Hispania interficeretur à militibus, repetiit Constantius Placidiam, quam Honorius ei dedit conjugem. Ex hoc conjugio natus est Valentinianus III.

4. Radagisus Scytha tyrannus & religionis Christianæ hostis 200000 Gothorum duxit in Italiam & Romanis ingentem terrorem injecit. Sed quum Apenninum transiisset ad Fesularum montes, multitudo fame dissipata à Stilicone Consule oppressa & deleta est. Radagisus fugiens captus & strangulatus est. Captivorum greges singulis aureis venditi sunt. Accidit hæc Gothorum clades anno Christi 405, nempe quinquennio ante Romam ab Alarico captam.

Franci duce Waramundo ingrediuntur Galliam.

5. Franci occupant urbem Trevirorum, accersiti à Senatore cujus uxorem rapuerat Lucius præses Romanus. Deinde ex urbe Trevirorum ulteriùs progressi sunt in Belgicum & Celticum. Hoc modo initium regni Francorum in Gallia ab occupatione Trevirorum sumitur. In hoc autem regno primus rex nominatur Pharamundus seu Waramundus, qui cœpit in Gallia regnare anno Christi 420, & regnavit annos 11. Observandum hoc est contra eos qui disputant Francicam gentem ex Gallia venisse in Germaniam, quod falsum est, quum historia manifestè doceat ex Germania in Galliam venisse. Sic apparet quomodo imperium in Occidente sub Honorio Imp. ruere cœperit. Porrò Franciæ regum tres stirpes numerantur, quarum prima est à Pharamundo usque ad Pipinum; secunda à Pipino usque ad Hugonem Capetum; tertia ab Hugone Capeto usque ad nostram ætatem.

Regum Franciæ tres stirpes.

THEODOSIUS II. & VALENTINIANUS III.

Arcadio successit filius Theodosius II in Oriente, cum quo Honorius in Occidente imperavit annos 15, quibus exactis & mortuo Honorio Theodosius consortem imperii fecit Valentinianum III. Theodosius igitur

tur cœpit imperare anno Christi 408, Valentinianus in Occidente anno Christi 425; ille imperavit annos 42, hic verò 30. Quare post obitum Theodosii superstes fuit Valentinianus annis 5.

Theodosius à pietate & eruditione valdè commendatur. Puer quum esset, traditus fuit Isdigerdi Persarum regi, ut hujus prudentiâ & curâ imperium contra hostes servaretur. Additus ipsi fuit tutor Anthenius, vir magnæ prudentiæ & fidelitatis, qui in pietate & morum informatione optimè præfuit Theodosio. Sororem habuit Pulcheriam, fœminam miræ eruditionis & eloquentiæ; cujus consilia Theodosio semper fuere saluberrima. Uxorem suasu sororis Pulcheriæ duxit Athenaida, filiam Leontii Atheniensis Philosophi, fœminam omni doctrinarum genere excultam, cui sacro baptismo tinctæ nomen mutavit ut Eudoxiam appellaret, ex qua suscepit filiam Eudoxiam, quæ deinde uxor Valentiniani III facta est. Pietati, precibus & jejuniis admodum deditus fuit Theodosius, & scribitur manè cum sororibus, quæ sacræ religioni erant addictæ, precationes recitasse & Psalmos cecinisse. Propriâ manu exaravit Novi Testam. libros, quorum aliquam partem quotidie legit. Bibliothecam veteribus libris Ecclesiasticis & Philosophicis locupletissimam instruxit Byzantii. Miræ facilitatis fuit in condonandis offensis & literis subscribendis, quam ob caussam lepidè à Pulcheria sorore fuit reprehensus. Hæc enim finxerat literas, in quibus petebatur Eudoxia uxor Imperatoris, quibus non perlectis Theodosius addidit subscriptionem, sed ostensâ temeritate cœpit Imperator esse cautior. Persuasus ab uxore Eudoxia, quæ Eutychis errorem amplectebatur, sororem Pulcheriam ex aula removit, sed mox revocavit, Eudoxiam verò ob pomum stupendæ magnitudinis cuidam Paulino dono datum, ex quo ζηλοτυπία Theodosio oborta fuit, à sese dimisit. Ad res bellicas mollior fuisse scribitur, & per duces omnia expedivisse. Duces autem præcipuos habuit Gratianum, Ardaburium, Asporem Ardaburii filium, & Ariovindam, quos Gothos fuisse ex historiis Melanchthon affirmat. Asparem & Gratianum in Africam misit contra Gensericum, sed infelici eventu. Persarum victor quum esset Theodosius, misit tamen legatos ad petendam pacem. De Honorii obitu certior factus, & quòd Johannes

Scriba Ravennæ tyrannidem arripuisset, misit in Italiam Ardaburium, quem ab hoste captum liberavit filius Aspar & ipsum hostem trucidat. Quo cognito Theodosius imperii consortem fecit Valentinianum III.

Hic Valentinianus fuit consobrinus Theodosii, natus ex Constantio & Placidia sorore Theodosii, ut dictum est. Insidiatus antea fuerat Honorio, & ideo ex Occidente pulsus receptus fuerat à Theodosio, sed post Honorii mortem & interfectum Scribam tyrannum in matrimonium ductâ Eudoxiâ filiâ Theodosii in occidentale imperium restitutus est. Fuit princeps turpibus libidinibus deditus, quarum etiam pœnas dedit. Quum enim Maximo cuidam Romæ primario viro in ludo annulum detraxisset, mittit eum ad Maximi conjugem, simulans maritum hoc agere ut ad Imperatoris uxorem veniret. Maximi uxor ubi in aulam venit à Valentiniano vi rapitur ad stuprum. De hac injuria quum questa esset apud maritum, cœpit hic cogitare de vindicta, & per duos milites interfecit Valentinianum, & postea hujus uxorem Eudoxiam vi comprimit & sibi matrimonio jungit, & imperium ad se rapit. Deinde de Valentiniani cæde gloriatus tantam movit acerbitatem in Eudoxia, ut ultionem meditata ex Africa accerseret Gensericum Vandalorum ducem, quo adventante Maximus fugæ sese dans à Romano milite interficitur. Gensericus Româ captâ precibus motus abstinuit ab incendio, sed diripit eam per 14 dies, Eudoxiam avexit & sibi uxorem duxit, & hujus filiam Eudoxiam filio dedit. Sic ultorem ulciscitur ultor. Porrò fuit Valentinianus III ultimus Imperator Occidentis usque ad Carolum M. Interea verò temporis horrendæ seditiones & cædes fuerunt per Italiam & totum Occidentem sævientibus Gothis, Hunnis, Vandalis, &c.

Synchronismus.

1. Synodus Ephesina, quæ est OEcumenica III, autoritate Theodosii junioris coacta est anno Christi 431. Convenerunt Episcopi ampliùs 200, & damnata est hæresis Nestorii Episcopi Constantinopolitani, qui inscitiâ & superbiâ impulsus negavit Mariam dicendam esse θεοτόκον, sed χριστοτόκον dici posse concessit, & eò devenit, ut impiè diceret: Noli gloriari Judæe; non enim Deum sed hominem crucifixisti. Quibus verbis apertè negavit hypo-

Nestorius.

hypostaticam unionem duarum naturarum in Christo, divinæ & humanæ. Hujus Synodi præses fuit Cyrillus Episcopus Alexandrinus. Damnatus est Nestorius & in exilium pulsus, ubi putrescentibus cunctis suis membris maximè verò linguâ fœdissimè obiit anno Christi 434. Celebrata est hæc Synodus secundo anno post obitum Augustini Episcopi Hipponensis in Africa.

2. Synodus Ephesina II indicta est anno Christi 449, impia & infelix, in qua confirmata est hæresis Eutychis, Abbatis sive Archimandritæ Constantinopolitani, qui introduxit confusionem naturarum in Christo & sustulit proprietatum distinctiones, asserens communicationem idiomatum in naturis, unde absurdæ propositiones ortæ sunt; divina natura passa est; humana natura est ipsa ὁ λόγυ natura. Porrò hæc Synodus dicta est ληϛρικὴ prædatoria, seu latronum concursus, quia in ea omnia acta sunt vi & armatâ manu. Etenim Dioscorus Episcop. Alexandrinus Eutychianus Flavianum Episcopum Constantinopolitanum rectè sentientem calcibus è consessu expulit ut triduo post moreretur, quem mortuum etiam pedibus Dioscorus conculcare non est veritus. Fuit hæresis Eutychiana prorsus contraria Nestorianæ & ex dissentiendi studio nata. Eodem enim tempore quo Nestorius fuit Constantinopoli Episcopus, ibidem Monachus fuit Eutyches, qui auditâ Nestorii damnatione ad contrariam hyperbolen delapsus est. Cæterùm hujus Synodi autor fuit Chrysaphius Eunuchus Theodosii, fautor Eutychianorum in gratiam Eudoxiæ conjugis Imperatoris, quem postea interfici jussit Pulcheria. *Eutyches.*

3. Gravis persequutio in Africa contra Orthodoxos instituitur à Genserico Vandalorum rege, Arianorum fautore, anno Christi 437.

4. Romæ Episcopi fuerunt, Zosimus, qui censuit Apostolicam sedem contra verbum Dei nihil posse statuere; Bonifacius Romanus, qui edixit, ne quis ad presbyteri munus admittatur ante annum 30 ætatis; Cœlestinus I, Sixtus III, & Leo I, dictus Magnus, qui ab anno Christi 440 sedit annos 21, vir doctus, cujus utilissima scripta hodie leguntur, variarum ceremoniarum autor, sed sacerdotibus conjugium concessit. Scripsit hic Leo ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum epistolam doctissimam, in qua Eutychis dogma solidè refuta-

vit,& doctrinam de communicatione idiomatum erudite illustravit.

5. Moses Cretensis insignis impostor, fingens se è cœlo demissum ut Judæos qui in Creta tum vivebant per mare rubrum in patriam reduceret,plurimos Judæos mare ingressos miserè decepit, ipse magicis artibus se subducens,unde factum ut multi Cretensium Judæorum Christum amplecterentur.

Vandali. 6. VANDALI quum jam diu de Hispaniæ possessione dimicassent, cum Gothis migrare coguntur ex Hispania in Africam duce Genserico, qui incitatus à Bonifacio Africæ comite (ad quem multæ extant Augustini epistolæ) Duce Valentiniani, ut arma pro se adversus Romanos caperet, adduxit in Africam ad 50000 (aliis 80000) Vandalorum, & concedente Bonifacio multas urbes cepit. Regnare cœpit in Africa anno Christi 426 & regnavit annos 51, sectâ Arianus & Orthodoxorum crudelis persequutor. Occasio Vandalicæ irruptionis in Africam fuit dissidium inter Bonifacium Africæ ducem & Aëtium qui rexit Galliam Narbonensem,& quum Bonifacius metueret Valentinianum Imp., in Africam attraxit Gensericum, qui propter Gothorum potentiam facilè paruit. Vandali in Africam ingressi vicerunt Bonifacium & alios Romanos exercitus, & Carthaginem occuparunt. Gensericus odia suorum metuens pacem fecit cum Valentiniano, parte Africæ retentâ, quæ sub regno Vandalorum mansit annos 96, usque ad tempora Justiniani Imp.

Gensericus.

Hunni. 7. Hunni,quorum dux fuit Attila,à Genserico contra Gothos attrahuntur in Hispaniam. Progressus igitur Attila ex Pannonia cum fratre Bleda ingentes copias in Romani Imperii fines traducit,& quum pervenit ad Tolosam usque, Aëtius Galliæ Narbonensis præses optimo consilio sibi adjunxit Francos,quorum rex tunc erat Merovæus, tertius Francorum rex, filius Clodii & nepos Pharamundi, & Gothos, quorum rex fuit Theodoricus, qui successerat Walliæ, de quo sub Honorio Imp. Commissum est ingens prælium, de quo dicetur sub Martiano Imp & victus est Attila.

Attila.

Merovæus tertius Francorum Dux.

1. Gothi in Gallia turbant pacem, contra quos missus est Littorius Romanorum dux,qui aruspicum responsis deceptus infeliciter cum Gothis manus conseruit, & amissa

amissâ exercitus sui parte in hostium potestatem venit anno 439, quo Carthago à Genserico capta est. Voluit Littorius Aëtii gloriam obscurare, sed malè successit.

MARTIANUS.

Fuit ductor exercitus Theodosii junioris in Africa contra Gensericum, cujus captivus quum esset, & Gensericus videret aquilam in æstu solis ejus caput tegentem ut tutiùs dormiret, singulare quid ominatus, eâ lege ipsum dimisit, ut si Imperator factus esset, nihil contra Vandalos attentaret. Mortuo igitur Theodosio Pulcheria Martianum propter pietatem & justitiam invitat simul ad imperium & conjugium, sed eâ conditione ut salvam retineret virginitatem, quòd jam grandiuscula mori vellet virgo. Cœpit Martianus imperare anno Christi 450, & imperavit annos 6 & menses 6. Vixit igitur post Valentinianum annum 1. Princeps admodum laudatus & Orthodoxorum fautor studiosissimus. Cum Vandalis fedus pacemque fecit, ut & cum Parthis, sive Persis, nec unquam nisi provocatus ad arma venit. Orientis igitur imperium imminutum reparavit. In pace quum viveret, Chalcedonensem Synodum convocavit, cui ipse interfuit.

Synchronismus.

1. Synodus Chalcedonensis, quæ fuit OEcumenica IV, à Martiano Imp. indicta est anno 451, ubi convenerunt Episcopi 630, & dogma Eutychis nec non acta Dioscori in Synodo λῃστρικῇ prolata sunt & damnata. Ipse Imperator ad præcavendos tumultus interfuit, ut unicuique sua esset παῤῥησία. Non potuit tamen Martianus planè exscindere Eutychianam hæresin, quæ multis seculis hæsit in Ecclesia usque ad tempora Mahometici furoris. *Synodus Chalcedonensis.*

2. Pugna Catalaunica, hoc est, in campis Catalaunicis ad Tolosam commissa inter Attilam Hunnorum & Aëtium Romanorum ducem, incidit in annum 2 imperii Martiani, in qua utrinque ceciderunt 180000 hominum. Victoria licet esset penes Romanos, & Attila sibi manus adferre cogitaret, tamen alius sequutus est eventus. Quum enim Aëtius certa de caussa non insequeretur Attilam, forsân cogitans fugienti hosti argenteum

pontem esse faciendum, regressus est Attila in Pannoniam, viribusque ibi recollectis majore furore incensus invasit Italiam, Aquileiam delevit, Ticinum & Mediolanum excidit & incendit, quumque jam ad urbem Romam esset accessurus, flexus precibus Leonis Episcopi à Valentiniano missi à Romæ oppugnatione abstinuit, & firmatâ pace totâ Italiâ excessit. Rogatus cur erga Episcopum tam humanus fuisset, respondisse fertur, se reveritum fuisse senem quendam à tergo Episcopi adstantem & stricto gladio minitantem nisi acquiesceret. Hic est ille Attila qui dixit, se esse flagellum Dei ad corrigenda Christianorum vitia.

3. Attila & Aëtius fortissimi duces eodem anno moriuntur, videlicet anno Christi 454. Attila in nuptiis, quas habuit cum juvencula filia regis Bactrianorum, quum vino se largiùs ingurgitasset, per somnum sanguine è naribus erumpente suffocatus est, & sic Italiam vexare desiit. Aëtius verò fraude Maximi istius, cujus uxorem stupraverat Valentianinus III, periit. Quum enim Maximus ille ulcisci vellet Valentiniani injuriam, & videret se vivo Aëtio ad id quod vellet pervenire non posse, Aëtium apud Imperatorem detulit quòd novis rebus studeret, & Imperatoris gloriam suis factis obscuraret. Evocatur Aëtius ex Gallia Romam, ubi ab ipso Valentiniano occiditur. Dissuaserat quidam ex familiaribus Imperatoris hoc factum, quod nece Aëtii Imperator sibi alterâ manu dextram esset præcisurus. Et sanè ita accidit, siquidem cum Aëtio omnis gloria imperii occidentalis planè emarcuit & concidit.

4. Roma gentium domina venit in potestatem Vandalorum per Gensericum ab Eudoxia Valentiniani III vidua accersitum, anno Christi 455.

Venetiæ condita. 5. Urbs Venetiarum eo tempore condita scribitur, quando Attila Aquileiam obsedit. Præ summo enim metu potentissimi quique Italicarum urbium cives relictâ patriâ in aquis se tutos fore sperantes locum selegerunt in vicino mari qui adhuc vocatur RIVUS altus, & cumulatâ arenâ domos exstruxerunt, & urbi nomen VENETIÆ à vicina regione indiderunt, cujus majestas in tantùm deinde excrevit, ut urbium in toto genere humano regina unica sit, & in externi hostis potestatem nunquam venerit, multarum insularum victrix. Sic Attila

tila præbuit occasionem condendæ nobilissimæ urbis Venetiarum.

6. Attila reliquit tres filios, Ellac, Chaba, & Dincionem; sed nullam illis constituit regni formam, nec provincias distribuit, ex quo liquet ipsum tyrannum fuisse & in hominum perniciem natum. Quum autem filii inter se diffiderent de successione, Gothi in Pannonia regnum recuperarunt. Nam Ardericus Gepidarum rex bellum movit adversus Hunnos, & trucidatis 30000 Hunnorum & ipso Ellac interfecto potitus est regno Pannoniæ. Chaba cum parte Hunnorum in veterem patriam discessit, quæ fuit in Asia. Dincionem vicit Wallemir rex Gothicus. Sic Gothi in Pannonia tenuerunt regnum per annos 100, donec Hunni & Avares vicini Hunnorum tempore Justiniani Imp. effusi sunt in ea loca, quæ nunc Bulgari & Walachi tenent. Fuerunt etiam Hunnorum reliquiæ, qui ad locum illum recesserunt, qui ab illis nomen accepit *Hunnici recessus*, Germ. der Hunnsruck, alio nomine tractus Obrincanus, ab Obrinca vel Mosella, die Mosel.

7. Anglorum sive Saxonum gens invitata à rege Britannico ad defendendam contra hostes Britanniam, quum post partam victoriam fraudaretur stipendiis, in Britannia à se defensa perpetuum fixerunt domicilium, quâ occasione Britannia in duo regna, Anglorum & Scotorum divisa est. Quum enim Britannia subinde à Pictis & Scotis vexaretur, neque Romani suppetias ferre possent, Vortigerus rex à Romanis defecit & Saxones in Britanniam vocavit, quorum dux fuit Hengistus. Accidit hoc circa annum Christi 449. Vide Zwing. in theatro.

LEO.

Martiano in Oriente successit Leo natus in Thracia, & suffragatione Senatus & exercitus ad imperium evectus. Cœpit imperare anno Christi 457, & imperavit annos 17. Princeps bonus, Ecclesiæ & reipubl. utilis, justus, φιλόστοργος. Primus coronatus est à Patriarcha Constantinopolitano Anatolio, non quòd per illam coronationem acciperet imperium, verùm ut esset testimonium sinceritatis fidei & Orthodoxæ religionis. Hinc ante corona-

ronationem petebatur confeſſio fidei ad evitandam Arianam hæreſin. Munificus fuit erga literatos, adeò ut dixerit, optare ſeſe militum ſtipendia in philoſophos conferri poſſe. Duos habuit duces Gothos; Aſparem qui ſub Theodoſio juniore inter Patricios aſcitus fuerat, & Ardaburium Aſparis filium. Hi quum conſpiraſſent adverſus Leonem, & dixiſſent: φάγωμεν τὸν λέοντα πρὶν αὐτὸν ἡμᾶς ἀριστήσῃ, juſſu Leonis interfecti ſunt. Uxorem habuit Berinam, ſororem Baſiliſci, de quo in hiſtoria Zenonis, ex qua ſuſcepit filiam Ariadnen, quæ deinde collocata fuit Zenoni.

Synchroniſmus.

Occidentalis imperii dilaceratio.

1. Poſt Valentiniani III obitum miris modis ruere cœpit in Occidente imperium propter varios motus populorum & Imperatorum qui ſic dici voluerunt. Nam Franci magnam Germaniæ & Galliæ partem tenebant, Oſtgothi Pannoniam, Weſtgothi Hiſpaniam, Vandali Africam. Hæc certè magna fuit imperii dilaceratio in Occidente. Italiam invaſerat Maximus Valentiniani interfector, ſed fugiens Genſericum captus, diſcerptus & in Tiberim abjectus eſt menſe ſecundo imperii ſui. Poſt Maximum Senatus Imperatorem creavit Avitum, ſed anno nondum finito capitur à Richimero Gotho apud Placentiam, & imperium deponere cogitur. Hæc ante Leonis imperium acciderunt in Italia.


2. Leone imperante quum jam in Italia omnia eſſent turbata & Avitus imperio dejiceretur, Ravennæ Imperator factus eſt Majoranus Princeps laudatus, ſed quum Vandalis in Africa bellum inferret, anno 3 imperii mortuus eſt, nec Genſerico nocuit quicquam. Succeſſit Severus Ravennæ, & imperavit annos 3, dolo Richimeri, qui Romæ principatum tenebat, extinctus. Martianus Imp. generum habuit Anthemium, qui in Occidente factus eſt Imperator, & ut Richimeri gratiam ſibi conciliaret, imperiumque ſuum ſtabiliret, filiam ei in matrimonium collocavit & imperii collegam fecit. Sed non diuturna fuit hæc gratia. Quum enim Richimer Arianis in urbe Roma peteret eccleſiam, id verò Anthemius prohiberet, in ipſa urbe dimicatum eſt, & gener victor ſocerum interfecit, qui hujus parricidii poſt dies 39 juſtas pœnas dedit iliacâ paſſione & ſæviſſimis corporis cruciatibus. Succeſſit his Olybrius ex Oriente à Leone

miſſus,

missus, sed septimo mense imperii moritur. Succedit Glycerius, cui, post annum, imperium eripuit Julius Nepos, quod factum est anno primo Zenonis. Miserabiles hæ vicissitudines in Italia contigerunt Leone in Oriente imperante, sed nondum fuit finis, ut dicetur.

ZENO.

Fuit gener Leonis. Hujus enim filiam Ariadnen uxorem habuit. Natus fuit in Cilicia obscuris parentibus, vultu & moribus deformis, quam ob caussam Leo ipsum præteriens, Imperatorem fecerat Leonem secundum ex filia Ariadne nepotem, Zenonis filium; sed hic moriturus patrem Zenonem fecit Imperatorem. Nota tabulam:



Cœpit Zeno imperare anno Christi 474, & imperavit annos 17. Moribus fuit pessimis & vanâ ostentatione inflatus. Habuit adulatorem Sebastianum, à quo in omnem partem flexus fuit & tractus. Quum plerumque Chalcedone degeret, Berina socrus absentiæ ejus occasione abusa Basiliscum fratrem suum pronunciat Imperatorem, quo cognito Zeno, ut erat timidus & ignavus, cum uxore sua Ariadne in Isauriam fugit. Interim Basiliscus fruitur imperio, & Marcum filium Cæsarem appellat, aliaque plura satis petulanter & superbè facit, ut Senatus Zenonem ex Cilicia revocare cogeretur, Orthodoxorum verò multitudo congressa Basiliscum exsecraretur. Miserat Basiliscus duces contra Zenonem, sed hi Zenoni sese adjunxere contra Basiliscum. Reversus igitur Zeno à Senatu Populoque est receptus; Basiliscus verò in templum fugiens inde eductus, captus, & cum uxore Zenonide in Cappadociam relegatus est, ubi quum Zeno jussisset illos hyemis tempore neque veste neque cibis juvari, fame & frigore perierunt. Laudatus Zenonis ἑνωτικὸν, id est, formula concordiæ ad tollendum

omnia Ecclesiæ dissidia. Vivus ab uxore propter perpetuam crapulam sepulchro inclusus scribitur & sic enecatus.

Synchronismus.

1. Horrenda & inaudita persequutio Orthodoxorum per Africam instituta per Hunnerichum Genserici filium circa annum Christi 484.

2. In Italia nondum est finis turbarum & variarum calamitatum. Nam Julius Nepos pulso Glycerio imperium inOccidente invasit,&Glycerium facit Episcopum Salonæ in Dalmatia, magistrum verò militum fecit Orestem genere Gothum, qui accepti beneficii immemor Julium imperio privat,& Imperatorem facit filium suum Augustulum puerum adhuc, anno Christi 475. Manifestum est hujus calamitatis fatum, dum scilicet ut ante annos 500 (quæ fatalis est regnorum periodus) sub claro Augusti nomine maximè splenduit Romani imperii dignitas; ita sub obscuro Augustuli imperio eadem summâ caligine obducta concidit, & planè exspiravit. Ab Odoacro enim Herulorum rege ex imperio ejectus fuit Augustulus, & in Campania exul privatus vixit. Odoacer verò non Imperator, sed primus Italiæ rex dictus est.

Odoacer. 3. Odoacer quondam Orestis patris Augustuli armiger, deinde Rugiorum rex factus est. Sunt autem Rugii sive Ruge, qui & Heruli dicti sunt, populi à Gothis orti, qui consederunt in insulis maris Arctoi, & locis maritimis Pomeraniæ & Livoniæ, unde nomen insulæ Rugiæ est reliquum, item urbs Riga in Livonia. Hi populi duce Odoacro in Pannoniam venerunt, & trajecto Danubio invaserunt Italiam circa annum Christi 475, & anno sequente Odoacer cepit Romam, & primus rex Italiæ proclamatus triumphans in Capitolium ascendit, regnavitque ab anno Christi 476 annos 16. Zeno non ferendum esse tam iniquum dominatum judicans, Theodoricum Gothorum regulum hortatur ad invadendam Italiam & oppugnandum Odoacrum, id quod fecit tribus præliis feliciter, & tertio certamine Odoacrum profligavit, qui Ravennæ mœnibus sese includens triennalem Theodorici obsidionem sustinuit. Hic est ille Theodoricus qui à capta Verona dictus est Veronensis, unde vulgò dictus est *Didrich von Behrn.*

4. GENSERICUS in Africa moritur anno Christi 478,

478, eique succedit ejusdem imperii & crudelitatis filius *Hunnerichus*, seu *Honoricus*, sectæ Arianæ maximus fautor. Regnavit annos 7. Summam tyrannidem exercuit adversus Orthodoxos, honestas matronas & virgines vestibus nudatas suspendit & facibus corpora ussit, quòd Arianæ hæresi assentiri nollent. Referunt de Dionysia quadam nobili fœmina, quòd unicum filium Majoricum ad necem raptum consolata sit his verbis: Memento fili, te baptizatum esse in nomen Patris, Filii & Spiritus S. ut scilicet confirmaretur in confessione deitatis Filii Jesu Christi. Multos oculis, auribus, naribus, manibus, pedibus truncavit, quibusdam linguas præcidit ut impeditâ voce loquerentur. Quum talibus suppliciis multa millia hominum sustulisset, ingens sterilitas orta est, in qua homines & pecudes fame perierunt, & pestis sævissima, ubi in medio furoris sui cursu Hunnerichus divinitùs repressus φθειριάσει extinctus est. Nam corpus ejus putrefactum vermibus ita scatuit & ebulliit, ut alia membra post alia deciderint, & non corpus, sed corporis partes sepultæ sint. Et in regnum successit *Gundamundus* ex fratre nepos, qui ab anno Christi 485 regnum tenuit annos 12, & sævam quoque tyrannidem exercuit adversus Orthodoxos seu Homousianos.

5. Clodovæus Francorum rex quintus in ordine à Pharamundo cœpit regnare anno Christi 485, & regnavit annos 30, cœpitque anno regni sui 15 Christianam religionem amplecti, baptizatus à S. Remigio Episcopo Remensi, qui ab anno Christi 470 tenuit Episcopatum annos 74. Occasio hujus conversionis fuit summum periculum in bello cum Alemannis, ubi votum fecit, si vicerit, se Christianam fidem accepturum. Gravia fuerunt bella Francis cum Romanis inde à temporibus Gallieni Imp., & tempore Honorii trans Rhenum potiti sunt urbe Trevirorum, ut suprà dictum, indeque progressi in Celticam & in Belgicam tandem in ipsam Galliam transierunt, & primum regem constituerunt Waramundum seu Pharamundum, à quo pulcherrima regni Francici initia sunt, quod Celticam, Belgicam & magnam Germaniæ partem est complexum. Aliquantò pòst ab Aëtio Valentiniani III duce circa annum Christi 428 Franci superati & cæsi cedere agris & oppidis, quæ ad Rhenum occuparant, compulsi sunt, sed regnante apud

eos

eos Clodio Pharamundi filio circa annum Christi 445 Rhenum denuò transgressi Romanos profligarunt, & Galliam penè omnem usque ad mare occuparunt, unde ex Francia & Gallia quasi gens una & unum regnum est factum, quod Francogallia appellatur. Verùm non fuit stabilis hæc Francorum fortuna. Nam Childerico ipsorum rege (fuit hic filius Merovæi, nepos Clodii) propter vagas libidines à principibus regni pulso, in locum ejus substitutus est Ægidius dux Romanus, qui cum Siagrio Galliam Lugdunensem diu contra Francos defendit. At non multò pòst, Childericus regno restitutus Romanis iterum ademit Coloniam, Moguntiam, Vormatiam, Spiram, Argentoratum, & omnem regionem ad Rhenum, inde usque à Constantia ad mare, atque adeò Galliam totam usque ad Ligurim fluvium. Porrò hujus Childerici filius Clodovæus ejectis undique Romanorum præsidiis totum regnum Galliæ adeptus est anno Christi 485, victo & occiso Siagrio. Franci igitur à Romanis nunquam ita victi sunt, ut Romanum jugum subierint.

6. Series regum Francicorum ad hoc usque tempus hæc notetur:

1. Pharamundus anno Christi	419.
2. Clodius	429.
3. Merovæus	449.
4. Childericus	456.
5. Clodovæus	485.

ANASTASIUS.

Fuit hic primò silentiarius seu scriba aulicus, sed arte & ingenio Ariadnes viduæ Zenonis, quæ Senatum & legiones eò flexerat, Imperator factus est, & die 40 post tumulationem Zenonis cum Ariadne nuptias celebravit. Dictus fuit δίκορος, quòd pupillas haberet diversi coloris. Cœpit imperare anno Christi 491, & imperavit annos 27. In politicis negotiis benè se gessit graviora tributa abolendo, sed in bellis parum profecit. In ecclesiasticis perfidum sese ostendit. Quum enim ante coronationem Euphemius Patriarcha confessionem fidei scriptam ab ipso exigeret, protulit eam, in qua pollicebatur se decreta Synodi Chalcedonensis servaturum; sed paulò

paulò pòst hanc syngrapham sive vi sive dolo recepit, & Eutychianos promovit, Orthodoxos verò ex ecclesiis expulit, & ipsum Euphemium Constantinopoli ejecit, quod fecit anno imperii 20, qui est annus Christi 511. Ex hoc tempore vires sumpserunt Eutychiani. Monitus Anastasius hac de re ab Hormisda Episcopo Romano superbè respondit: Nos imperare volumus, nobis imperari nolumus. Hostem habuit Vitalianum Scytham, qui exercitum ad Constantinopolin usque adduxit, sed navali prælio victus est quum adhibitis cavis speculis naves ejus incenderentur. Paulò ante suscipionis morbo laborare cœpit, & multos conjecit in vincula, inter quos etiam fuerunt Justinus & Justinianus. Ex oraculo intellexerat fatale sibi esse ut ex fulmine interiret; rotundum igitur ædificium construxit, in quo tutum se à fulmine futurum sperabat, sed frustra. Nam aliquando horrendâ tempestate obortâ quum tonitrua gravissima resonarent & fulgura eliderentur, ab uno conclavi in alterum discurrens in quodam cubiculo mortuus est inventus.

Synchronismus.

1. Eutychiani seu Synchytæ extolluntur, Orthodoxi verò premuntur.

2. Romæ Episcopus fuit Gelasius, qui ab anno Christi 494 sedit annos 3. Vir doctus, cujus scripta hodie leguntur. Auxit canonem missæ, & distinxit libros Canonicos ab Apocryphis. Ei successit Anastasius II, qui ab anno Christi 498 sedit annos 2, patronus Eutychianorum & Nestorianorum. Effudit in morte intestina ut Arius. Ei successit Symmachus, & huic Hormisda.

3. In Italia Odoacer triennium jam in urbe Ravenna obsessus pacem cum Theodorico hâc conditione fecit, ut ambo in urbe Ravenna æquâ sorte viverent; sed Theodoricus impatiens consortis Odoacrum cum filiis convivio exceptum per sicarios interfecit. Nec restituit Italiam Græcis Imperatoribus, in quem finem à Zenone erat missus; sed sibi ac suis eam retinuit, vicinarumque gentium federibus ac affinitatibus sese munivit, ductâ uxore Adelheidâ filiâ Ludovici regis Francici, sorore verò suâ Hamelfredâ desponsâ Thrasymundo Vandalorum regi, & ex hac sorore neptem Amelbergam dedit Hermanfrido Thuringorum regi; suam ipsius filiam Amalosuntham despondit Eutharico Widerici regis Hispa-

Gothorum regnum in Italia firmatur.

ſpanici filio. Hoc modo Theodoricus regnum ſuum in Italia confirmavit, quod ab anno Chriſti 493 tenuit annos 33. Commendatur à juſtitia & humanitate erga Gothos & Italos, niſi quòd ſub finem regni ſui exemplum crudelitatis in Symmacho & Boëtio oſtendit, quod ipſi in vitæ ſuæ exitium ceſſit, ut infrà dicetur. Ravennam Gothici regni ſedem eſſe voluit. Obiit anno 8 imperii Juſtini.

4. In Africa Gundamundo mortuo ſucceſſit Thraſymundus, qui ab anno Chriſti 497 regnavit annos 27, & quanquam erat Arianus, nullam tamen exercuit ſævitiam, ſed præmiis Orthodoxos & honoribus ſollicitavit, ut ſcilicet mundi vanitate corrumperet cœleſtem veritatem.

5. Memorabile eſt quod narratur de Alamundaro Saracenorum principe; quem ab Orthodoxis baptizatum quum Severus monachus miſſis duobus Epiſcopis ad Eutychianam hæreſin flectere vellet, eleganti commento reſpondit, ſe literas accepiſſe de Michaëlis archangeli morte. Epiſcopis falſum hunc eſſe nuncium aſſeverantibus, eò quod angeli eſſent ſpiritus ac proinde immortales, porrò reſpondit: Quid eſt ergo quod vos Eutychiani divinam Chriſti naturam mortuam eſſe aſſeritis, quum ne angeli quidem moriantur. Hic eſt ille Severus quem Anaſtaſius fecit antiſtitem Antiochenum remoto Flaviano qui Eutychianiſmo ſubſcribere noluit, anno Chriſti 513.

6. Tempore Anaſtaſii Perſarum rex fuit Cabades, cum quo Anaſtaſius diu bellum geſſit, quod poſtea Juſtini tempore finitum eſt. Hic Cabades quum legem tuliſſet de adulterio non puniendo, & ut uxores communes ac promiſcuæ eſſent, è regno ejectus & in carcerem conjectus eſt, eique frater Baldus ſubſtitutus. Cabadis uxorem ad maritum aditum petentem inconceſſâ flammâ deperire cœpit carceris præfectus, qui eam niſi corporis ſui copiam faceret admittere recuſavit. Cabades re cognitâ ſuadet uxori, ut libidini præfecti pareat. Paret, intromittitur, veſtem cum marito commutat, & ſic maritus è carcere elabitur, equoque quem amicus Seſoſes paraverat conſcenſo, unà cum Seſoſe ad Hunnos ſe recepit, quorum auxilio adjutus regnum recuperavit, fratrem oculis erutis in carcerem incluſit, & abrogatis in-

juſtis

justis legibus regnum tutò servavit. Similem historiam commissi adulterii narrat Melanchthon in Chronico fol. 534.

7. Bulgarorum nomen Anastasii tempore in Thracia & Illyria, quam populabantur, primò auditum. Dicti sunt à Bolga fluvio Russiæ ex paludibus non procul à Moscovia profluente. Consederunt igitur primùm ad mare Pomeranicum, unde egressi Thraciam invaserunt & vicina loca populati sunt, unde adhuc Bulgaria dicitur quæ olim Mysia fuit dicta. *Bulgari.*

JUSTINUS.

Fuit ex humili loco natus, patre armentario in Thracia, sed miles factus virtute sibi autoritatem comparavit, quum præses esset excubiis Anastasii. Accepit ab Eunucho Amantio ingentem pecuniam, ut cuidam Theocritiano Amantii amico militum suffragia emeret in successionem, sed Justinus illâ pecuniâ sibi devinxit milites, ut Imperator & militum & Senatus consensu eligeretur & crearetur. Cœpit imperare anno Christi 518, & imperavit annos 9. Literarum ignarus quidem fuit, sed ipse Orthodoxus & Orthodoxorum fautor. Quos Anastasius expulit, ab exilio revocavit;& Arianam hæresin persequi animum induxerat, nisi Theodoricus Veronensis in Italia id impedivisset. Misit enim hic ad Justinum legatos minacibus cum verbis, nisi destiterit, se omnem indignationem in Italiæ populos effusurum. Motus igitur Justinus legatorum precibus ab Arianorum persequutione sese abstinuit. Primus à Romano Episcopo Johanne coronatus est,quod ægerrimè tulit Theodoricus Italiæ rex, & propterea Johannem Constantinopoli Ravennam reversum in carcere peremit. In bello contra Cabadem Persam petivit societatem Zeliobis Hunnorum regis, à quo fuit deceptus. Pollicitus enim Justino auxilium operam suam obtulit Cabadi, ad quem exercitum suum duxit. Justinus re cognitâ pacem petit,& Cabadi omnem rem enarrat, simul monens ne Hunnis fidem haberet. Cabades etiam sibi metuens ab Hunnorum perfidia secretò ad se accersit Zeliobem, & rem percontatus hominem sustulit, justissima perfidiæ pœna. Pacem verò Persæ mox violarunt, ut ex sequentibus patebit.

Syn-

Synchronismus.

1. Romæ Episcopus fuit Johannes I, qui ab anno Christi 523 sedit annos 2, menses 9, & constituit, ut Imperator subesset Pontifici Romano, ut refert Dresser. in Millen.

2. Severus Monachus Eutychianæ hæreseos defensor, qui sub Anastasio Imp. ejecto Flaviano Orthodoxo Episcopus Antiochenus factus erat, autoritate Justini Imp. Episcopatu pellitur, & ut blasphemiarum pœnas daret, lingua ei præciditur.

3. Manichæi omnes cum suo Episcopo à Cabade Persarum rege per simulationem benevolentiæ in unum locum congregati occiduntur, & illorum libri cremantur, eò quòd unum ex filiis regis in suam hæresin pertraxissent.

4. Horrendus terræ motus urbem Antiochenam ita concussit, ut parum abfuerit quin tota urbs corruisset, cujus magna pars terræ hiatu absorpta est, templa collapsa sunt, & obrutus terræ mole periit Euphrasius Episcopus. Ingens iræ divinæ argumentum. Accidit hæc calamitas anno Christi 527.

5. In Italia Theodoricus rex moritur anno Christi 526. Postremus actus vitæ ejus cruentus fuit. Nam Johannem Episcopum Romanum, quòd Justinum Imp. coronasset, carceri inclusit, in quo obiit. Symmachum & hujus generum Boëtium Senatores Romanos præcipuæ autoritatis viros, quia aliquibus ejus decretis adversati fuerant, & ut quidam putant, ne Arianis Ecclesiæ traderentur, impedierant, bonis privavit & tandem interfici jussit, quum tamen antea urbem Romam Senatui regendam commendasset. Hanc injustam crudelitatem mox *νέμεσις* sequuta est. Nam paucis diebus post horum necem quum cœnanti propositum fuisset in mensa grande caput piscis, visus est sibi Theodoricus cernere abscissum Symmachi caput horribili rictu & flammantibus oculis quasi in ipsum irruiturum. Hinc monstri novitate territus & rigens statim in cubiculum concessit, ubi in lectum recumbens ingravescente animi angore Elpidio Medico quæ in mensa viderat narravit, facinus in Symmacho & Boëtio patratum deploravit, & ingenti dolore affectus animam efflavit, anno Christi 522. Successit Theodorico Attalaricus (aliis Adelrichus) ex filia Amalosuntha nepos,

Theodorici Veronensis obitus.

pos,

pos, natus annos 8, & cum matre annos 8 regnavit. Valdè commendatur matris prudentia, justitia & in gubernando felicitas. Symmachi & Boëtii liberis bona restituit, & Gothos ne Romanis essent molesti coërcuit.

JUSTINIANUS.

Fuit Justini ex sorore nepos. Cœpit imperare anno Christi 527 & imperavit annos 38. Princeps laudatissimus, & tum in bello tum in pace utilissimus, quamvis bellica felicitas ducibus potiùs debetur, inter quos excelluit Bellisarius. Hujus enim fortitudine ex Africa ejecti sunt Vandali, quorum rex tunc fuit Gilimer; ex Italia expulsi Gothi sub regibus Theodato & Vitige. Quos deinde sequutus est in successione Totila, qui captâ Româ alterâ vice tandem à Narsete Bellisarii successore prælio victus & interfectus est; & eandem fortunam postea expertus est Totilæ successor Theias postremus Gothorum rex, qui à Narsete victus & fugiens occisus est, finemque regni Gothici in Italia fecit, anno Christi 552. Ut autem post Bellisarium Narses, qui fuit eunuchus seu cubicularius Justiniani, in Italia; ita Johannes Exconsul in Africa bellum administravit, de quo Procopius αὐτόπτης rerum Bellisarii refert, quòd à Justiniano dignitate & opibus fuerit privatus, adeò ut mendicando victum quæsiverit; quod tamen alii scriptores Bellisario contigisse narrant. Pacis opera in Justinani gubernatione recensentur tria ἀξιομνημόνευτα: 1. Synodus Constantinop. secunda, quæ est œcumenica V. 2. Legum ex immensis Jureconsultorum voluminibus collectio, unde Institutiones & Pandectæ natæ sunt. 3. Ædificationes ad reprimendos exteros hostes, in quos tantos fecit sumptus, ut propter exactiones avaritiæ fuerit insimulatus. In religione fuit ὀρθοδοξότατος quamvis ἀναλφάβητος; in politicis negotiis cuivis εὐπρόσιτος, sed pronus ad audiendas calumnias & delationes, ex quibus prætextus arripiebat ad spoliandos subditos facultatibus quas in ædificationes conferret, & aiunt eum Doctoribus stipendia eripuisse in usum sumptus bellorum & ædificiorum.

Synchronismus.

1. Synodus Constantinopolitana, quæ est OEcumenica V, à Justiniano coacta est anno Christi 551, in

qua congregati sunt Episcopi 165 & priorum synodorum oecumenicarum decreta repetita & confirmata sunt contra Arianos, Nestorianos & Eutychianos, qui adhuc per Orientem turbabant ecclesias,& rejecta sunt deliramenta Origenica. Motæ etiam sunt quæstiones de anima humana, unde sit,& de propagatione peccati originalis.

2. Romæ Episcopi fuerunt, Felix IV, qui morituros jussit ungi, Bonifacius II, qui in Missæ actione sejunxit clerum à laïcis, Vigilius, qui Romanam Ecclesiam matrem & magistram reliquarum omnium haberi voluit, Pelagius, qui instituit horas canonicas & anniversariam mortuorum recordationem.

3. *Iurisprudentia*, ut hodie in Academiis docetur,& in foro exercetur,ex variis &immensis JCtorum voluminibus mandato Justiniani Imp.operâTreboniani & aliorum in certam methodum & facilioris ac dilucidioris doctrinæ formam redigitur, unde Codex Justinianéus, Corpus juris, quod Digesta sive Pandectæ appellatur, item Institutiones, in quibus succinctior & expeditior juris discendi ratio præscribitur. Accesserunt demum Constitutiones novellæ.

4. Atalaricus Theodorici Veronensis ex filia Amalosuntha nepos orbatus patre (qui fuit Eutaricus Widerici regis Hispanici filius) successerat avo materno Theodorico puer 8 annorum in regno Italiæ, sed penes matrem erat gubernatio. Moritur Atalaricus anno regni sui 8, qui fuit annus Christi 534. Mater Amalosuntha, ut se in regno muniret, Theodatum Gothum in regni societatem sibi adjunxit, & cum Justiniano Imp. fedus fecit. Movit Amalosuntham Theodati doctrina,& quòd natus esset ex Amelfreda Theodorici Veronensis sorore,unde spem concepit fore ipsum justitiæ amantem. Sed spes fefellit. Superarunt enim Theodati doctrinam avaritia & naturæ pravitas,ut injusta tributa Italiæ imponeret.Quod quum reprehenderet Amalosuntha, Theodatus omnis beneficii immemor inclusit eam carceri & relegatam scelerate obtruncavit.Indigno hoc facinore motus Justinianus Imp. in Italiam mittit Bellisarium virum bellicosum, qui non ita pridem Vandalos ex Africa expulerat, & Persas vicerat. Hic recuperatâ Siciliâ, quam Gothi tenebant, ingressus Italiam vi capit Neapolin, & omnia agit moderatè, ita ut etiam Gothico præsidio parceret.

Interim

Interim Romæ latebat Theodatus, & quum nihil pararet adversus hostem, à Gothico exercitu interfectus est, inque ejus locum surrogatus Vitiges, qui Theodorici tempore duxerat exercitum. Quo cognito Theodatus fugiens interfectus est anno Christi 536. Tota igitur belli Gothici moles vertitur inter Vitigem & Bellisarium. Hæc est belli Gothici ἐπίτασις, quæ incidit in Vitigis & Totilæ tempora, ubi ingens Italiæ vastatio facta est; Roma sæpè capta, & Mediolanum funditus deletum à Gothis, qui 30000 civium ibi interfecerunt. Initium belli cum Vitige factum est Romæ, quam Vitiges integrum annum obsederat, quumque durante obsidione crebris præliis factis uno die 30000 Gothorum periissent, lentior deinde fuit obsidio, quâ tandem omissâ Vitiges exercitum suum abduxit ad oppugnationem Arimini. Post varias autem obsidionum & deditionum vices ad Ravennam ubi accessit Bellisarius, astutè obtinuit deditionem, ubi Vitiges captus, honorificè custoditus, & tandem à Bellisario Constantinopolin perductus fuit, & quia perfidiâ suorum captus fuerat, Justinianus Imp. nihil asperè in ipsum constituit, sed inter Patricios ipsum retulit propter reverentiam regii nominis, & finibus imperii contra Persas tuendis præfecit, ubi mortuus est. Vitige ita abducto Gothi crearunt regem Ildobaldum anno Christi 540, qui quum Vitigis cognatum interfecisset, non diutiùs anno regnavit. Dicitur ab aliis Theudo-Waldus. In convivio obtruncatus. Mox & hujus successor Alaricus interfectus ab ipsis Gothis mense regni sui 6. Post hunc, quum jam Gothica potentia admodum esset labefacta, regnum suscepit *Totila Ildobaldi* nepos, cui *Totila.* quum Græci duces & præfecti propter rapacitatem in odio essent, & inter se discordes, res Gothicas fortiter & feliciter erexit, & quum justitiæ studiosus esset, plures ad eum defecerunt. Initio ad Placentiam vicit Romanum exercitum, & magnam Italiæ partem sibi subegit, & captas nobiles matronas, virgines & pueros inviolatos additis præsidiis ad suos dimisit. Neapolin fame ad deditionem coëgit, urbis direptionem prohibuit, & præsidium Romanum navigiis & viatico ad suos abire concessit. Progressus est ad urbem Romam, quam quum obsideret, venit iterum in Italiam Bellisarius à Justiniano Imp. missus, sed propter hostium copiam ad urbem Ro-

mam accedere non est ausus. Fuit biennalis obsidio, & interea temporis alibi multæ urbes modò à Gothis modò à Bellisarianis occupantur, ut universa Italia miserrimè vastaretur, & quamplurimi fame & peste interirent. Placentia Gothis est dedita, quum ibi præsidium humanis carnibus vesci cœpisset. Capit tandem Totila urbem Romam, militibus Isauricis portam Asinariam patefacientibus, Capitolium incendit, urbem diruit, & magnam ædificiorum partem incendio perdit, mœnium tertiam partem evertit, & totam urbem delevisset nisi Pelagii Pontificis precibus lenitus à proposito destitisset, deformatam tamen urbem & incolis vacuam reliquit. Hanc ita destructam ac desolatam paulò pòst recepit Bellisarius, eamque recollectis civibus instaurare aggressus est, sed revocatus discessit, & triennio post destructionem Totila rursus eam cepit, novoque beneficio reparationis, ut priorem infamiam auferret, honoravit. Post Bellisarii jam parum felicis ex Italia discessum mittitur à Justiniano *Narses* Eunuchus, qui Herulorum & Longobardorum auxilia sibi junxerat. Committitur ingens prælium in quo Gothi victi & dissipati sunt, & ipse Totila graviter vulneratus obiit anno Christi 549. Dum autem Gothorum reliquiæ regem faciunt Teiam, qui in urbe Ticino erat, Narses ad urbem Romam accedit, eamque pulso Gothico præsidio vi capit, deinde magno prælio Gothos vicit, ubi ipse Teias interfectus est. Atque ita planè concisa est Gothorum potentia, & reliquiæ ex Italia decedere coactæ sunt. Hic est finis regni Gothici in Italia, quod à regno Theodorici Veronensis duravit annos 60, videlicet ab anno Christi 492, usque ad annum 552. De urbe Roma obiter notetur, quoties capta sit: 1. à Gallis. 2. ab Alarico. 3. à Genserico. 4. ab Odoacro. 5. à Totila. 6. à Bellisario. 7. iterum à Totila. 1. à Narsete.

Roma à Totila capta.

Narses in locum Bellisarii succedit.

Totilæ obitus.

Roma à Narsete capta.

Gothici regni finis in Italia.

5. Deleto igitur regno Gothico, in Italia tanquam Orientalis imperii provincia Proconsul constituitur Narses Eunuchus, qui primò quæstor fuit Justiniani, & Italiam ab anno Christi 553 rexit annos 16.

6. Nunc in Africam me recipio, sed per ὕστερον πρότερον. Africæ enim res sub Justiniano Imp. priores sunt τῷ χρόνῳ rebus Italiæ, quia posteaquam Bellisarius bellica sua negotia in Africa contra Vandalos perfecit, missus

deinde

deinde est in Italiam contra Gothos. Imperante Justiniano in Africa Vandalorum rex fuit *Hildericus* successor Thrasymundi, filius Hunnerichi & Eudoxiæ filiæ Valentiniani III, quæ relicto marito Hunnerico propter Arianam sectam tanquam voti caussâ Hierosolymam profecta est, ubi in lacrymis & precatione vixit. Hic Hildericus ab anno Christi 524 regnum tenuit annos 7, & quum Orthodoxus esset, quippe matris curâ in articulo Trinitatis benè institutus, restituit Ecclesias in Africa, quam ob caussam in odium venit apud Vandalos, & *Gilimer*, natus ex fratre Hunnerici, homo audax & bellicosus, seditionem adversus ipsum movit, in qua Hildericus captus & trucidatus, inque ejus locum successit Gilimer. Quum verò inter Hildericum & Justinianum Imp. fedus esset, & Justinianus à Gilimero Hilderici liberationem frustra tentasset, missus est Bellisarius, qui anno Christi 533 recuperavit Carthaginem à Vandalis jam per annos 95 possessam; deinde fugientem Gilimerum ex aliis locis in alia & in solitudines, fame ad deditionem coëgit, & captivum secum Constantinopolin duxit, ubi supplex ad Justinianum Imp. ductus & fortunæ vices considerans nihil aliud quàm Salomonis illud pronunciavit: Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Relegatus est deinde in Galliam. Et sic regnum Vandalicum in Africa deletum est, & Africa iterum facta provincia Romanorum anno Christi 534, & mansit in hoc statu usque ad tempora Heraclii Imp. quando Saraceni eam occuparunt anno Christi 622, vel circiter. *Vandalici regni in Africa finis.*

7. Antiochia alium terræ motum sustinuit longè gravissimum, quo ædificia corruerunt, & magna hominum multitudo periit. Cives crebris ejulatibus clamarunt: κύριε ἐλέησον, & divinitus moniti superioribus ædium suarum postibus inscripserunt: ὁ χριστὸς μεθ' ἡμῶν. Sedatus est terræ motus. Accidit anno Christi 528.

8. Propter belli Gothici calamitatem consulatus veteris Romæ desiit; sed Orientales aliquandiu consularem dignitatem tenuerunt, donec & illa in solos Impp. translata est.

9. Post Clodovæum in Gallia Francorum rex fuit Childebertus, sextus in ordine, qui cum tribus fratribus, Theodorico, Clodomito & Lothario regnum divisit, ita tamen ut primas teneret Childebertus, cui ab

anno Christi 515 tribuuntur anni 45. Zwing.

10. Docti viri hisce temporibus claruerunt, Boëtius, Priscianus Cæsariensis Grammaticus, Procopius Bellisarii Cancellarius, qui Gothicam historiam contexuit à morte Arcadii usque ad annum Christi 552, Agathias, qui Procopium excepit & continuavit usque ad annum Christi 565, quo Justinianus obiit. Jornandes Episcopus Gothicus, qui Chronicon composuit de origine, bellis ac regibus Gothicis usque ad annum Christi 551.

JUSTINUS II, sive junior.

Fuit Justiniani nepos ex filia, educatus in aula Imperatoris, & in societatem imperii ab avo ascitus. Cœpit imperare anno Christi 565, & imperavit annos 12. Conjugis Sophiæ hortatu multa in initio fecit liberaliter, leniit tributa & usuras, ut scilicet gratiam subditorum aucuparetur, sed postea à liberalitate degeneravit ad avaritiam, & Pelagiana deliria amplexatus Orthodoxæ religionis contemptor factus est. Bellum cum Persis gessit quadriennio, sed propter federis violationem infeliciter. Morbis impeditus non multa per sese administravit, unde magna inter subditos exorta est licentia, de qua compescenda quum cogitaret Justinus, obtulit sese quidam qui sub conditione præfecturæ promittebat injuriarum inhibitionem. Annuit Imperator, & præfecturam concedit. Accidit aliquando ut præfectus ad tribunal suum vocaret quendam Senatorem accusatum, qui spretâ hâc citatione quum vocatus ad convivium ab Imperatore comparuisset, insequutus ipsum fuit præfectus, & quum Imperator re cognitâ dixit vel se citatum ad tribunal compariturum, præfectus reum è convivio in prætorium adduxit & sontem damnavit. Hoc exemplo multorum libido & petulantia repressa est. Duo insigniter memorabilia acciderunt in Italia imperante Justino, nempe Regnum Longobardorum & Exarchatus, ex quorum discordiis Italia iterum miserrimè est afflicta & quassata, ut in sequentibus dicetur.

Synchronismus.

1. Episcopi ἑτερόδοξοι antea ejecti à Justino Constantinopolin revocantur, & mandatur ut in suum quisque Episco-

Episcopatum revertatur, in religione verò nihil novi moliatur.

2. Romæ Episcopus fuit Johannes III, qui ab anno Christi 566 sedit annos 10, & sanxit ne quis appellaretur summus Sacerdos aut universalis Episcopus.

3. In Italia exoritur novum regnum, quod est Longobardorum, anno Christi 568, idque per hanc occasionem; Quum Narses Italiam jam rexisset annos 16, eamque ex magnis calamitatibus recreasset summâ fortitudine, sapientiâ & justitiâ, crescere cœpit ejus autoritas, adeò ut in aula Justini Imp. ejus potentia redderetur suspecta, unde Justinus commotus successorem ei mittit Longinum hominem sceleratum, Justini verò uxor in literis Narsen per ludibrium redire jubet ad pensa in gynæcéo tractanda. Narses tantæ injuriæ impatiens quum respondisset Imperatrici, se jam telam exordiri quam non possit superba illa mulier pertexere, Longobardos, quorum auxilio antè usus fuerat contra Gothos & maximè contra Totilam, invitat in Italiam; ipse verò ut tutior esset non rediit Constantinopolin, sed in Italia mansit, & ut privatus Neapoli vixit, donec ibi mortuus est. Fuerunt autem Longobardi Germani, nomen à genere armorum, nempe longis securibus seu bipennibus adepti, qui olim ad medium Albim sub Bructeris habitarunt, ubi nunc est Episcopatus Magdeburgensis & Halberstatensis. Ex hoc tractu (quum jam variarum gentium fatales essent migrationes) ad eam Pannoniæ oram accesserunt quæ Italiæ est propior, ubi manserunt annos 42, inde porrò sive à Narsete accersiti sive loci fertilitate & amœnitate illecti Italiam invaserunt anno Christi 568, duce Alboino, & regnum constituerunt in ea Italiæ parte quæ olim Gallia Cisalpina dicta est, & hodie vocatur Lombardia, in qua sedes regia fuit Papia, quæ & Ticinum nominatur, posteaquam occupatæ sunt Vincentia, Verona & Mediolanum. Duravit autem hoc Longobardicum regnum in Italia annos 206, nempe usque ad annum Christi 774, quo Carolus M. hoc regnum ad se transtulit. Primus rex fuit Alboinus, qui in Italia ab anno Christi 568 regnavit annos 4. Vicerat is antea in Pannonia Cunimundum Gepidarum regem, cujus filiam Rosimundam duxerat uxorem. Illi victo pellem detraxerat & ex ejus cranio poculum fieri curaverat. Quum autem capto Ticino

Longobardorum regnum in Italia.

Longobardi invitantur in Italiam.

Alboinus primus Longobardorum rex in Italia.

Veronam rediisset, & inter pocula largiùs bibisset, jussit etiam cranium illud adferri, & conjugem ex cranio patris bibere protervè coëgit. Rosimunda dissimulato dolore bibit, & de vindicanda hac contumelia cogitans Helmechildum quendam nobilem Longobardum pollicitatione conjugii & regni inducit ut Alboinum interficeret. Quo facto patrato Helmechildus fugere coactus cum Rosimunda accessit Ravennam ad Longinum Exarchum. Hic cum muliere familiariùs loquutus in spem erigitur potiundi regni Longobardici si eam duxerit, ut deinde se regem Italiæ nominaret. Persuadet mulieri ut venenum det Helmechildo, & promittit conjugium. Illa marito è balneo egredienti propinat venenum, cujus vi perceptâ ille cogit Rosimundam reliquam partem bibere, quæ simul cum Helmechildo extincta est. Hæc sunt initia regni Longobardici in Italia. Alboino ita interfecto mox successit Clephes, qui regnavit annum unum & sex menses, & occupatis multis Italiæ oppidis tandem propter crudelitatem interfectus est anno Christi 574. Postea per annos 10 interregnum fuit sub ducibus, qui quum triginta essent, dicti sunt 30 tyranni. Hi multa oppida Italiæ occuparunt, sed postea quum viderent πολυκοιρανίαν esse incommodam, ad regium statum redierunt.

Exarchatus in Italia. 4. In Italia eodem tempore nova gubernationis forma instituta est, quæ dicta est *Exarchatus*. Fuerunt autem ἔξαρχοι (quòd nomen præcipuum principem notat, & Germanicis *Ertz-Hertzog*) Vicarii Imperatorum Orientalium, *Statthalter*, quorum sedes fuit Ravenna. Horum alii cum Longobardis pacem coluerunt factis induciis, alii illos contra sese concitarunt. Plerique vastationes & clades Italiæ intulerunt, ipsosque Pontifices Romanos graviter offenderunt, qui tandem contra Exarchos & Longobardos accersiverunt Francos, quorum adventus in Italiam tanto malo finem attulit. Duravit autem Exarchatus ab anno Christi 569 annos 175, videlicet usque ad annum Christi 744, quo Eurichus ultimus Exarchus ab Aristulpho Longobardo victus est captâ Ravennâ. Primus Exarchus fuit *Longinus*, propter Longobardorum irruptiones ex Oriente à Justino missus, homo sceleratissimus & vagis libidinibus adeò deditus, ut ministros aluerit qui dicti sunt γυναικοϊέρακες, id est, virginum

ginum & matronarum raptores, qui illas ad ipsum pertraherent, ut non mirum sit Græcos Exarchos Italis fuisse odiosos. Cœpit autem Longinus Italiam gubernare anno Christi 569 per annos 15.

TIBERIUS II, dictus Constantinus.

Hunc comitem excubitorum Justinus propter singulares virtutes, quas in ipso conspexerat, in præsentia Senatus & Eutychii Patriarchæ Imperatorem creaverat, additâ eximiâ cohortatione ad virtutes Imperatore dignas. Cœpit imperare anno Christi 576, & imperavit annos 7. Princeps à pietate, constantia in vera religione & liberalitate laudatissimus, unde omnium favorem sibi collegit. Reprehensus à Sophia Augusta, quòd nimiâ liberalitate ad paupertatem esset deventurus, respondit se Deum habere remuneratorem, quod eventus comprobavit. Quum enim aliquando per palatium deambularet, in pavimento domus vidit tabulam marmoream cum insculpta cruce Dominica, quam noluit pedibus conculcari, & jussit eam in alio loco reponi. Elevatâ tabulâ ingens thesaurus inventus est, ex quo pauperibus benefecit. Invenit etiam thesauros Narsetis ex Italia missos. Cum Longobardis pacem fecit, & contra Persas misit ducem Mauricium Cappadocem, cui à Persis victori redeunti filiam Constantinam uxorem dedit, & captivos Persas vestitos in patriam remisit, ex quo magnam sui admirationem in Persia sibi comparavit.

Synchronismus.

1. Romæ Episcopi fuerunt, Benedictus I, qui ab anno Christi 577 sedit annos 3, & Pelagius II, qui deinde sedit annos 9. Hic Pelagius inscio Imperatore electus fuit Pontifex, sed ut Imperatorem placaret misit Constantinopolin Gregorium Monachum. Extinctus est peste inguinariâ, in qua mortem præsentem afferebat sternutatio, unde sternutantibus benè precandi mos natus est. *Mos bene precandi sternutantibus.*

2. In Longobardorum regno in Italia triginta duces creaverunt regem Autharum filium Clephis, tertium in ordine, qui ab anno Christi 583 regnavit annos 6. Exarchus autem fuit Longinus, de quo suprà meminimus.

3. Francorum rex fuit Chilpericus Lotharii filius, ad quem Tiberius Imp. egregia misit munera. Hic Chilpericus fratres habuit Heribertum Parisiorum, Guntramnum Aureliorum & Sigebertum Mediomatricum dominum. Heribertus in amplexibus meretricum mortuus est; Hilpericus verò astu Fridegundis & Laudrichi adulteri à venatione rediens obtruncatus est. Zwingerus.

MAURICIUS.

Hic postea quam contra Persas feliciter pugnasset, & Mesopotamiam imperio recuperasset, in tanta fuit autoritate apud Tiberium, ut filiam ejus Constantinam uxorem duceret, & à socero Imperator crearetur. Cœpit imperare anno Christi 583 & imperavit annos 20. Coronatus est spectante populo & socero à Patriarcha Constantinopolitano Johanne, qui propter crebra jejunia dictus est νηστευτής, id est, jejunator. Initia Mauricii satis gloriosa fuerunt, sed exitus admodum tragicus. Bellum ab Oriente ipsi intulerunt Persæ, ab Occidente Avares, qui cum sociis Hunnis ex Asia effusis Ungariam occuparant oppressis Gothis & Gepidis. Persicum bellum vario marte gestum est, donec tandem ipsi Persæ inter se discordes essent & sic Romani victores evaderent. Etenim Persæ regi suo Orimasdæ oculos effoderant, quem porrò Cosroës filius occidit, unde tanquam nefarius parricida subditis exosus factus ad Romanos confugit, & pacem cum Mauricio fecit, cujus auxilio in regnum est reductus. Rex Avarum fuit Caganus, cum quo variæ vices belli fuerunt. Hujus superbiam, potentiam, & militiæ usum narrant historici. In Asia Caganus bella gesserat cum Turcis, quorum prima mentio in historiis est hoc tempore, ceperat 12000 Romanorum militum, pro quibus singulis redimendis quum posceret unum aureum, & Mauricius pecuniam numerare nollet, sive avaritiâ sive pertinaciâ ductus, Caganus omnes trucidari jussit. Hinc ergò militibus suis sordere cœpit Mauricius, & ortæ sunt in reliquis exercitibus seditiones, præsertim quia & Petrus frater Mauricii dux stipendia indignè pendebat. Eò excrevit odium, ut Mauricius in die natali Christi ingrediens in templum pene lapidibus esset obrutus. Sic mirificè mutata est fortuna Mauricii. Cœpit

pit etiam sævitiam exercere in cognatos propter suspiciones affectati imperii. Somniavit se tradi interficiendum centurioni Phocæ: & quum intellexisset, Phocam illum esse hominem ambitiosum & timidum, respondit: Si timidus, ergo homicida. Orto igitur in urbe & in castris tumultu Phocas Imperator à militibus creatur, qui sine mora properat Constantinopolin, ubi in suburbano à Patriarcha Cyriaco coronatur, & in urbem ingressus à populo recipitur. Mauricius ægrotus cum conjuge & liberis Chalcedonem fugerat, sed mandato Phocæ retractus & cum tota familia sua occisus est. Agnovit in ipsa pœna Mauricius justum Dei judicum, ideoque exclamavit ex Psalmo 119. Justus es Domine, & justum est judicium tuum.

Synchronismus.

1. Romæ Episcopus fuit Gregorius Magnus, qui sedit ab anno Christi 590 annos 13, autor purgatorii ignis, litaniarum, processionum, expiationum per missas, invocationis Sanctorum, lustrationis in festo purificationis Mariæ, stationum, peregrinationum, & id genus aliorum abusuum horrendorum in Ecclesia. Usum lactis, carnis, casei, ovorum interdixit jejunantibus. Sacerdotibus uxores suo decreto ademit; at quum die quâdam in vivario suo ubi pisces habebat plusquam 6000 capita infantum extracta vidisset, pœnituit eum facti, damnatoque decreto suo Apostolicum laudavit: Melius est nubere quàm uri.

2. Johannes Patriarcha Constantinopolitanus vulgò dictus jejunator affectat titulum OEcumenici seu Universalis Episcopi, cui sese acriter opponit Gregorius M. Romanus Episcopus, eique hunc titulum publico decreto abrogat ex illo fundamento, quòd hic titulus sit manifestissima nota Antichristi. Atque hoc est primum certamen de primatu in Ecclesia, in quo Antichristus mirificè sese prodidit, ut prorsus non sit opus Romani Episcopi primatum defendere ex primatu Petri Apostoli, qui planè nullus fuit. Notetur igitur hoc in loco prima occasio tyrannidis pontificiæ in Ecclesia. *Primum certamen de primatu in Ecclesia.*

3. Sanctorum imagines autoritate Gregorii M. in templis approbantur, non ut adorentur, sed ut inspiciantur, & idiotis præstet pictura quod legentibus scriptura anno 601.

4. Post

4. Post 30 tyrannos in regno Longobardorum rursus rex creatus est, nempe Autharus filius Clephis, qui regnavit ab anno Christi 583 annos 6, patre mitior & in gubernatione justior. Primus etiam factus est Christianus, idque hortatu conjugis Theudelindæ, quæ fuit filia Garibaldi regis Bavarorum. Sed non diuturna fuit hæc Longobardorum tranquillitas, siquidem Ticini Autharus veneno sublatus est, & successit Egilolphus anno 589.

5. Quartus igitur rex Longobardorum fuit Egilolphus Authari cognatus, qui ab anno Christi 589 regnavit annos 20, scilicet usque ad annum Christi 609. In Exarchatu verò Smaragdo successit Romanus, qui quum rapinis & expilationibus Romæ aliquandiu grassatus esset, non multò pòst Ravennæ mortuus est. Romanus successorem habuit Callinicum. Inter hunc & Egilolphum ortum est bellum, cui caussam præbuit Callinicus, quòd captâ Parmâ abduxerat filiam & generum Egilolphi. Hic igitur Callinicum non solùm bello reprimit, sed etiam receptis quibusdam oppidis ad urbem Romam obsidendam exercitum ducit. In hisce turbis Callinicus Ravennæ moritur, & mittitur rursus in Italiam à Mauricio Smaragdus, cujus tempore Egilolphus Cremonam vi captam prorsus delevit, & Mantuam deditione cepit, & quum Smaragdus sese imparem videret, pacem fecit cum Egilolpho, quam suadebant Theudelinda Egilolphi uxor & Gregorius Pontifex. Smaragdus igitur bis fuit Exarchus. Nam primò missus est post Longinum, qui obierat anno Christi 584, & contra Longobardos bella gessit, ac tandem cum Autharo inducias fecit; deinde missus est post Callinicum, qui inducias turbaverat.

PHOCAS.

Thracius hic fuit, homo ignobilis, centurio ex odio contra Mauricium Imperator factus. Initium imperii sui ab innocentis sanguinis profusione fecit. Cœpit imperare anno Christi 602, & imperavit annos 8. Homo extremè sceleratus, tyrannus & patriæ calamitas, sub quo omnis generis mala in humanum genus exundarunt. Referunt scriptores de quodam Monacho, qui in sua devotione ex Deo sciscitatus, quare Christianis Imperatorem eum impium imposuisset, vocem audiverit responden-

tem,

tem, deteriorem quo Christianorum peccata punirentur inveniri non potuisse. Coronatus est à Patriarcha Cyriaco, & postea toto imperii tempore potentiâ suâ ad privatam nequitiam & crudelitatem abusus est, turpibus ac vagis libidinibus deditus; & avaritiâ inexplebili provincias exhausit. Imperii curam adeò neglexit temulentiâ & stupris retentus, ut hostes ex omni parte illud invaderent, & quibuscunque potuere modis vastarent, ut splendor ejus & majestas valdè imminuerentur. Quare conspiratione factâ prius Phocæ gener, qui sub Mauricio inter præcipuos duces fuerat, Heraclianus Africæ præses, & Photius cujus uxorem Phocas stupraverat, vires suas militares conjungunt, easque contra Phocam abducunt, in qua seditione Photius occupatâ regiâ Phocam cepit, & ad Heraclium Heracliani filium adducit, ubi milites Phocæ brachia & pedes mutilarunt, pudenda exsecuerunt, & caput præciderunt.

Synchronismus.

1. Gregorius M. Pontifex Rom. moritur anno Christi 604. Hic Phocam laudaverat, sed in odium Mauricii, propterea quod hic Patriarchæ Johanni jejunatori titulum OEcumenici Episcopi, hoc est, Universalis Præsulis Ecclesiæ concesserat, unde exclamasse fertur Gregorius: O tempora, ô mores. Successit Gregorio Sabinianus, qui sedit annum 1. autor pulsus campanarum & lampadum perpetuò ardentium. Hoc tempore incipit Antichristi pubertas. Nam conceptio ejus referenda est ad tempora Apostolorum, siquidem Paulus expressè dicit, jam tum (scilicet quum scriberet ad Thessalonicenses 2. epist. 2. vers. 7.) mysterium iniquitatis operari cœpisse; nativitas pertinet ad Sylvestrum 1, qui ab anno Christi 311 sedit annos 21; pubertas incipit à Gregorio M. qui varia superstitionum & impietatum genera in Ecclesiam invexit, & de primatu cum Constantinopolitano Episcopo contendit. Pertingit autem hæc pubertas usque ad Leonem III, qui sedere cœpit anno Christi 795, & per legatos misit Carolo M. claves confessionis Petri & vexillum urbis. Juventus referatur ad Gregorium VII circa annum Christi 1073. Virilis ætas ad Bonifacium VIII circa annum Christi 1288 Senectus protenditur ab anno Christi 1300 ad sequentia tempora, ubi per universam

Antichristi ætates.

versam

versam Europam & ultra Euangelii doctrina propagata est.

2. *Retectio mysterii iniquitatis*, hoc est, Antichristianismi, de quo Apostolus 2 Thess. 2. incidit in hæc tempora. Jam enim ex Occidente sublatus est is qui retectioni huic obstabat, nempe Imperator Romanus, qui jam in Orientem concesserat. Hactenus Antichristus in Ecclesia latitavit, jam verò in apertum prodit. Etenim Phocas Imp. quum sciret se propter cædem Mauricii etiam apud Occidentales in odio esse, de gratia demerenda cogitare cœpit, & ut Romam haberet benevolentiorem, videretque contentiones de primatu inter Constantinopol. & Romanum Episcopos, jussit Romanum Episcopum superiorem Constantinopolitano & cæteris omnibus dici & haberi. Fuit autem tum temporis Romanus Episcopus *Bonifacius* III Gregorii successor, qui cupidè nomen OEcumenici Episcopi à Phoca concessum arripuit, atque ita caput omnium ecclesiarum cum suis successoribus sese dici voluit, quod factum est anno Christi 607. Constat igitur quâ occasione Pontifex Romanus dicatur caput Ecclesiæ, non à Petro sed à Phoca.

3. Egilolphus quum regnum in Italia tenuisset annos 20, & filio suo Adoaldo, quem ex Theudelinda susceperat, filiam regis Francici despondisset, factâ pace cum Phoca Imp. Aliquantò pòst mortuus est, & successorem habuit filium Adoaldum, qui cum matre Theudelinda regnavit, quâ mortuâ Longobardi propter ignaviam ei regnum ademerunt. In Exarchatu Smaragdo successit Johannes Lamigius missus à Phoca Imp. homo impurus, qui magnum mulierum & spadonum agmen secum adduxit, quod quum ferre non possent Ravennates, Lamigium & hujus familiam trucidârunt.

HERACLIUS.

Hujus pater fuit Heraclianus Africæ præses. Senatus & exercituum consensu factus est Imperator occiso Phoca. Cœpit imperare anno Christi 611, & imperavit annos 30. Eodem die nuptias celebravit cum Fabia Eudoxia, & coronatus est à Sergio Patriarcha, ubi simul sponsa quoque coronata fuit. Primis annis gubernationis insigni

insigni felicitate usus est, postea dum vetitis artibus, ut aruspicinæ, dæmonum præstigiis, hæresi Monotheletarum, & incestis nuptiis se daret, mutata est fortuna, ut non solùm totius Orientis imperium inclinare cœperit, sed etiam Asia ipsi exciderit, præsertim quum Saracenis hostibus eorumque potentiæ non satis maturè occurreret. Sub hoc igitur Imperatore Saracenica potentia adeò crevit, ut deinceps universo generi humano calamitosa & exitialis esset. Cum Persis Heraclio in initio imperii acerrimum fuit bellum. Hi enim per Phocæ ignaviam ereptâ Hierosolymâ & magnâ Christianorum multitudine trucidatâ, multis captivis abductis, occupatâ etiam Syriâ & multis aliis provinciis, insolentiores facti gravissimè insultabant Romanis, adeò ut Cosroës rex legatis Heraclii pacem petentibus superbè responderit, se priusquam Deum crucifixum è medio sustulerit arma non depositurum. Verùm superbam hanc in Jesum Christum Servatorem nostrum blasphemiam Deus mirabiliter ultus est. Nam quum Cosroës regni sui hæredem scripsisset filium natu minorem Mardasam neglecto majore Siroë, cepit hic patrem Cosroëm & carceri inclusit, adductumque fratrem Mardasam in patris conspectu obtruncavit, deinde & patrem interfecit, atque ita regnum invasit. Ut autem in regno securior esset, cum Heraclio pacem fecit redditis captivis quos pater Cosroës imperante Phoca abduxerat, inter quos etiam fuit Zacharias Patriarcha Hierosolymitanus, & ligno S. crucis quod inter alios thesauros fuerat avectum. Antea quidem Heraclius in Syria Cosroëm vicerat ejusque exercitus profligaverat, sed quum accederet domestica illa Cosrois calamitas, faciliùs Heraclius quod voluit obtinuit. In hac transactione Heraclius Syriam & Hierosolymam recepit, & fuit hoc bellum sexennale finitum anno Christi 628. Reversus Heraclius Byzantium ingressus est sedens in curru sine ornamentis triumphalibus, lignum S. crucis in manibus tenens, & Filio Dei pro victoria gratias agens, & in rei gestæ memoriam in Ecclesia instituit festum quod vocatur Exaltationis crucis, quia à Persarum contemptu exaltata crux erat. Hoc festum quotannis celebrari solitum die 14 Septembris. Mutata deinde est fortuna Heraclii. Defunctâ enim priore conjuge Fabiâ Eudoxiâ, ex qua natus ipsi erat filius Constantinus junior,

Saracenorum potentia invalescit.

Festum exaltationis crucis.

junior,cujus posteri aliquot imperium retinuerunt, incestas nuptias habuit cum fratris filia Martina, ex qua natus est ipsi filius Heraclionas. Deinde amplexus est Heraclius errorem Monotheletarum seductus à quodam Athanasio (quem alii Pyrrhum vocant) Jacobitarum Patriarcha Hierosolymitano. Incestus cum fratris filia ne ampliùs odiosus esset, legem tulit ut idem omnibus concederetur; sed postea ei hæc pœna contigit, ut membro genitali per πριαπισμὸν semper erecto vultum suum lotio permingeret, nisi superstructa tabella id prohiberet. Obiit tandem ex hydrope, & successorem habuit Constantinum ex priore conjuge filium, qui imperavit menses 4, veneno necatus à Noverca Martina, ut imperium ad filium suum Heraclionam ex incesto natum transferret, id quod factum est consilia juvante Pyrrho Patriarchâ, qui oderat Constantinum rectè sentientem. Arripuerunt igitur imperium Martina mater & Heraclionas filius, quod fermè sex menses gesserunt (Melanchthon dicit, non toto biennio.) ambo deinde missi in exilium, linguâ matri præcisâ, ne oratione suâ, quâ plurimùm valebat, populum concitaret, filio vero Heracliona naribus mutilato, ut deformitas populo commiserationem adimeret. Reliquus igitur est Constans filius Constantini à noverca veneno extincti ut dictum est.

Synchronismus.

1. Romæ Episcopi fuerunt, Theodatus, qui sanxit ne conjugium fieret inter eos qui spiritualiter, id est, per baptismi vinculum essent cognati, Bonifacius v, Honorius i, Severinus, Johannes iv, & Theodorus. de quibus nihil extat memorabile.

2. Tres Exarchos in Italiam misit Heraclius, Eleutherium, Isaacium & Theodorum Calliopam. Longobardici reges fuerunt, Adoaldus, qui cum matre Theudelinda regnavit, Arioaldus & Rhotaris. Eleutherius, qui fuit in ordine Exarchus septimus, factâ pace cum Longobardis in annos 10, quum videret tranquillam esse Italiam, siquidem Theudelinda pacis erat amantissima, sese regem Italiæ nominat; sed quum Romam exercitum ducit, à militibus interfectus est, & caput præcisum missum est Constantinopolin ad Heraclium, qui in ejus locum misit Isaacium in ordine viii Exarchum. Hic Isaacius pacem cum Longobardis factam produxit in an-

in annos 10,& quum templum Lateranense in electione Severini Episcopi spoliasset auxilio & operâ Mauricii Cathularii præfecti urbis Romæ, subitâ morte extinctus est. Post hunc missus est Theodorus Calliopes in ordine IX, qui Longobardis bellum intulit, sed ad Mutinam victus est à Rhotari Longobardo trucidatis 30000(aliàs 8000) hominum. Post hanc cladem Rhotaris victor regno Longobardico Liguriam adjecit.

3. Christiani à Persis post occupatam Hierosolymam venduntur Judæis,& ab his interficiuntur 90000.

4. MAHOMETUS orditur novum regnum per Asiam, & comminiscitur novam religionem propagando regno suo accommodatam. De ejus ortu variant scriptores,& communis est opinio natum ipsum esse in Arabia parentibus obscuris & pauperibus, & locupleti cuidam viduæ serviviſſe, quam præstigiis in amorem sui pellectam uxorem duxisse referunt. Morbo comitiali quum vexaretur, ne propterea in contemptum adduceretur, suggerente Monacho Sergio, qui ob perversam religionem Byzantio fuerat ejectus, finxit Archangelum Gabrielem de cœlo descendere, & quædam arcana sibi revelare, ad cujus conspectum se vertigine quadam in terram procumbere. Sergius confirmabat hanc fictionem apud Mahometi uxorem, unde mulier prophetæ conjugio gloriata inter cæteras mulieres hæc spargebat. Magna hinc autoritas oriebatur apud populares Mahometo, ad quem accedebant divitiæ uxoris defunctæ; ut jam in Arabia Ismaëliticæ (nempe Saracenicæ, vel rectiùs Agarenicæ) gentis princeps, doctor & legislator haberetur, alios verbis seducens, alios gladio sibi subjiciens. Sic Mahometes factus est dux & caput Arabum, qui nunquam legitimis imperiis paruerunt, anno Christi 622. Hæc dum ita geruntur in Arabia, exercitus Saracenicus militabat Heraclio Imp. contra Persas, & quum stipendia ei non solverentur, & præterea à Quæstoribus contumeliosè turba canum vocitarentur, ab Heraclio defecerunt, in Syriam secesserunt, Damascum & vicina oppida occuparunt, pòst in Ægyptum progressi finitimis regionibus potiti sunt. Ex hac gente præcipuos ad suos allexit Mahometus, eisque persuasit ut regnum peculiare conderent, additâ spe, scripturum se formam religiónis & militiæ genti Saracenicæ convenientissimam. Sic

Mahometicum regnum

novum regnum conditum est, cujus nervi tres sunt doctrina religionis, ceremoniæ, & leges militares. ...natus est Alcoranus, in quo scribendo Sergius Monachus, Judæi, & alii hæretici suum impenderunt laborem, & res ipsa ostendit, duo astutè confusa esse, ...smorum simulationes & dogmata popularia. Hæc ... mâ brevitate de Mahometo, qui dux Saracenorum ...tus paulatim initia regni confirmavit in vicinia Damasci annos 9. Mortuus est anno Christi 632, eique successit Amiras gener, qui Damascum cepit & regni caput constituit, cepit etiam Gazam & Hierosolymam biennio obsessam. Post Amiram ponitur Ahumar seu Haumar, tertius in ordine, qui magnâ Syriæ parte domitâ occupavit Ægyptum, & mortuus est anno Christi 647. Duravit hoc Mahometicum regnum circiter 400 annos, donec rex Saracenicus, qui Persiam tenuit, contra Babylonicam Turcos attraxit tempore Constantini Monomachi.

Alcoranus.

CONSTANS.

Fuit hic filius Constantini junioris, nepos Heraclii. Cœpit imperare anno Christi 642, & imperavit annos 27. Factus est Imperator solius Senatus suffragio sine militum consensu. Princeps illaudatus, & suis exosus propter avaritiam & crudelitatem, parricidium in fratre Theodosio sacris ordinibus addicto commisit, & quum Monotheletis faveret, crudeliter quosdam rectè sentientes tractavit. Adversus Saracenos infeliciter pugnavit, cum quibus inducias fecit ad biennium, & in Italiam profectus, quum à Longobardis vinceretur, Romam perrexit, jactitans se imperium eò translaturum. Romæ non diu commoratus quidquid antiqui operis reperit secum abduxit, ut omnibus ferè ornamentis urbem nudaret. Inde in Siciliam trajiciens quum gravis & molestus esset subditis, in balneo fervente aquâ perfusus & suffocatus est.

Synchronismus.

1. Romæ Episcopi fuerunt Martinus I, Eugenius & Vitalianus. Martinus, quòd Monotheletarum hæresin in Synodo damnasset, ex mandato Constantis Imp. à Theodoro Calliopa Exarcho fraude captus & vinctus Constantinopolin ductus est, indeque in Chersonesum relegatus, ubi fame & squalore carceris est extinctus.

Vita-

Vitalianus perhibetur autor Musicorum instrumentorum & organorum in templis.

2. In Italia Exarchus fuit Olympius, qui mandata Constantis Imp. ostendit, ut Episcopus Romanus Monotheletarum errorem amplecteretur. Quum verò Martinus Episcopus recusaret, percussorem misit Exarchus in templum, qui Martinum interfecturus subitâ cæcitate percussus est. Hoc divini judicii exemplo Olympius ita favere cœpit Martino, ut Ravennatum Episcopum Romano subesse cogeret. Fuit deinde Martinus hortator Olympio ut à Sicilia depelleret Saracenos, quod quum fecisset, mortuus est Olympius, cui successit Theodorus Calliopa, iterum & secundò Exarchus, qui Lateranensem basilicam ingressus Martinum cepit & Constantinopolin misit. Longobardici reges fuerunt; Rodoaldus, qui in adulterio deprehensus & interfectus est; Aribertus, filius fratris Theudelindæ, accersitus ex Bavaria propter virtutem Theudelindæ, quum duces inter se dissiderent. Huic Ariberto successerunt duo filii, Godebertus Ticini & Bertarius Mediolani regnans. Inter hos quum orta esset discordia, Godebertus accersit Grimoaldum ducem Beneventanum, ut opem ferret contra fratrem. Grimoaldus ubi Ticinum venit, sub specie amicitiæ Godebertum interfecit, & sese regem Longobardorum nominavit, regnumque tenuit annos 9, dum interim Bertarius occisi Godeberti frater primò apud Caganum Hunnorum regem, deinde apud Dagobertum regem Francicum exulat. Grimoaldus anno 9 regni sui ruptâ venâ sanguinis fluxu moritur. Quod ubi rescivit Bertarius rediit in Italiam, & regno Longobardico functus est annos 8.

3. Saracenica potentia imperante Constante admodum crevit, ut manifestissima esset pœna in hæreticos Orientales à Deo constituta. Classem enim ex Phœnicia miserunt, & Asiæ littora miserè populati sunt. Magno prælio vicerunt Constantem Imp. in Lycia, ubi tanta strages edita scribitur, ut totum mare occisorum sanguine tingeretur.

CONSTANTINUS POGONATUS.

Filius Constantis, à patre ante Italicam expeditio-

nem consors imperii factus. Cœpit imperare anno Christi 669, & imperavit annos 17. Dictus est Pogonatus, id est, barbatus, (πώγων est barba promissa) quòd imberbis Byzantio in Siciliam abiens ad ulciscendam patris necem barbatus domum rediisset. Orthodoxis contra Monotheletas favit, & ut lites dirimerentur, Synodum instituit Constantinopoli, quæ dicitur OEcumenica VI, congregatis Episcopis 171, (alii 289.) in qua Monotheletarum hæresis damnata est. Contra Saracenos feliciter pugnavit. Inter laudatos igitur Principes hic optimè numeratur. Pace in imperio Orientis & in Ecclesia factâ placidè decessit ex hac vita.

Synchronismus.

1. Synodus Constantinopolitana III, quæ est OEcumenica VI, autoritate Pogonati coacta est propter Monotheletas, qui in Christo non discernebant inter voluntatem divinæ & voluntatem humanæ naturæ, sed unicam statuebant, ut scilicet Eutychianam naturarum confusionem defenderent. Damnata est hæc hæresis.

2. Romæ Episcopi fuerunt, Adeodatus, Domnus, Agatho, Leo II, Benedictus II, & Johannes V. Ex hisce Leo in quadam sua epistola Constantinum vocat regem magnum à Deo coronatum, seque famulum ipsius dicit, & petram, super quam fundata sit Ecclesia, esse Christum. Nondum enim plenam jurisdictionem Pontifices usurpabant. Tradunt tamen historici de privilegio quodam hoc tempore Episcopo Romano concesso, ut ἀνυπεύθυνος esset, & de Ravennate Episcopo in ordinem redacto.

3. In Italia Exarchus adhuc est Theodorus Calliopa. Longobardorum rex fuit Cunibertus Bertarii filius in ordine XII. Hunc regno expulit Alachisus dux Tridentinus, qui antea studio Cuniberti contra Bertarii vim erat conservatus; sed quum Alachisus crudelitatem in sacerdotes exerceret, reducitur Cunibertus, qui victo Alachiso caput & pedes præcidit. Cunibertus moriens reliquit parvum filium Ludbertum, quem Asprando duci commendavit; Sed Reginbertus Taurinensium dux bellum movit puero & Asprando, & victor se regem facit, sed regnum non diutius uno anno tenuit, & successorem habuit filium Aribertum II.

4. Saraceni classe occultè comparatâ Thraciam & Græ-

Græciam invadunt,sed quum viderent se nihil proficere, invaserunt Siciliam & Syracusas subitâ vi ceperunt,indeque omni ornatu, quem Constans Româ abstulerat,abducto, Alexandriam reversi sunt, quòd tutò in Sicilia esse non possent. Quamquam verò postea Byzantio bellum intulerunt, tamen expugnatione desperatâ & militibus atque navibus pluribus amissis cum dedecore tandem discesserunt.Nam arte Callinici architecti ignes sub aqua facti (vocant ignem Græcum) quum naves Saracenicæ incensæ sunt, & magna hominum multitudo periit, alii fugere coacti sunt. Postea ad Maléam Peloponnnesi promontorium propter turbines ac procellas è contrariis ventis ortas reliquæ Saracenorum naves partim scopulis illisæ & confractæ sunt, partim in mare demersæ, adeo ut circiter 30000 Saracenorum perierint. Quare Muthavia Saracenorum dux à Romanis pacem petiit, quæ facta est in annos 30. Movit hæc res cæteros Romanorum hostes in Occidente, ut à Constantino pacem peterent. Oriente igitur & Occidente pacato cœpit Constantinus de pace Ecclesiæ cogitare, & Synodum indixit.

5. Bulgari è Sarmatiæ finibus egressi Thraciam tumultuosiùs adorti sunt, & omnia terroribus compleverunt, & accesserunt ad Mysiam inferiorem, quæ non procul à Byzantio abest, & hodie Bulgaria dicitur. Vide suprà in historia Anastasii Imp.

JUSTINIANUS II.

Fuit Pogonati filius à patre Imperator factus, & ultimus in stirpe Heraclii. Cœpit imperare anno Christi 686,& imperavit annos 16, videlicet annos 10 ante & 6 post exilium. Homo inquietus, crudelis & infelix. Propriis consiliis adolescens adhuc 16 annorum omnia administrare voluit, unde se & rempubl. in clades conjecit. Duos habuit assentatores & sycophantas, quibus nimium tribuit, alterum Theodosium Monachum, quem Generalem nominavit, alterum sacellarium Stephanum. Hi quum petulantiores essent in duces, Leontium unum ex ducibus biennio in carcere detinuerunt, sed exinde elapsus juvante Patriarchâ factus est Imperator, & Justinianum præcisis naribus (unde ῥινότμητος dictus

ctus eſt) Cherſonam relegavit; Sycophantas verò illos duos funibus ad pedes alligatis per urbem tractos combuſſit. Imperium tenuit Leontius triennio, ejectus deinde ab Apſimaro, qui ex Africa rediens pulſus à Saracenis dictus eſt à militibus Imperator, & Leontium truncatis naribus in monaſterium incluſit, imperiumque tenuit annos 7. Interea Juſtinianus Imperat. qui Cherſonæ exulabat fugâ elapſus ad Caganum Avarum principem ſe contulit, à quo honorificè exceptus, ſororem ejus Theodoram uxorem duxit, ſed quum id doloſè & inſidioſè factum animadvertit, præmonitus à conjuge ad Trebellium Bulgarorum principem venit, cujus auxilio Byzantium reductus graviſſimè hoſtium ſuorum perfidiam ultus eſt. Nam Leontium & Apſimarum per forum vinctos duci juſſit, ludis circenſibus ſpectaculo exhibuit, proſtratis colla calcavit, & capita eis præcidi juſſit; Stallinico Patriarchæ oculos effodit; Heraclium Apſimari fratrem ſuſpenſum ſtrangulavit. In Trebellium ingratus fuit, bellum propter contentionem de finibus ipſi inferendo, ſed victus magno cum dedecore Byzantium rediit. Adverſus Cherſonenſes etiam claſſem miſit, ubi quum immanem ſævitiam exercuiſſet, Cherſonenſes & finitimi ad defectionem impulſi Philippicum Bardanem Imperatorem ſalutarunt, ſuadente Elia principe exercitus, cujus duos filios Juſtinianus in ipſo matris ſinu interfici præceperat, uxorem verò per contumeliam ſervo coquo matrimonio junxerat. Philippicus Bardanes jam Imperator renunciatus ſine mora Byzantium properat, & urbem Juſtiniano abſente præoccupat, quem advenientem & cum filio Tiberio ad aras fugientem inde abſtractos occidit, Elia illo ſuis manibus Juſtiniani caput amputante. Sic tres Imperatores exiguis intervallis occiſi ſunt, Leontius, Apſimarus, & Juſtinianus, in quo Heraclii progenies defecit. Incidit autem Juſtiniani obitus in annum Chriſti 712.

Synchroniſmus.

1. Romæ Epiſcopi fuerunt, Cuno, Sergius, Johannes VI, Johannes VII, Siſinius, qui ſedit dies 20, & Conſtantinus I, cujus pedes Juſtinianus Imp oſculatus eſſe dicitur.

2. Epiſcopatus Ultrajectinus per hæc tempora conſtitutus ſcribitur, Epiſcopo Wilibrodo Cathedram primùm

mùm tenente. Fuit Wilibrodus Britannus.

3. In Italia Exarchi fuerunt, Johannes Platina missus à Justiniano, & Theophylacius missus ab Apsimaro. Platina propter dissensionem quæ Romæ erat de electione Pontificis venit eò pecuniâ corruptus, ut Paschalem crearet Romanum Episcopum, quod tamen perficere haud potuit, quia Paschalis damnatus erat propter magicas artes & in monasterium inclusus, ubi dolore animi extinctus est. Rediit igitur Platina Ravennam spoliatis Romæ templis. Theophylacius quum in Italiam venit, & direptiones ac cædes metuerentur, præsidia quæ Romæ & Ravennæ erant sese contra eum conjunxerunt, sed Romanus Pontifex velut arbiter dimicationem impedivit. Longobardorum reges fuerunt, Aribertus II & Asprandus. Aribertus hic fuit filius Regimberti, qui injustè regnum occupaverat, ut suprà diximus. Tenuit regnum annos 12, sed magna cum difficultate, siquidem injustus erat regni hæres, quod tandem unà cum vita amisit. Nam duces Asprandus & Rhotaris reducturi legitimum hæredem Ludbertum Cuniberti filium magnum prælium ad Ticinum fecerunt, in quo Ludbertus regni hæres captus & aliquantò pòst interfectus. Asprandus in Bavariam fugiens ibi novennium exulat, & deinde adjutus à Dietberto Bavariæ duce redit in Longobardiam, & magno prælio vincit tyrannum Aribertum, qui in fuga in Ticino periit. Post hunc Asprandus regnum tenuit tres menses, & successorem reliquit filium Lutbrandum.

4. Saracenica potentia vires sumit. Fecerat cum Saracenis fedus Constantinus Pogonatus, Justiniani II pater, quod filius rupit eam ob caussam quòd annui tributi moneta signum haberet non Romanum sed Arabicum. Saraceni precibus instant ne inducias sacro juramento confirmatas rumperet. Sed Justinianus obturatis auribus ad pugnam ferebatur confisus militibus, quos ex Slavicis gentibus à se devictis delegerat, iisque novi & acquisiti populi nomen indiderat. Ruptis igitur induciis ad pugnam ventum est, ubi Mahometus Saracenorum dux induciarum tabulis hastâ suspensis & vexilli instar ante exercitum elatis cum Imperatore congreditur. Novus ille & acquisitus populus ad numerum 20000 à Justiniano deficiunt, & Saraceni victores eva-

dunt & Romanas provincias invadunt. Præterea Armeniæ prætor Sabbatius Patricius post hanc Justiniani cladem Saracenis Armeniam tradidit, quam tamen postea recuperavit Heraclius Apsimari frater, sed non diu retinuit, ademptam iterum à Saracenis, qui nunc demum Africam & Libyam supra Ægyptum sine ullo impedimento sæpè devastatam retinuerunt.

PHILIPPICUS BARDANES.

Quomodo hic factus sit Imperator suprà dictum est. Cœpit imperare anno Christi 712, & imperavit annos 2, menses 9. Gubernatio ejus fuit infelix. Opes imperii jam pridem congestas exiguo tempore dissipavit. A Bulgaris Thraciam vastari passus est, qui ad ipsam usque urbem incursarunt & magnâ prædâ onusti impunè domum redierunt. Saraceni quoque sub ipso eodem modo Orientem infestarunt. In templis delevit imagines, sed adversus concilium OEcumenicum VI, in quo Monotheletæ damnati fuerunt, conventum alium in gratiam cujusdam Monachi, qui ipsi imperium prædixerat, coëgit, in quo Monotheletarum error fuit defensus. Consilio Artemii Secretarii oculis privatus & in carcerem conjectus, ipse verò Artemius regno inauguratur, eique nomen Anastasii inditur.

Synchronismus.

Εἰκονολατρεία in disceptationem venit in hac occasione: Synodi in gratiam Monothelctarum à Bardane Monotheleta institutæ acta ad Constantinum Episcopum Romanum perscribebantur, in quibus quum inter alia approbaretur imaginum è templis ejectio, Pontifex Constantinus indignatus, picturas patrum, qui in sex conciliis OEcumenicis interfuerant, aliasque imagines delineatas, in porticu D. Petri exhiberi curavit, idque in odium Philippici Bardanis, qui ejusmodi imagines, quæ in regia urbe habebantur, auferri jusserat, addito edicto, ut Sanctorum statuæ & imagines ex omnibus templis abolerentur. Hinc Pontifex Romanus exacerbatus Philippicum schismaticum judicavit, jussitque ne ulla in re divina ejus mentio fieret, & convocatâ Synodo circa annum Christi 713 contra manifestum Dei verbum imagines non modò habendas in templis, sed etiam

summâ

summâ veneratione colendas primus decrevit. Hac occasione inter Græcas & Latinas Ecclesias de usu & cultu imaginum in templis acriter disceptari cœptum est. Et quia Orientales cum hac bona caussa permiscebant malam, magis exosi fuerunt Occidentalibus.

ARTEMIUS.

Fuit hic inter Secretarios præcipuus, vir in omni doctrinæ genere eruditus, & ad res gerendas versutissimus. Cœpit imperare anno Christi 715, & imperavit annum 1, & menses 3. Dictus est Anastasius II. & quum amans concordiæ esset, repressit eos qui sextam Synodum oppugnabant. Bellum suscepit in Saracenos, sed nihil profecit, ideoque milites quum Atramittium venissent, quendam Theodosium publicorum vectigalium exactorem Imperatorem licet invitum salutarunt. Hic pulso Artemio & in monasterium incluso tenuit imperium non ampliùs uno anno, idque volens cessit Leoni Isauro, sed postea quum ipsum hujus permutationis pœniteret, collectis Bulgarorum copiis Byzantium venit, sperans se humaniter à populo exceptum iri. Sed spes fefellit. Bulgari enim pecuniâ corrupti Artemium Leoni tradunt, à quo occisus est; Theodosius verò Adramittenus acceptâ securitatis fide unà cum filio factus clericus reliquum vitæ tranquillè exegit.

LEO III, aliàs CONON ISAURUS.

Hic patriâ fuit Isaurus, unde olim Conon Isaurus est dictus, homo obscuri nominis, cujus parentes sedentariam exercuerunt. A Justiniano secundo unà cum parentibus Byzantium est translatus, & postea rei militari deditus eò pervenit, ut ab Artemio dux Orientis constitueretur, & deinde Adramitteno surrogaretur. Cœpit imperare anno Christi 717, & imperavit annos 24. Dictus est εἰκονομάχος, quia nullâ prorsus ratione imagines in templis tolerari voluit, unde in acerrimum odium venit apud Occidentales ecclesias, & maximè apud Romanam, unde etiam fulmine excommunicationis percussus est. Gravissima ei bella fuere cum Saracenis, qui

horribili clade affecerunt imperium, & Constantinopolin circumsederunt, sed fame depulsi sunt. Mortuus est Leo dysenteriâ.

Synchronismus.

1. Romæ Episcopi fuerunt Gregorius II & Gregorius III.

2. Synodus à Leone convocata est circa annum Christi 730, in qua controversia de imaginum cultu, deque intercessione Mariæ Virginis, & Sanctorum, ac de mortuorum reliquiis discutienda fuit proposita, & post multam disputationem conclusum ac decretum est, imaginum ac reliquiarum cultum verè esse idololatriam & Sanctorum intercessionem fabulam. Hinc Leo Imp. imagines & statuas in medio urbis comburi jussit, & picturas parietibus illitas albario obtexit. Pontifici Romano Gregorio II ut idem faceret mandavit; sed hic Synodum indixit anno Christi 733, in qua imaginum cultus approbatus, decretus & mandatus fuit, Leonis Imp. decretum damnatum, & ipse Leo anathematis fulmine notatus est. Prohibuit etiam Gregorius Leoni Imp. tributa solvi per Italiam. Præterea totum Occidentem conatus est Gregorius abalienare à Leonis obedientia, unde deinde cum Francis fedus inire cepit, ut dicetur.

3. In Italia Exarchi fuerunt Paulus & Eurichus, ambo per successionem à Leone missi. Paulo mandaverat Leo Imp. ut Gregorium III Romanum Episcopum caperet, quod propter εἰκονομαχίαν Leoni tributa jusserat negari. Sed à Romanis cum filio interfectus est. Eurichus verò quum literis Romanos cives contra Gregorium incitaret, fulmine excommunicationis notatus est. Longobardorum rex fuit Lutbrandus in ordine XVI, qui regnavit annos 22, & bellum movit contra Exarchos missos adversus Gregorium III. Sed pace cum Euricho factâ impetravit à Pontifice liberationem ab anathemate pro Euricho. Misit etiam auxilia Carolo Martello contra Saracenos, qui numero 300000 in Galliam infusi fuerant & omnes deleti anno Christi 730. Hic Carolus Martellus fuit avus Caroli M. Porrò Lutbrandus quum bellum gereret adversus ducem Spoletanum, ut rebelles cognatos in officio contineret, Pontifex Romanus addit exercitum Spoletano, sed frustra, quia virtute Ducis Rachisii victus est Spoletanus. Iratus igitur Lut-

Lutbrandus Romano Pontifici, Romam duxit exercitum, eamque obsidione cinxit. Quid pontifex? Quum à Leone Imp. quem sibi habebat infensum, auxilium sperare non posset, & magna esset autoritas Caroli Martelli præfecti aulæ regis Francici, petit ad hoc ut Lutbrandum ad deserendam urbem inducat, id quod impetratum est. Erat enim summa amicitia inter Lutbrandum & Martellum.

4. Saracenicæ res sub Leone III miris modis mutantur. Regnante Constantino Pogonato Byzantium obsederant circa annum Christi 674, unde repulsi jam cum majore classe redeunt post annos circiter 40, & rursus duce Masgada Constantinopolin biennio obsident, sed fame & peste perierunt, naves submersæ sunt, & sic Saraceni repressi. Interim à tempore Mahometi primi Saraceni potiti sunt Arabiâ, Palæstinâ, Syriâ, Persiâ, Ægypto, Africâ, & ex Africa trajecerunt in Hispaniam, quam quum annos 10 tenuissent in Galliam usque ad Turonum 370000 infusa sunt.

5. Francorum rex hoc tempore fuit Theodoricus Gala, sub quo Carolus Martellus fuit major domus, id est, præfectus aulæ, qui gradus dignitatis Regi fuit proximus; sed origine suâ fuit Dux Brabantiæ, natus patre Pipino, quo mortuo noverca Woldtruda eum in Colonia Agrippina carceri inclusit, unde tamen divinitus evasit. Francici principes ei regnum obtulerunt; quod detrectavit, paternâ dignitate contentus, quam tenuit annos 26. Mortuus est Martellus anno Christi 741, relictis tribus filiis, Carolomanno, Pipino & Griphone. Ex Pipino natus est Carolus Magnus anno Christi 742.

Carolus Martellus.

Carolus Martellus recusat regnum Francicum.

CONSTANTINUS COPRONYMUS.

Fuit filius Leonis Isauri, vivo patre coronatus à Germano Patriarcha. Dictus κοπρώνυμος, quia quum baptizaretur ventris excrementis aquam baptismi inquinaverat. Cœpit imperare anno Christi 741, & imperavit annos 34. Princeps crudelis & sceleratus; in delendis tamen imaginibus patre vehementior, quam ob caussam contra ipsum factus est Imperator Artabasdus, quem prælio victum cepit, eique & duobus ejus filiis oculos effodit.

effodit. Patriarcham Germanum, quòd consenserat in electionem Artabasdi, vapulare jussit, & impositum asino conversâ facie ad caudam quam manibus teneret, circumvehi. Syriaco bello contra Saracenos suscepto quædam oppida recepit, & bellum contra Bulgaros ita confecit, ut hi pacem petere cogerentur. Extinctus est morbo elephantico.

Synchronismus.

1. Romæ Episcopi fuerunt, Zacharias, Stephanus II, Paulus I, Constantinus II, Theophylactus, Philippus, Stephanus III, & Adrianus.

2. Synodus Constantinopoli coacta est anno Christi 753 à Constantino Copronymo, in qua congregatis patribus 338 imagines in templis earumque defensores damnati sunt. Anno verò Christi 768 antisynodus Romæ convocata est à Pontif. Stephano III, in qua contra Concilii Constantinopolitani decreta statutum est, imagines in templis esse retinendas & venerandas.

Antisynodus.

Exarchatus exspiratio.

3. In Italia exspirat Exarchatus. Nam contra Eurichum ultimum Exarchum Aisdulphus rex Longobardorum Ravennam cepit. Fuerunt autem imperante Copronymo tres reges Longobardorum, Hildebrandus, Rachisius & Aisdulphus hujus frater, homo crudelis & timidus. Hic annos 8 regnavit, Ravennam occupavit, & oppida quædam Romanæ sedi ademit. Et quia processurus erat ad urbem Romam, Stephanus Pontifex frustra implorato Copronymi auxilio discessit in Galliam, petiturus ut Pipinus, qui jam erat rex Francicus, tyrannum reprimeret. Pipinus petitioni Pontificis cedens duxit exercitum in Italiam, vincit Aisdulphum, eumque cogit datis obsidibus promittere pacem. Quibus ita peractis redit in Galliam Pipinus, sperans omnia in tuto esse, sed redit ad ingenium Aisdulphus, & Pipinus iterum à Pontifice vocatus quum in Italiam rediit, cogit Aisdulphum relinquere Ravennam & alias Italiæ urbes, quas partim Pontifex, partim Exarchi tenuerant, sed regnum Longobardicum ei non ademit. Post factam pacem Aisdulphus iterum res novas moliens in venatione apoplexiâ moritur, anno Christi 756. Cœpit Exarchatus anno Christi 568 & desiit anno 744. Duravit igitur annos 176. Porrò Aisdulpho in regno Longobardico successit Desiderius dux Etruriæ, & regnum tenuit annos 18.

Contra pacis conditiones Pipino promissas Ravennam occupavit & alia vicina oppida. Quare Pontifex Adrianus auxilium petit à Carolo rege Francico Pipini defuncti filio. Cui Desiderius exercitum in faucibus Alpium opponit: sed victus Ticinum fugit, ubi decem mensium obsidione fame coactus deditionem fecit. Quia verò Longobardi pacta toties violaverant, Carolus regnum Longobardicum in sua potestate retinuit, & Francico præsidio munivit: Desiderium verò captivum Leodium relegavit. Atque hic etiam finis est regni Longobardici, quod ab anno Christi 568 duravit usque ad annum 774, videlicet annos 206. Hæc initia fuerunt potentiæ Francorum in Italia.


Regni Longobardici exspiratio.

4. In regno Francico insignis orta est mutatio. Etenim Childericus rex Theodorici filius, homo stupidus & ignavus, quum omnem regni curam rejiceret in Pipinum Caroli Martelli filium, & totus in otio viveret, factum est autoritate Zachariæ Pontificis Romani, ut proceres regni juramento liberati Childericum coëgerint regium nomen deponere. quod ad Pipinum transtulerunt, ipsum verò Childericum monasterio incluserunt anno Christi 750. Et sic prima stirps regum Francorum, quæ à Pharamundo duravit annos 331, extincta est in Childerico; & secunda incepit in Pipino, quæ duravit usque ad Hugonem Capetum annos 237, nempe usque ad annum Christi 987, quo Imperator Romanus fuit Otho III. Cœpit ergo Pipinus regnare anno Christi 750, & regnavit annos 18. Cohibuit in Italia Aisdulphi furores, & deinde bella gessit contra Saxones & Bavaros, quos coëgit suis finibus esse contentos, nec quicquam inhumanum adversus illos statuit. Obiit anno Christi 768, relictis duobus filiis Carolo & Carolomanno, quorum hic anno ab obitu patris 3 mortuus est, ut solus deinde regnaret Carolus qui dictus est Magnus, cujus regno tribuuntur anni 46, scilicet ab anno Christi 768 usque ad annum 814. Primò autem Saxoniam bello est aggressus, & deinde regni Longobardici in Italia finem fecit, ut dictum est. Rex Franciæ fuit annis 33 priusquam Imperator Romanus factus est, quo temporis intervallo egregia fortitudinis bellicæ specimina edidit, tum in Italia, tum in Gallia & Germania. Porrò familia Carolo hæc est:

Pipinus fit rex Franciæ.

Carolus M.

Caro-



5. Parlamentum seu summum judicium in Gallia à Pipino initio Lutetiæ constitutum esse ex scriptoribus refert Melanchthon.

6. In Oriente ex portis Caspiis effusi Turcæ in Colchicam & Armeniam irruperunt, ubi cum Saracenis præliati sunt. Et hæc forsan caussa est cur Saraceni adversus Copronymum nihil memorabile egerunt. Atque hæc est secunda eruptio Turcarum celebrior quàm illa prima quæ accidit tempore Mauricii Imp. ubi bella gesserunt Turcæ contra Persas, à quibus tamen repressi sunt. Sunt autem montes Caspii vicini Iberiæ, ubi nunc quoque uberes sunt venæ metallicæ.

7. S. Bonifacius, qui Germanis verbum Dei prædicavit; circa hæc tempora fundavit tres Episcopatus, Herbipolensem, Æstetensem & Frisingensem, nec non cœnobium Fuldense in Sylva Buchonia. Primus Episcopus Herbipolensis fuit S. Burghardus, Æstetensis verò S. Wilibaldus.

LEO IV.

Filius Copronymi, qui patri in imperio successit, cœpit imperare annoChristi 775, imperavitque annos 5. Uxorem duxit Irenen Atheniensem, ex qua suscepit filium Constantinum, quibus deinde post obitum Leonis imperii summa commissa est. In delendis imaginibus patrem imitatus est, indignum esse dictitans in prætorio ali Dei hostes, quum Deus jubeat morte affici idololatras. Exercitum misit in Syriam contra Saracenos, quos irritavit magis quàm repressit. Filium Constantinum puerum à Patriarcha coronari curavit, & paulò pòst pater febre extinctus est.

Syn-

Synchroniſmus.

1. Romæ Epiſcopus fuit Adrianus, qui ab anno Chriſti 772 ſedit annos 23. Contra Deſiderium Longob. petiit auxilium à Carolo Francico rege, ut ſuprà dictum, & ſcribitur Carolo conceſſiſſe jus ordinandi ſedem Apoſtolicam.

2. Collegium Oſnabrugenſe in Weſtphalia & Epiſcopatus Halberſtadenſis à Carolo M. conſtituuntur anno Chriſti 777, ut ex Crantzio annotat Bucholtzerus. Et ſanè circa hæc tempora Carolus in bello Saxonico fuit occupatiſſimus, quod tricennale fuit, & quo nullum à Carolo geſtum fuit atrocius.

IRENE.

Eſt relicta vidua Leonis IV, quæ poſt defunctum maritum imperium cum filio Conſtantino adoleſcentulo ſuſcepit. Cœperunt imperare anno Chriſti 780, & ſimul imperarunt annos 10. Poſtea filius grandior factus, quum ſcilicet eſſet annorum 20, ut ſuis conſiliis imperium regeret, quoſdam matri addictos removit, unde magna exacerbatio inter matrem & filium extitit, in qua filius matrem Irenen ope Armeniaci exercitus imperio movit, quod deinde ſolus gubernavit annos 7, & quum Nicephorum patruum de imperii affectatione ſuſpectum haberet, oculos ei effodi juſſit. Matris conſilio antea uxorem Mariam repudiaverat, inque monaſterium detruſerat, & aliam duxerat, unde omnium odia in ſe concitaverat, ex quo mater jam occaſionem nacta eſt ulciſcendi injuriam ſibi illatam. Mittit igitur certos homines Conſtantino filio infenſos, à quibus captus & oculis privatus eſt, & poſt paucos dies dolore extinctus. Oppreſſo hoc modo Conſtantino filio mater redit ad imperium idque tenuit tres annos, & quia γυναικοκρατία Græcis erat ignominioſa, & omnia fierent turbatè ac crudeliter, relegata eſt Irene in inſulam Lesbum, ubi mortua eſt anno Chriſti 803. Succeſſit ei Nicephorus frater Leonis IV, qui ab anno Chriſti 802 cœpit in Oriente imperare, & imperavit annos 8 & menſes 8. Quum autem in Occidente variæ fuiſſent ſeditiones & motus, maximè per Italiam, factum eſt eodem hoc tempore, ut Carolus Franciæ rex propter juſtitiam & fortitudinem Ita-

liæ

liæ gubernator cum nomine Imperatoris constitueretur. Duo ergo in Imperio Romano jam existunt Imperatores, Orientalis alter, alter Occidentalis; ille Nicephorus, hic Carolus M. de quibus in sequentibus dicendum.

Synchronismus.

1. Synodus Nicena II, quæ est OEcumenica VII, indicta est à Constantino & hujus matre Irene, in qua Episcopi dicuntur fuisse 350, & ipse Imperator interfuit. Decretum factum est de statuis & imaginibus restituendis & honorandis, nec non de reliquiis Sanctorum adorandis. Irene etiam cadaver Copronymi soceri publicè effossum cremari, cineremque in mare projici jussit, quòd idola è templis ejecta contrivisset & combussisset.

2. Episcopatus Mindensis à Carolo M. fundatus est anno Christi 785, quo Witekindus depositâ cum armis superstitione ethnicâ suscepit professionem religionis Christianæ. Triennio pòst idem Carolus condidit Episcopatum Bremensem, eique Episcopum præfecit Wilhadum natione Anglum.

3. Parisiensis Academia à Carolo M. instituta est autore Alcoino discipulo Bedæ & præceptore Caroli M. anno Christi 791. Quo eodem anno Episcopatus Monasteriensis est conditus.

4. Saxones, quum jam antè aliquoties victi à Francis fidem Christianam modò accepissent, modò iterum rejecissent, tandem anno Christi 785 à bellis quiescentes, & apostasiæ culpam deprecantes, à Carolo M. veniam & impunitatem impetrant, & unà cum Witekindo duce suo Christianismum & baptismum accipiunt.

Atque hæc de Imperatoribus Græcis dicta sufficiant, accedimus igitur ad classem tertiam quartæ Monarchiæ de Imperatoribus Germanis, quorum primus fuit Carolus Magnus.

Quar-

QUARTÆ MONARCHIÆ classis tertia, quæ est Romanorum Impp. Germanorum.

EX superioribus intelleximus quomodo Romanum imperium, quod priscorum virtute ita fuit amplificatum, ut maximas Asiæ, Europæ & Africæ partes comprehenderet, temporis progressu intestinis bellis adeò fractum & enervatum sit, ut exteris gentibus vel invitatis vel ultrò infusis, subditis verò injustæ dominationis impatientibus prædæ esse cœperit. Mahometica potentia novi dogmatis inventione propagata Asiæ & Africæ maximam partem eripuit, & quidem tantâ celeritate, ut priùs vires acceperit quàm ab aliis cognita sit. Sumpto enim initio ex Arabum latrociniis, Saracenica turba in Asiæ & Africæ provincias Romanis subjectas mox sese diffudit, quibus etiam Persici regni provincias adjecit. Deinde mare ingressa Gothis per Hispaniam deletis vel saltem in angusta loca coactis, in ipsas Gallias quoque penetravit; ubi Francorum virtute repulsa est. Hic est furor Saracenorum per Asiam, Africam & Europam, quo Romani imperii dignitas valdè concussa est. Nec minor calamitas in Occidente fuit. Italiam occuparunt Vandali, Gothi, Hunni & Longobardi: Hispaniam Vandali & post hos Gothi: Galliam Gothi & Burgundi, & his tandem oppressis Franci; Pannoniam Gothi & Hunni: Britanniam humiliorem Angli è Saxonibus accersiti, qui dicti sunt Anglo-Saxones, sublimiorem Scoti; Mysiam & Thraciam infestabant Heneti. Sic undiquaque imperium miserè afflictum & laceratum est. Quum igitur Byzantini imperii nervus incursationibus Saracenorum, Turcorum & Sarmatarum tantùm non incederetur; Italia verò per annos 300 & ampliùs à peregrinis gentibus continuis bellis vexaretur, & Græcorum Impp. auxilio destituta Saracenos, qui ex Sicilia littora Italiæ vicina aliquoties tentarant, metueret, Longobardos odisset, & Exarchos non defensores sed tyrannos deprehenderet; Francos attraxit, qui sedibus in Gallia fixis etiam magnæ parti Germaniæ dominabantur. Facta igitur est conjunctio Italiæ, Germaniæ & Galliæ toti Europæ salutaris,

Caussa collapsi imperii Romani.

Mahometica potentia, ad quam Saraceni accessere.

Vandalorum, Gothorum, Hunnorum & Longobardorum furor in imperium.

Italia multis modis vexata tandem Francos accersit.

Per Francos fit con-

Junctio Italiæ, Germaniæ & Galliæ.

ris, quâ hostes facilè reprimebantur, & plerique ad Christianæ religionis societatem perducebantur, solis Saracenis magna ex parte deletis. Etsi autem inter successores Caroli M. etiam bella civilia orta sunt, profuit tamen imperii translatio in Occidente posteritati circiter 300 annos, videlicet usque ad Henricum IV. Cujus tempore sceleribus Pontificum hoc imperium languefactum est. Teneatur igitur quomodo Deus transferat & stabiliat imperia, scilicet quum is qui arma induit est ἀμυνήμων, hoc est, atrocis injuriæ propulsator. Quocirca si omnem historiam probè perlustraverimus, caussam divulsionis imperii Occidentalis ab Orientali duplicem inveniemus, Politicam & Ecclesiasticam. Politicam in Exarchorum tyrannide, luxu & ignavia. Ecclesiasticam verò in εἰκονομαχίᾳ, seu contentione de cultu imaginum, quæ fuit inter Impp. Græcos & Episcopos. Hinc enim Romani Episcopi secessionem fecerunt ab Impp. Græcis, imaginum & idolorum hostibus: & sese ac res Romanas ad Francos inflexerunt, ut scilicet εἰκονολατρείαν minori cum impedimento haberent liberiorem, unde tandem accidit ut sub Constantino Leonis IV & Irenes filio, Caroli M. genero, artibus Episcoporum & consensu Imperatoris utriusque, celebraretur Synodus Nicena, quæ est OEcumenica VII, in qua anno Christi 787 εἰκονομάχοι sunt damnati, imagines restitutæ & reliquiæ Sanctorum ut adorarentur productæ. Tum temporis certamen quoque de μεταποιήσεως, hoc est, transsubstantiatione panis Cœnæ in corpus Christi motum est, ut annotat Peucerus in Chronico, fol. 670, ubi ait certaminis hujus autorem fuisse Johannem Damascenum. Fuit autem hic Damascenus Monachus qui Damasci in Syria floruit, cujus scripta hodie leguntur.

Pontificum Romanorum scelera labefactant imperium.

Duplex caussa divulsionis imperii Orientalis ab Occidentali.

1. Exarchorum ὕβρις.

2. εἰκονομαχία.

Romani Episcopi in Occidentali imperio obtinent εἰκονολατρείαν.

Transsubstantiationis autor Johannes Damascenus.

CAROLUS MAGNUS.

Caroli M. familia.

Natus est Carolus anno Christi 742 patre Pipino, qui Childerico propter ignaviam amoto virtute factus est rex Franciæ. Fratrem habuit Carolomannum, cum quo partitus est regnum, sed eo defuncto solus regnavit. Ex sorore nepotem habuit Rolandum, filium Milonis Comitis Angleriæ, ingentis tum animi tum corporis virum, unde in hunc usque diem Colossi ejus in Saxonia monstrantur.

ſtrantur. Mellif. p.3. fol.79. Peuc. fol. 651. Periit hic Rolandus ſiti in pugna contra Saracenos anno Chriſti 800. Peuc. fol. 659. Adoleſcentiam ingreſſus Carolus ſtudioſè linguam Latinam didicit doctore Petro Piſano Diacono; deinde Lutetiæ in Philoſophia & Eccleſiæ doctrina inſtitutus fuit præceptore Alcoino Anglo, Bedæ presbyteri in Anglia & Chronologi doctiſſimi auditore. In patrio & Latino ſermone facundus fuit, & Græcos legatos Græcè loquentes intellexit, quibus etiam Græco idiomate ſed paucis reſpondere potuit. Lectione Auguſtini multùm delectatus fuit. Vita domeſtica pietatis erga Deum, probitatis erga homines, nec non ſingularis temperantiæ exemplum fuit; publica verò ardoris in propaganda Eccleſia & fortitudinis eximiæ in defendenda patria. Antequam Imperator crearetur plurima geſſit bella, Aquitanicum, Longobardicum, Saxonicum, Saracenicum, Bavaricum, Sorabicum, Hunnicum, Danicum, &c. de quibus vide Peucerum fol. 653 & ſeqq. Mellif. p. 3. fol. 77 & ſeqq. Ex hiſce bellis difficilima & maximè diuturna fuere Saxonicum & Hunnicum, quamvis & Saracenicum periculoſiſſimum fuerit. Bellis hiſce confectis quum tumultus eſſet exortus Romæ anno Chriſti 799, & Romanis ea quæ imperii erant invadentibus ſeſe oppoſuiſſet Pontifex Leo III, & hic in tumultu illo malè tractatus profugiſſet ad Carolum in Saxonia tunc ad Padebornam hærentem, Carolus auditis Pontificis querelis relictâ Saxoniâ Romam profectus eſt anno Chriſti 800, & compoſitis controverſiis Romæ in templo die natali Salvatoris à Pontifice Imperator Romanus eſt renunciatus & à cuncto populo appellatus, quippe qui cum plauſu & lætitia magna acclamavit hæc verba: Carolo auguſto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria. Sic ergò Carolus jure belli factus & dominus totius Italiæ & Occidentalis imperii Imperator; accedente tranſactione cum Græcis Impp. Nam Irene pacis fœdere per oratores ſuos renovato totum Occidentis imperium ei conceſſit, additâ conjugii promiſſione. Poſt Irenen Nicephorus fraternam ac perpetuam pacem cum ipſo confirmavit, ut ambo Imperatores & Auguſti nominarentur. Carolus igitur non accepit imperium à Pontifice, nec tum temporis Pontifices quicquam juris in urbem Romam ſibi vendica-

Caroli in literis educatio.

Caroli vita domeſtica, & publica.

Caroli bella.

Carolus ex petitione Pontif. Leonis III Romam proficiſcitur, ubi Romanus Imperator renunciatur.

Carolus jure belli fit dominus Italiæ & totius imperii Occidentalis.

Caroli cum Nicephoro Imp. Orientali amicitia.

Carolus non accepit im-

perium à Pontifice. Renunciatio Pontificis non fuit imperii traditio. dicarunt, sed solummodò res sacras tractarunt. Vide Peuc. fol. 666. Pontificis enim renunciatio nihil fuit aliud quàm declaratio, quòd Carolus verè esset Imperator. 1. jure belli. 2. concessione Imperatorum Orientis. 3. subjectione populi Romani. Cœpit ergò Carolus imperare anno Christi 801, regni 33, ætatis 59, & imperavit annos 13. Per Carolum restituta est Italia à cæde Valentiniani III jam per 300 annos miserè afflicta & lacerata. Anno 5 imperii finivit Carolus M. bellum Saxonicum, ubi omnes Saxones trans Albim morantes in Franciam transtulit pagosque eorum Abotritis dedit, ut autor est Sigebertus, deinde filiis hæreditaria & acquisita regna distribuit, & testamentum condidit, cujus formam recitat Peucer. fol. 667. Suscepit autem ex Hildegardi uxore tres filios, Carolum, Pipinum & Ludovicum, ex quibus duo priores vivo patre vitâ excesserunt, & relictus est Ludovicus cognomento Pius, qui patri in Imperio successit. Pipinus verò reliquit filium Bernhardum, quem Carolus avus regem Italiæ fecit. Tandem mense Januario anni 814 ardente febre correptus & pleuritide extinctus est Aquisgrani ibique sepultus, quum vixisset annos 72.

Initium imperii Caroli. Belli Saxonici finis. Caroli uxor & filii. Caroli morbus & obitus.

Synchronismus.

1. Basilica S. Jacobi Compostellæ in Hispania dedicatur à Turpino Episcopo Rhemensi præsente Carolo M. anno Christi 805.

2. Lectiones ecclesiasticæ cuilibet festo convenientes, & textus Euangelici Dominicales operâ Pauli Diaconi, qui & Warnefridus appellatur, colliguntur & per anni circulum publicè legi præcipiuntur à Carolo M. anno Christi 807.

3. Carolo in Occidente imperante tres fuere Imperatores in Oriente successivo ordine, Nicephorus, Stauracius & Michaël Curopalates. Nicephorus Irene dolo excussâ imperium rapuit anno Christi 802, idque tenuit per annos 9. Cum Carolo M. de limitibus Orientalis & Occidentalis imperii transegit, & cum Venetis ita pepigit ut nullius subessent imperio. Almiratum Saracenum, qui cum 300000 venerat, pactione annui tributi 300 nummorum aureorum ab se repulit. Venetos sociali classe adversus Gallos juvit. Bello contra Persas infeliciter gesto, quum in Bulgaros moveret emuncturus

Nicephorus.

ar-

argentum quo pactam de pace pecuniam Persis dissolveret acie victus & cæsus est. Cranio ejus deargentato Bulgarus usus est in conviviis pro poculo. Filium habuit Nicephorus Stauracium, qui in Bulgarorum bello vulneratus interfecto patre statim Constantinopolin rediit & imperium iniit, sed ob corporis deformitatem & ingenii stoliditatem à Byzantinis repudiatus, & à Michaële Curopalata monasterio inclusus est. Hic Curopalates uxorem habuit filiam Nicephori, sororem Stauracii, & suffectus est in locum Stauracii. Exemplo soceri renovavit fœdera cum Carolo M. Socors fuit, timidus & infelix, quumque contra Bulgaros infeliciter pugnasset conjuratione Leonis Armeniaci captus, desperatione imperio sponte cessit, seque in monasterium abdidit, anno Christi 813.

Stauracius.

Curopalates.

4. Circa hæc tempora Egbertus Britanniæ rex statuit, ut omnes Angli & Saxones, exceptis Scotis, Angli dicerentur, & insula ipsa Anglia posthac vocaretur. Zwing.

LUDOVICUS PIUS.

Filius Caroli M. quem pater sentiens se morti vicinum accersivit ex Aquitania Aquisgranum, & Imperatorem Romanum creavit, Bernhardum verò ex filio Pipino nepotem regem Italiæ fecit. Cœpit Ludovicus imperare anno Christi 814, & imperavit annos 26. Cognominatus est Pius à religiosa superstitione, quippe qui festa & idololatricos cultus Sanctorum, nec non superstitiosas observationes ordinis monastici auxit, sed patri neque virtute neque sapientiâ par fuit, imò prisca majorum virtus in hoc Ludovico degeneravit. Ante imperium quidem res magnas gessit in Hispania contra Saracenos, sed postea imperio potitus insignem mutationem expertus est, & quidem non sine propria culpa. Nam ex priore conjuge Irmengardi quum haberet tres filios, Lotharium, Pipinum & Ludovicum, Regnum ita distribuit, ut Lotharius rex Bojorum, Pipinus rex Aquitaniæ esset, Ludovicum verò apud se retinuit & titulum Regis Italiæ ei tribuit, id quod ægerrimè tulit Bernhardus, qui ab avo Carolo M. rex Italiæ erat constitutus. Hic igitur incensus etiam adulatorum vocibus, quòd Franciæ regnum non Ludovico

Ludovicus filius Caroli M.

Quur Pius dictus.

Patris dissimilis.

Ludovicus regnum distribuit inter filios.

Bernhardus Caroli à

Pipino nepos movet bellum contra Ludovicum Pium. Bernhardi calamitas & tragicus exitus.

Ludovicus Pius incurrit in odium apud proceres & Episcopos. Ludovici alterum conjugium. Filii instigantur contra patrem. Bellum domesticum.


Ludovicus à filiis malè tractatur. Filiorum discordia, quæ patri salutaris est.

Ludovicus pater restituitur cum uxore Juditta in integrum.

vico patruo sed ipsi deberetur, arma sumit contra Ludovicum patruum tum temporis Danico bello implicatum. Sed Ludovicus Pius bello hoc composito cum suo exercitu ingreditur Italiam, magnumque terrorem sociis Bernhardi injicit, ut Bernhardus à suis desertus cogeretur sese Imperatori tradere unà cum filio Pipino, & tribus ex hoc nepotibus Bernhardo, Pipino & Eriberto. Bernhardus captus abducitur in Germaniam, & Aquisgrani ad capitis supplicium damnatus vitâ tamen donatur, sed oculis privatus & monasterio inclusus mœrore contabuit. Bernhardo hoc modo sublato Regem Italiæ fecit Lotharium filium & simul Cæsarem creavit. Hoc crudelitatis & injustitiæ exemplo Ludovicus multorum procerum & Episcoporum animos à se alienavit, & non parùm odium hoc auxit alterum conjugium cum Juditta filia Guelphi primi, comitis Altorfensis in Suevia, ex qua suscepit Carolum cognomento Calvum. Ab hac uxore quum totus penderet Ludovicus Imp. in odium & contemptum venit apud proceres & Episcopos, qui propterea filios ex Irmengardi natos instigarunt adversus patrem prætextu molitionum novercæ. Hinc domesticum bellum, in quo pater à filiis captus cogitur dimittere à sese Judittam alteram conjugem, filiorum novercam. Captus pater intruditur in monasterium Suessioni, & Carolus Calvus frater relegatur Brumiam monasterium in Lotharingia, noverca Derthonam in Italia. Hujus ἀσεβείας & impietatis adversus patrem caussa & autores fuere Episcopi. Sed adest divina Νέμεσις. Mittitur Tisiphone inter ipsos fratres. Pater enim quum detineretur captivus à filio Lothario, reliqui filii Pipinus & Ludovicus, paternæ miseriæ miserti postulant à fratre Lothario patris dimissionem & in Imperium restitutionem. Renuit Lotharius, & quum bello fratrum institutum impedire vellet, ab omnibus destitutus non potuit. Itaque veniam à patre deprecatus est, & pater in Imperium restitutus anno imperii 20, quum per annum in monasterio latuisset. Pater ita ab exilio revocatus & restitutus revocat quoque uxorem Judittam, quæ deinde perfecit ut Carolus filius declararetur rex Neustriæ, hoc est, Celticæ & Lugdunensis Galliæ. Defuncto Pipino Ludovici Imp. filio superstites fuere ejus duo filii, Pipinus & Carolus, quorum ille quum affectasset Aquitaniam ab avo

Ludov. Imp. relegatus est in Germaniam, & Aquitani jussu Imperatoris Carolo jurarunt. Interim noverca Juditta conciliandi Lotharii studio perfecit, ut ei aurea corona imperii traderetur, quod indignè ferens Ludovicus Lotharii frater Bojorum rex denuo se in patrem armavit, cui pater occursurus morbo ingravescente substitit Moguntiæ, ubi filio Ludovico reconciliatus diem suum obiit, & sepultus est in urbe Metensi prope Hildegardin matrem. Obiit autem anno Christi 840, ætatis 64. Nota tabulam:

Lothario traditur corona imperii operâ novercæ, unde novum bellum in patrem. Ludovici Pii obitus.



Synchronismus.

1. Romani Pontifices fuerunt, Stephanus IV, Paschalis, Eugenius II, Valentinus, & Gregorius IV.

2. Synodus Aquisgranensis à Ludovico Pio instituta est, in qua Ecclesiastarum mores correxit & reformavit, fastum atque luxum Ecclesiasticorum procerum coërcuit. Hæc Synodus magnum odium peperit Ludovico Imp. apud Episcopos, ut deinde filios Ludovici incitaverint contra patrem habito propriâ autoritate concilio Compendii, de quo Mellif. p. 3. fol. 111.

3. Strabus glossæ ordinariæ in S. Bibliis autor hoc tempore vixit.

4. Theodulphus Aurelianensis Episcopus, quod reus


Pipino nepos movet bellum contra Ludovicum Pium. vico patruo sed ipsi deberetur, arma sumit contra Ludovicum patruum tum temporis Danico bello implicatum. Sed Ludovicus Pius bello hoc composito cum suo exercitu ingreditur Italiam, magnumque terrorem sociis Bernhardi injicit, ut Bernhardus à suis desertus cogeretur sese Imperatori tradere unà cum filio Pipino, & tribus ex hoc nepotibus Bernhardo, Pipino & Eriberto. *Bernhardi calamitas & tragicus exitus.* Bernhardus captus abducitur in Germaniam, & Aquisgrani ad capitis supplicium damnatus vitâ tamen donatur, sed oculis privatus & monasterio inclusus mœrore contabuit. Bernhardo hoc modo sublato Regem Italiæ fecit Lotharium filium & simul Cæsarem creavit. Hoc crudelitatis & injustitiæ exemplo Ludovicus multorum procerum & Episcoporum animos à se alienavit, *Ludovicus Pius incurrit in odium apud proceres & Episcopos.* & non parùm odium hoc auxit alterum conjugium cum Juditta filia Guelphi primi, comitis Altorfensis in Suevia, ex qua suscepit Carolum cognomento Calvum. Ab hac uxore quum totus penderet Ludovicus Imp. in odium & *Ludovici alterum conjugium.* contemptum venit apud proceres & Episcopos, qui propterea filios ex Irmengardi natos instigarunt adversus patrem prætextu molitionum novercæ. Hinc domesticum bellum, *Filii instigantur contra patrem.* in quo pater à filiis captus cogitur dimittere à sese Judittam alteram conjugem, filiorum novercam. Captus pater intruditur in monasterium Suessioni, & Carolus Calvus frater relegatur Brumiam monasterium in Lotharingia, noverca Derthonam in Italia. *Bellum domesticum.* Hujus ἀσοργίας & impietatis adversus patrem caussa & autores fuere Episcopi. Sed adest divina Νέμεσις. Mittitur Tisiphone inter ipsos fratres. *Ludovicus à filiis malè tractatur.* Pater enim quum detineretur captivus à filio Lothario, reliqui filii Pipinus & Ludovicus, paternæ miseriæ miserti postulant à fratre Lothario patris dimissionem & in Imperium restitutionem. *Filiorum discordia, quæ patri salutaris est.* Renuit Lotharius, & quum bello fratrum institutum impedire vellet, ab omnibus destitutus non potuit. Itaque veniam à patre deprecatus est, & pater in Imperium restitutus anno imperii 20, quum per annum in monasterio latuisset. Pater ita ab exilio revocatus & restitutus revocat quoque uxorem Judittam, *Ludovicus pater restituitur cum uxore Juditta in integrum.* quæ deinde perfecit ut Carolus filius declararetur rex Neustriæ, hoc est, Celticæ & Lugdunensis Galliæ. Defuncto Pipino Ludovici Imp. filio superstites fuere ejus duo filii, Pipinus & Carolus, quorum ille quum affectasset Aquitaniam ab avo

Ludov.

Ludov. Imp. relegatus eſt in Germaniam, & Aquitani juſſu Imperatoris Carolo jurarunt. Interim noverca Juditta conciliandi Lotharii ſtudio perfecit, ut ei aurea corona imperii traderetur, quod indignè ferens Ludovicus Lotharii frater Bojorum rex denuo ſe in patrem armavit, cui pater occurſurus morbo ingraveſcente ſubſtitit Moguntiæ, ubi filio Ludovico reconciliatus diem ſuum obiit, & ſepultus eſt in urbe Metenſi prope Hildegardin matrem. Obiit autem anno Chriſti 840, ætatis 64. Nota tabulam:

Lothario traditur corona imperii operâ novercæ, unde novum bellum in patrem. Ludovici Pii obitus.

Carolus M. Imp.



Synchroniſmus.

1. Romani Pontifices fuerunt, Stephanus IV, Paſchalis, Eugenius II, Valentinus, & Gregorius IV.

2. Synodus Aquiſgranenſis à Ludovico Pio inſtituta eſt, in qua Eccleſiaſtarum mores correxit & reformavit, faſtum atque luxum Eccleſiaſticorum procerum coërcuit. Hæc Synodus magnum odium peperit Ludovico Imp. apud Epiſcopos, ut deinde filios Ludovici incitaverint contra patrem habito propriâ autoritate concilio Compendii, de quo Mellif. p. 3. fol. 111.

3. Strabus gloſſæ ordinariæ in S. Bibliis autor hoc tempore vixit.

4. Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus, quod reus

esset conspirationis, in Ludovicum Imp. in carcerem conjectus, hymnum illum Ecclesiasticum: Gloria, laus & honor tibi sit rex Christe redemptor, &c. in carcere composuit, & altâ voce Imperatore carcerem prætereunte cecinit, quo Imperator adeò fuit permotus ut Episcopum è carcere liberum dimiserit. Tritthemius. Accidit hoc in die Dominica ante Pascha quæ dicitur palmarum, unde cantio hæc ad textum istius Dominicæ accommodata illo tempore cani consuevit in Ecclesiis.

Leo Armenius. Michaël Balbus. Theophilus.

5. In Oriente Imperatores fuerunt, Leo Armenius, Michaël Balbus Amorrhæus & Theophilus hujus filius. Leo imperium invasit quum Curopalates illud deseruisset. Fuit vir acer & industrius, sed malus & crudelis. Theophylactum Curopalatæ filium castratum cum matre in exilium ejecit. Saracenos & Bulgaros magnis cladibus affecit, sed propter crudelitatem quum odiosus esset à conjuratis in suo conclavi obtruncatus est autore Michaële Balbo, quem in custodia detinuerat, anno imperii sui 7. Successit hic Michaël Balbus, homo obscuro genere natus, dictus Amorrhæus à patria. Cum Bulgaris inducias 30 annorum pepigit, quorum operâ adversarium Thomam vicit, & captum brachiis & pedibus truncatum interfecit. A Saracenis duobus magnis prælíis victus dysenteriâ & phrenitide periit. Successorem habuit filium Theophilum, cujus justitia, severitas & castitas laudantur. Imaginum cultum pessimè odit & usurpari in templis vetuit. Cum Calypha Babylonico munerum magnificentiâ per legatos certavit. Contra Saracenos ter succumbens bis victor rediit, & in postrema expeditione quum Amerumnes Saracenus præcipuas familias abduxisset in servitutem, & Theophilus redemptionem impetrare non posset, animi mœrore & dysenteriâ correptus interiit.

Saraceni duo regna condiderant, unum in Asia, cujus sedes fuit Babylon, alterum in Africa, cujus sedes fuit Memphis urbs Ægypti. Utrique præfecerunt unum Monarcham, quem dicere Calypham. Peuc. fol. 707.

6. Haroldus Danorum rex cum conjuge & liberis plurimisque Danis præsente Ludovico Imp. Moguntiæ baptizatur anno Christi 826.

LOTHARIUS.

Lotharii parentes & liberi.

Filius Ludovici Pii ex Irmengardi, qui ex eadem matre fratres habuit Pipinum & Ludovicum, quorum ille defun-

functus vitâ, reliquit duos filios Pipinum & Carolum. Cœpit imperare annò Christi 840 & imperavit annos 15. Indignis modis fratres suos Ludovicum & Carolum tractavit, unde intestinum bellum natum est funestissimum. Quum enim Ludovicum Bavariâ, Carolum verò Aquitaniâ contentos esse, idque suo beneficio vellet, indignè hoc ferentes fratres arma sumpserunt & Lotharium in Gallia Lugdunensi prælio victum profligarunt, exercitu ad internecionem cæso, anno Christi 841. Lothario post recollectas vires alterâ vice pulso, quum tertiò bellum pararet, proceres Imperii sese interposuerunt, & effecerunt, ut Ludovicus Germaniam teneret, unde & Germanicus dictus est, Carolus Franciam, Lotharius Italiam cum imperio, & illum Germaniæ tractum qui hodie Lotharingia dicitur ab hoc Lothario, Pipinus Pipini filius Aquitaniam. Re sic compositâ Lotharius filium Ludovicum sibi in Imperio adjunxit, & exercitu instructum in Italiam contra Saracenos misit. Etenim domestico illo fratrum dissidio exteri hostes animos resumpserunt. Sclavi & Saraceni Africani in sinum Adriaticum processerunt, & porrò per Apuliam & Calabriam in ipsam Campaniam. Quinetiam anno Christi 846 procursu ad urbem Romam facto opimas Petri & Pauli basilicas diripuerunt Saraceni & ipsam urbem succenderunt. Normanni etiam, qui existimantur fuisse Dani, ad Cimbricam Chersonesum invaserunt Galliam. Bohemi quoque & Marcomanni suis rebus non defuerunt, contra quos Ludovicus continenter bella gessit. Ex quo facilè videre est quantam calamitatem fraternum dissidium toti Imperio attulerit, adeò ut semper inquietum fuerit usque ad imperium Saxonum. Postea Carolus Pipinum & Carolum Pipini filios principatu Aquitaniæ dejecit & in monasteria inclusit, quorum hic inde elapsus Episcopatui Moguntino præfectus est à Ludovico Germanico. Hæc omnia dum in Imperio ita geruntur, & Saraceni Italiam affligunt, Romani incitantibus Pontificibus cœperunt sese inclinare ad Impp. Græcos. quod animadvertens Lotharius Romam profectus est anno Christi 854, & mutatis magistratibus vetera pacta de potestate Imperatoris in confirmando Pontifice Romano reno-

Lotharii intestinum bellum cum fratribus.

Lotharii cum fratribus transactio.

Lotharius sibi in Imperio jungit filium Ludovicum.

Fratrum dissidio exteri hostes vires resumunt.

Saracenorum irruptio in Italiam.

Normannorum irruptio in Galliam.

Imperium est inquietum usque ad Saxones.


Romani ob Saracenorum furores inclinant sese ad Impp. Græcos.

Imperatoris potestas in confirmando Pontifice.

vavit & majore severitate sanxit. Reversus tribus filiis suis avita regna partitus est, Ludovicum declaravit Imperatorem & dominum Italiæ, Lotharium in Lotharingiam collocavit, & Carolum minimum natu in Galliam Narbonensem, sed hic post patrem non diu fuit superstes. Ludovicus Germanicus tres habuit filios, Carolomannum, Ludovicum & Carolum. Lotharius Lotharii filius Dietbergam uxorem repudiavit amore Baldradæ concubinæ sororis Gunteri Episc. Coloniensis, quam ob caussam à Pontifice anathemate notatus quum Romæ hoc expiasset, in reditu Placentiæ peste extinctus est. Mortuus est Lotharius Imp. in monasterio Prumiensi apud Treviros, in quod deposito imperii onere vitæ præsentis tædio se receperat. Nota Tabulam:

Regnorum distributio.

Lotharii obitus.



Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Sergius II, qui proprio

prio nomine Os porci, Sawrüssel, dictus est, sub quo natus est error de corporali præsentia Christi in sacra cœna, qui tandem in absurdam transsubstantiationem abiit. Leo IV, qui basilicam Vaticanam à Saracenis direptam instauravit, & Johannes VIII, de quo mira scribuntur, quòd sexu fœmina fuerit, & in processione publica ad basilicam Lateranensem infantem pepererit. Patria Moguntina. Angli nomen obtinuit non ex natione sed parentum familia. Quidam Pontificii scriptores, ut Baronius & Bellarminus, fabulosam esse narrationem contendunt, sed ex vetustioribus Pontificiis scriptoribus res satis liquet. Vide Mellif. p.3. fol. 115. Dress. fol. 190. & Gulielmum Withackerum in peculiari libello de Johanna Papissa. Scilicet oportuit ad oculum monstrari Papam Romanum esse Babylonicam illam meretricem de qua in Apocalypsi Johannis. *Johannes VIII Papa fœmina.*

2. Romani Pontifices imperante Lothario in inauguratione cœperunt mutare nomina sua, qui mos in hodiernum usque diem à Papis servatur. Bucholtzerus ex Mart. Polono. *Papæ mutant nomina sua.*

3. Floruerunt circa hæc tempora Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus commentator Bibliorum, & Haymo Episc. Halberstat. qui etiam Biblia commentariis illustravit.

4. In Oriente Imperator fuit Michaël, qui patri Theophilo Balbi filio successit anno Christi 842, sed quum per ætatem nondum esset aptus ad gubernationem, mater Theodora imperium Orientale administravit annos 14, & contra defuncti mariti constitutionem imaginum cultum restituit. Filius verò ubi adolevit matrem relegavit in monasterium, & deinde solus imperavit annos 11. Homo stolidus, ebriosus, luxuriosus, qui omnem pecuniam in adulatores & mimos profudit, eò inopiæ redactus, ut vestes etiam regias vendiderit. Bis cæsus est à Saracenis, quos deinde magno prælio delevit Petronas avunculus ejus, & regem Saracenorum Amerum interfecit. Sed mortuo Petrona vires resumpserunt Saraceni occupatâ Cretâ & invasis Cycladibus insulis. Quum autem videret Michaël se contra Saracenos nihil proficere posse, Cæsarem creavit quendam Basilium Macedonem, cujus operâ in domandis equis & aurigatione usus fuerat. Hic Basilius jam Imperator creatus Michaëlem interfecit. *Michaël Orientis Imp.* *Saraceni occupant Cretam.* *Basilius Macedo Orientis Imp.*

5. Bul-

5. Bulgari ad religionem Christianam adducti sunt. Peuc. fol. 715.

LUDOVICUS II.

Ludovici laus. Filius Lotharii Imp. natu maximus. Cœpit imperare anno Christi 855, & imperavit annos 19. Princeps optimus, beneficus & in consiliis promptus. *Ejus felicitas contra Saracenos.* Contra Saracenos auxilio fratris Lotharii fortiter & feliciter pugnavit. Exercitu magnam partem peste absumpto, Beneventi defensionem commendavit Adalgisio Longobardo Salerni principi, *Adalgisius Longobardus.* qui deinde defecit ad Impp. Græcos traditis Samnii, Campaniæ & Lucaniæ oppidis, quam perfidiam ultus est Ludovicus sumpto de sociis Adalgisii supplicio, quum ipse Adalgisius fugâ in insulam Corsicam sibi consuluisset. *Ludovici uxor & filia.* Uxorem habuit Luitgardam filiam Etichonis Welphi Comitis Sueviæ in Altorff, ex qua suscepit Hermingardin filiam quam Carolus Calvus despondit Bosoni principi, Peuc. fol. 678. *Ludovici obitus.* Mortuus est Ludovicus Mediolani sine mascula prole.

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Benedictus III, Nicolaus Magnus, Adrianus II, & Johannes IX.

2. In Oriente imperavit Basilius Macedo obscuro & ignobili genere ortus. Cœpit autem imperare anno Christi 867, & imperavit annos 20. Laudatur ejus frugalitas & cura in tuendo imperio. Pecunias à Michaële antecessore turpiter profusas recollegit & in ærarium redegit. *Saraceni Cretenses.* Saracenis Cretensibus bellum classe intulit, sed primo ductu infeliciter, deinde verò alieno ductu victor evasit. *Saraceni Syriaci.* Saracenis Syriacis feliciter restitit, nisi quòd oppugnationes urbium non ita prosperè succederent. *Saraceni Carthaginenses.* Saracenos Carthaginenses, qui Apuliam vastabant, per Nicephorum Phocam expulit. Apulia enim ex transactione cum Carolo M. erat sub Græcis Impp. *Basilii Imp. obitus.* In venatione à cervo letaliter sauciatus obiit. Peuc. fol. 717.

3. Fractâ in mari Saracenorum potentiâ multi Judæi ad fidem Christianam conversi sunt, operam suam conferentibus Venetis & Ludovico II Imp. Peuc. ibid.

4. Rossi ab ethnicismo discedunt ad religionem Christianam operâ Basilii Macedonis Imp. Sunt autem Rossi

qui

qui hodie Moschi nominantur à metropoli Moschovia. Peuc. ibid. & fol. 716.

5. Saraceni cum Persis iterarunt bella. Persæ igitur in auxilium vocant Turcos, quorum virtute vincunt. Ab hoc tempore Turcæ in Asiam asciti postea eam nunquam reliquerunt, imò deinde Saracenicum non solùm regnum sed etiam nomen transiverunt. Accidit hoc anno Christi 870. Porrò de Turcorum origine & incremento vide Peuc. fol. 721 & seqq. *Persæ contra Saracenos in auxilium vocant Turcos.*

6. Circa hæc tempora Bruno dux Saxoniæ condidit urbem Brunswigam. Bucholtz.


CAROLUS CALVUS.

Filius fut Ludovici Pii, Galliæ rex, successor Ludovici II sine masculo hærede defuncti. Priusquam ad imperium veniret bellum ipsi fuit cum fratre Ludovico Germanico, qui adversus ipsum misit filios Carolomannum & Carolum, sed frustrà. Territi enim sive potentiâ Calvi, sive alio modo re infectâ ad patrem redierunt. Interim Carolus Calvus ut fratri Ludovico Germanico imperium præriperet, Romam progressus renunciatur ibidem Imperator. Cœpit imperare anno Christi 875, & imperavit annos 2. Princeps avarus, insolens & ambitiosus, jactabundus, θεραπεύδειλος & infelix. Ut tutior esset à fratre Lud. Germanico Bosonem affinem suum arctiori federe sibi junxit locando ei in matrimonium Irmengardin Ludovici II filiam & regem Italiæ fecit. Berengarium & Guidonem Romanæ nobilitatis proceres in suas quoque partes traxit & duces fecit, alterum Forojuliensium, alterum Spoletanorum. Sed infelicia fuerunt hæc federa & toti Carolinæ stirpi exitialia, siquidem hi Italiæ imperium sibi deinde acquisiverunt. Talia enim solent esse federa contra agnatos inita. Post obitum Germanici fratris bellum ipsi fuit cum Germanici filiis Ludovico & Carolomanno, à quibus ad Veronam oppressus & victus vix fugâ evasit, & Mantuam delatus ventris profluvio extinctus est, suppeditato veneno à Zedechia Judæo medico. Hoc modo Ludovicus & Carolomannus Germanici filii Italiam repetiverunt. Ex conjuge Irmentrudi inter alios suscepit Ludovicum cognomento Balbum in Imperio successorem. Porrò in Caroli

Caroli aditus ad imperium. *Caroli Calvi vituperium.* *Ejus federa contra cognatos, sed infelicia.* *Caroli bellum cum fratris filiis.* *Caroli obitus.*

Witechindus Saxo. roli Calvi historia fit mentio Witechindi Saxonis, cujus operâ usus fuit in bello contra Normanos, & præfectum constituit Andegavensium. Hic Witechindus filium habuit Rupertum ducem exercitus Francorum contra Normannos. Rupertus filium habuit Ottonem, qui permissu Arnolphi Imp. regnum Franciæ procuravit. Hic Otto fratrem habuit Rupertum, qui fuit pater Hugonis Magni Parisiorum Comitis. Hic Hugo uxorem habuit *Hugo Capetus.* sororem Ottonis Magni Imp. ex qua suscepit Hugonem Capetum regem Francorum, ex quo regia illa stirps quæ hodie rerum potitur. Tenenda est hæc γενεαλογία propter reges Galliæ nostri temporis. Tabula esto:

Peuc. fol. 681 & 735. A Witechindo Saxone, qui Carolo Calvo operam suam præstitit contra Normannos, ducitur series regum Galliæ ab Hugone Capeto ortorum hoc modo:



Synchronismus.

1. Romæ Pontifex fuit Johannes IX, qui ab anno Christi 872 sedit annos 10. Ab aliis, qui Johannem fœminam

minam Papiſſam prætereunt, dicitur Johannes VIII.

2. Vixit hoc tempore Bertramus Presbyter, qui juſſu Caroli Calvi librum ſcripſit in quo tractatur quæſtio, An corpus Chriſti ore an verò ſacramentaliter comedatur? Ad quem reſpondet, panem & vinum eſſe figuram corporis Chriſti & ſanguinis, &c. Vide Mellific. parte 3. fol. 112.

LUDOVICUS III, cognomento BALBUS.

Filius fuit Caroli Calvi, rex Galliæ, & à Pontifice Romano, qui profugus ad ipſum venerat in Franciam, Imperator renunciatus. Quum enim poſt obitum Calvi proceres Romani inclinarent ad Carolum Craſſum Ludovici Germanici filium, reſtitit Pontifex Johannes IX, & in gratiam ac favorem Francorum omnibus modis ſtudere cœpit huic Ludovico Balbo, ideoque captus per ſeditionem & amicorum operâ liberatus, quum à Ludovico in Gallia humaniſſimè eſſet acceptus ἀμειβόμενος eum Imperatoris titulo remuneratus eſt. Cœpit igitur Ludovicus imperare anno Chriſti 877, & imperavit annum 1 & menſes 6. Princeps valetudinarius. Priorem conjugem Anſgardam nobilem fœminam patre inſcio duxerat, ex qua reliquit duos filios, Ludovicum & Carolomannum, quorum ille Adonidis fato ab apro percuſſus obiit, hic dum amores perſequitur, poſti illiſus pectus & cervicem fregit. Quum verò Anſgardam repudiare cogeretur, alteram uxorem duxit Adelheiden, quam gravidam ex hac vita decedens reliquit. Hæc poſtea enixa eſt filium poſthumum Carolum Simplicem regem Franciæ.

Ludovicus quomodo ad imperium pervenerit.

Proceres favent Carolo.

Pontifex Ludovico.

Ludovici conjuges & filii.

Carolus Simplex rex Franciæ.

Synchroniſmus.

Horrendum ſchiſma ortum eſt Romæ in ſancta cathedra, quod diu inter Papas duravit, qui de papali diademate acriter contenderunt. Origo hujus mali tribuitur Johanni IX, qui quendam Formoſum Epiſcopum tanto perſequebatur odio, ut is tandem metu Papæ in Galliam confugeret, unde vi excommunicationis ad Epiſcopatum eſt reverſus, ſed mox omni honore exutus ex

gradu

gradu suo dejectus fuit. Porrò quomodo schisma hoc ad sequentes Papas fuerit derivatum, ex sequentibus patebit. Vide Mellific.p. 3. fol. 121.

CAROLUS III, cognomento CRASSUS.

Fuit filius Ludovici Germanici, nepos Ludovici Pii, pronepos Caroli M. A fratre Ludovico tenuit Germaniam, à fratribus Carolomanni Italiam, quum ipse esset Galliæ rex. Cœpit imperare anno Christi 897, & imperavit annos 7, vel, ut alii volunt, 10. Fuit princeps non ignavus, sed infelix: Dictus Crassus à corporis habitudine. Bellum ipsi fuit cum Saracenis, quos ex Italia ejecit, & cum Normannis inferioris Germaniæ populis, cum quibus infeliciter belligeratus est. Hi enim quum ducibus Godefrido & Sigefrido Trevirim & Metim popularentur, & Carolus contra illos parum proficeret, factâ cum hostibus pace Sigefrido Giselam Lotharii patruelis filiam despondit, additâ dotis loco Frisiâ, & sub conditione ut Normanni fidem Christianam reciperent, quod etiam factum est. Sed quum ne sic quidem Normanni quiescerent & Sequanam Galliæ fluvium intrarent, Parisios obsiderent, & multa crudeliter facerent, Carolus cum hostibus ita pepigit, ut federe facto & societate initâ tradiderit eis partem Neustriæ, quæ Oceano Gallico clauditur, & regni caput habet Rotomagum, diciturque hodie à novis illis incolis Normannia. Occuparunt autem Normanni illam Galliæ partem duce Rollone, qui deinde sacris Christianis initiatus dictus est Rupertus, à quo Normannorum duces descendunt. Peuc. fol. 684. Hi adversi casus Carolum in summum adduxerunt contemptum, ut morbo fractus & animi mœrore in stuporem præcipitatus cum dedecore ab imperio dejiceretur. Scribitur eò egestatis pervenisse ut vix famem prohibere potuerit cibum ei detrectante Bernhardo filio naturali Arnolphi successoris. Mortuus est in ignobili quodam pago Sueviæ & conditus prope Constantiam humili & abjecto monumento. Mira rerum humanarum inconstantia, & mira in suis judiciis divina providentia. Qui regnorum avitorum omnium dominus & Monarcha factus erat, mox infra infimorum hominum

Dresserus Crassi imperio tribuit annos 8, menses 7.
Bella.
Quod alii referunt de Godefrido, alii de Rollone qui dictus est Rupertus. Mellif. p. 3. fol. 125.
Normanni fiunt Christiani.
Normanni fiunt Galliæ incolæ.
Carolus Crassus turpiter ab imperio dejicitur.
Caroli egestas.
Caroli mors & sepulchrum.

minum sortem abjicitur. Discite principes Deum timere. Conjux ei fuit Richardis Scoti regis filia, quam propter adulterii suspicionem repudiavit, ipsa tamen pudicitiam palam omnibus probante. Vide Peuc. & Mellif.

Synchronismus.

1. Romæ Pontifex fuit Stephanus VI, qui ab anno Christi 885 sedit annos 6. Dress.

2. Circa hæc tempora vixit Rheginon historiographus Abbas in monasterio Prumiensi in Lotharingia, qui multa de Carolina stirpe scripsit, & Chronologiam à nato Christo usque ad Ottonem I.

ARNOLPHUS.

Fuit nepos Ludovici Germanici, naturalis filius Carolomanni ex Carentina nobili fœmina, Dux Franciæ Orientalis suffectus in locum Caroli Crassi patrui. Cœpit imperare anno Christi 887, & imperavit annos 12. Normannos Lotharingiam vastantes penè internecione delevit. *Bell.* Italici & Gallici tumultus huic Imperatori gravia & periculosa negotia immensosque labores crearunt, de quibus in Synchronismo nonnihil dicemus. Sclavos quoque & Moravos repressit, & Ungaros ex Scythia in Pannoniam effusos compescuit. Anno imperii 10 à Formoso Pontifice, qui eum accersiverat, Imperator Romæ est declaratus. Quum in Italia suppetias tulisset Berengario Forojuliensium Duci contra Guidonem & hujus filium Lambertum qui sese regem Italiæ appellaverat, & expugnato Spolero copias arci Camerinæ, in qua Guidonis uxor latebat, admoveret, mulier per quendam ex Imperatoris familiaribus auro corruptum, venenum propinari curavit Arnolpho, quo ille *Arnolphi miserabilis obitus.* epoto statim profundo sopitus somno in tertium usque diem stertuisse scribitur, ad quod paralysis accessit, quæ linguam ejus & inferiores corporis partes resolvit, paralysin porrò excepit φθειρίασις & incurabilis putrefactio, unde vermibus è toto corpore scatentibus miserè extinctus est.

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Stephanus VI, Formosus, Bonifacius VI, Stephanus VII, Romanus I, Theodorus II, & Johannes X. Formosus Papatum emerat,

 ad

Schismata in Papali Cathedra. ad quem frustra aspiraverat quidam Sergius, ... tinuit annos quinque & 6 menses, defensus ... ad Arnolpho Imp. quem etiam in gratitu... Imperatorem declaravit. Sed in omnium od... mosus, cui defuncto succedens Stephanus VI ... omnibus viribus decreta Formosi abolere co... cui tamen sese opposuerunt Theodorus & Jo... unde ingentes tumultus Romæ excitati sunt. M... fol. 121. Plura apud Baleum fol. 122 & seqq.

Leo Philosophus Imp. Orientalis. 2. In Oriente imperavit Leo Philosophus B... cedonis filius ab anno Christi 886 per annos 22 ... philosophicis cognomentum adeptus est, laud... ejus diligentia in reipublicæ gubernatione, nec ... dustria in cavendis hostium maximè Saraceno... *Turci.* Bulgarorum insidiis. Operâ Turcorum, quoru... historia prima est mentio, Bulgaros fedifragos re... sed cum Saracenis Siciliam, Lemnum, & insulas C... vastantibus ductore Niceta ancipiti Marte pugna... tandem egregiam victoriam ab illis reportavit. P... 717. Mellif. p. 3. fol. 135. Decedens ex hac vita f... lexandro imperium reliquit anno Christi 909.

Guido in Italia regnat. 3. In Italia Guido, qui & Hugo vocatur, quum ... dinibus Italiæ rex Romanus esset designatus, ... nolphum Imp. Longobardiâ exuitur, & Medio... per Othonem Arnolphi ex Ludgarda generum H... Aucupis patrem recipitur. Lambertus Guidonis fi... gratiam Formosi Papæ Româ expellitur, & alii plures, qui Papæ illi adversabantur, trucidantur. Mellif. p. 3. fol. 126. & Baleus in Formosi pag. 123. Inter illos autem varios conflictus Guido in Italia regnavit annos sex, & *Berengarius Guidonis successor.* postea Berengarius totâ Italiâ potitus annos 36 dominatus est. Hoc modo Italia ab imperio avulsa & miserè dilacerata est. Dresl. fol. 407.

Italia ab imperio divellitur. 4. Galliæ etiam facies hoc tempore admodum fuit luctuosa & miserabilis. Normanni enim Burgundiam & *Normanni ab Arnolpho Imp. cæduntur.* Galliam populantes ab exercitu Arnolphi in ripa Mosæ adeò cæsi sunt, ut ex ingenti multitudine vix unus evaserit acceptæ cladis nuncius. Regnabat tum temporis in Gallia Otho, Ruperti Saxonis filius, sed tutorio nomine. *Otho tutor Caroli Simplicis.* Constitutus enim fuerat à Francis tutor Caroli Simplicis filii Ludovici Balbi. Hunc Othonem Franci regem salutaverant, & biennio post in Aquitaniam abire jusserant,

rant; ut Carolo Simplici tanquam legitimo hæredi regnum traderetur, quod odiis intestinis erat valdè laceratum. Interea Othone defuncto frater Rupertus hæres regni esse voluit, & bellum movit Carolo Simplici patrium regnum repetenti, sed in acie Rupertus cecidit. Hanc cladem ægerrimè tulit HebertusComes Veromanduus Ruperti sororius, qui etiam ob hanc caussam Carolo insidiabatur. Quare per speciem amicitiæ regem vocat Peronam ad solenne convivium; quo quum venisset rex cum multis aliis Galliæ principibus, omnes nihil tale suspicantes comprehensi carceri includuntur, sed paulò pôst dimissis principibus solus Carolus captivus detinetur, qui elapso biennio in custodia vitâ excessit. His ita peractis Ludovicus III Caroli filius, quum patri in regnum successisset, omnem dolorem dissimulans & nihilominus ultionem injuriæ meditans, magnifico instructo convivio omnes Galliæ principes & proceres invitat, quibus jam largiter epulantibus, cursor Anglus ad hanc rem subornatus intervenit, & regis Angliæ literas Ludovico exhibet. Rex literas Cancellarium legere jubet idque submissâ voce, quibus perlectis rex clarâ voce in hæc verba erupit: Jam demum video verum esse quod dicitur, Anglos parum sapere. Fingit itaque talem casum, Agnatus meus, inquit, rex Angliæ scribit, repertum esse in regno suo vasallum rusticum hominem, qui quum seniorem suum ad epulas invitasset domi suæ strangulavit, quo genere supplicii afficiendus sit responsum expetere. Rogat Ludovicus invitatos suos hospites sententiam, qui omnes uno ore capite plectendum censebant, quod idem affirmavit quoque Hebertus Comes Veromanduus. Tum rex, Comes Veromandue, inquit, te ore & judicio tuo capitalem fraudem fecisse statuo in patre meo, quem sub fuco amicitiæ invitatum in custodia ad mortem servasti, quo circa extremum & infame supplicium tibi indico. Mandato regis corripitur Comes Hebertus & laqueo strangulatur. Mellific. p. 3. fol. 127.

Hebertus Veromanduus Comes perfidus in Carolum Simplicem.

Caroli Simplicis obitus

Ludovicus III Caroli Simplicis filius per talionem ulciscitur injuriam patri ab Heberto illatam.

Per quæ quis peccat per eadem punitur.

5. In Boëmia Christianismus receptus scribitur duce Ervivojo anno Christi 895, ut Bucholtzerus annotat ex Ænea Sylvio & Volaterrano.

LUDOVICUS IV.

Fuit filius Arnolphi ex matre Jutta (quam alii Ludgardam vocant) filia Guelphi Ducis Bavariæ. Cœpit imperare adhuc puer anno Christi 900, & imperavit annos 12. Imperavit autem operâ & consilio tutorum seu administratorum Othonis Ducis Saxoniæ & Hattonis Archiepiscopi Moguntini. Sub hoc Imperatore imperii status valdè fuit turbulentus passim per Italiam, Germaniam & alibi, gravibus concitatis motibus. Imprimis verò Hungarorum gens gravissimam Imperio cladem attulit, in qua florentissima Germanicæ nobilitatis pars occubuit. Ex Thracia enim per Pannonias progressi limites Bavariæ vastare cœperunt anno Christi 907, quibus Ludovicus Imp. occurrit admodum infeliciter, continuo trium dierum prælio victus & fugatus. Hungari hinc ferociores facti longè latèque incendiis, direptionibus ac cædibus omnia pervastabant, ut tandem Ludovicus Imp. pacem ab illis auro redimere cogeretur. Quæ res tantum animi mœrorem Imperatori attulit, ut in morbum delapsus vitam cum morte commutaret. Conjux ei fuit Mathildis, aliis Ludgarda dicta, filia Ludolphi Ducis Saxoniæ, soror Othonis Magni, sed quum esset ἄτεκνος, Caroli M. stirps in hoc Ludovico IV extincta est. Fuit Ludovicus hic sextus à Carolo M. & ab initio imperii Caroli M. ad mortem hujus Ludovici interfluxerunt anni centum & undecim. Mansit autem tristissima Germaniæ facies propter intestinas discordias & Hungarorum grassationes, quibus in Galliam usque penetrarunt usque ad imperium Henrici Aucupis annos 8 & ultra.

Imperii status turbulentus. *Hungarorum grassatio in Imperio.* *Ludovicus IV ab Ungaris miserè vexatur.* *Ludovici ex mœrore obitus.* *Carolinæ stirpis exspiratio.*

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Benedictus IV, qui ab anno Christi 900 sedit annos 4 & menses 6, Leo V, qui sedit mensem unum, Christophorus I, qui sedit menses 7, & Sergius III, qui ab anno Christi 906 sedit annos 7. Quum autem jam antea inter Pontifices variæ fuissent discordiæ, & Formosi decreta modò abolerentur, modò restituerentur, unde in populo etiam factiones exoriebantur, tandem Sergius cæteris omnibus pejor ex Gallia, ubi delituerat, reversus in Italiam, Christo-

Pontificum discordiæ. *Sergius III papa savit.*

ſtophorum Papam in vincula conjecit, idque auxilio Ludovici Imp. & quoniam Formoſus ipſi impedimento fuerat in Papatus dignitate, inaudatâ inhumanitate cadaver Formoſi de ſepulchro effodi juſſit, & Papali habitu indutum per carnificem caput amputari, truncum verò in Tiberim abjici. Plura apud Baleum fol. 127, 128, 129, 130. Mellif. p. 3. fol. 121. Huic Sergio filius fuit Johannes XI Papa, de quo in ſeqq. quamvis alii hunc Johannem dicant filium Landonis ex adulterio. Baleus fol. 132.


2. In Orientali Imperio Leoni Philoſopho ſucceſſit frater Alexander, moribus, ſtudiis & ingenio fratris diſſimilimus. Cœpit imperare anno Chriſti 909, & imperavit annum unum. Homo luxu & ignaviâ perditus, imperii negligens, adulatoribus & præſtigiatoribus totus addictus. Quum non niſi à balneo pranderet, & jam à prandio nimio cibo repletus corpore vehementiùs extenſo equum conſcendere vellet, venâ interius ruptâ cum ſanguine animam evomuit. Peuc. f. 718. Cæterùm Alexander moriturus imperium commendavit Conſtantino Leonis filio, puero ſeptenni, ita tamen ut eſſet ſub tutela Zoës matris & nobilium quorundam. Cœpit imperare anno Chriſti 909, & imperavit annos 50, nempe cum Alexandro patruo & matre annos 13, cum Romano ſocero annos 26, ſolus annos 15. Fuit Romanus Lacapænus Armenius, claſſi præfectus, qui, Zoë à gubernatione remotâ in monaſterium, filiam ſuam Conſtantino deſpondit, & poſtea Conſtantino excluſo ſe & filios ſuos Imperatores conſtituit, imperiumque annos 26 tenuit, ſed tandem à filiis captus & in exilium actus perfidiæ ſuæ pœnas luit. Mox Conſtantinus Romani filios comprehenſos tonſoſque in ordinem redegit, & ſic ſolus imperio potitus prudenter id adminiſtravit. Beneventum Italiæ urbem Longobardis eripuit. Contra Saracenos infelix fuit. Turcos muneribus placavit & plurimos ex illis ad Chriſtianam religionem convertit. Filium habuit Romanum, qui cognomento dictus eſt junior, cujus dolo quum venenum hauſiſſet, ingentibus totius corporis doloribus correptus imperio ſeſe abdicavit & reliquum vitæ tempus precibus & lectionibus ſacris conſumpſit. Peuc. fol. 719. Mellif. p. 3. fol. 167 & 168.

Alexander Imp. Orientalis, homo flagitioſus

Alexandri obitus

Conſtantinus Orientalis.

Conſtantini prudentia & infelicitas.



3. Bulgari quaternis expeditionibus urbem Constantinopolin bis obsederunt; Adrianopolin bis ceperunt & diripuerunt, sed non retinuerunt. In ultima autem expeditione pervastatione penetrarunt in Macedoniam usque. Peuc. fol. 719.

Albertus Comes Bambergensis contra Episcopum Herbipolensem.

4. In Germania bellum exortum est inter Albertum Comitem Bambergensem & Episcopum Wurtzburgensem. A partibus Alberti stabant ejus fratres Adelhardus & Henricus; à partibus Episcopi erat Conradus Franconiæ Orientalis Dux, Hassiæ Comes. In hac expeditione quum fratres Alberti periissent, Albertus horum cædem ulturus Conradum Francum intercepit & interfecit. Ludovicus Imp. propterea Albertum in judicium vocat ad dicendam caussam, & quum non compareret, proscripto bellum indixit & intulit. Obsidetur igitur Albertus in arce Bamberga. Interposuit sese Hatto Archiepiscopus Moguntinus, & ad Albertum profectus promittit se ipsum Cæsari reconciliaturum, aut salvum & incolumem in urbem Bambergam reducturum. Albertus credulus Moguntinum ad prandium amanter invitat, qui moræ impatientiam simulans Albertum ut festinet hortatur. Ingrediuntur iter, & quum vix urbe essent egressi, Jam demum, inquit Moguntinus, pœnitet me spreti prandii quod offerebas, quum iter longius nobis sit conficiendum. Rogante Alberto regrediuntur in urbem ad prandium, & sic à Moguntino Albertus in urbem reducebatur. Profecti deinde sunt ad Cæsarem in castra, ubi Albertus captus & capite truncatus est. Moguntinus exprobratam hanc fraudem sophisticè excusare, & sese defendere, quòd Albertum extra urbem eductum ad prandium sumendum salvum reduxisset, & sic suo promisso stetisset. Dress. fol. 408. ex Ursberg. & Frising.

Hattonis Moguntini Archiepiscopi perfidia.

Albertus Bambergensis capite truncatur.

5. In

5. In Italia etiam turbæ fuerunt non leves à Saracenis & Afris immanissimè eam vastantibus. Præterea, Lamberto Guidonis filio in venatione ab Hugone Mediolanensi Duce occiso, Ludovicus Bosonis regis Burgundiæ filius in Italiam accitus rex salutatur, quem Berengarius captum exoculavit. Boson Burgundiæ rex ex Irmengardi uxore, filia Ludovici II Imp. suscepit filium Ludovicum hunc, Italiæ regem, quem Berengarius Veronæ excæcavit. Hujus Bosonis sororem Richildem uxorem duxerat Carolus Calvus Imp. & ut major esset autoritas Bosonis, despondit ei Irmengardem filiam Ludovici II Imper., & Ducem Italiæ primùm, mox etiam Regem provinciæ creavit, Berengarium verò ac Guidonem Romanæ nobilitatis proceres ex veterum Longobardorum stirpe Duces fecit, & quidem Berengarium Forojuliensium & Veronensium, Guidonem verò Spoletanorum. Peuc fol. 678, 679. Hi porrò regnum Italiæ sibi vendicare conati sunt, ubi Berengarius studiis suorum adjutus Italiæ regnum occupavit, coronam ab Anselmo Mediolanensi Antistite adeptus. Hoc indignè ferens Guido acie pepulit Berengarium, qui exul profugit ad Arnolphum Imp. cujus operâ restitutus à Lamberto Guidonis filio iterum copiis & Papia exutus est. Lambertus igitur popularium factione subnixus regium nomen retinuit, donec ab Hugone in venatione occisus vacuam sedem soli Berengario relinqueret. Sed hic quum invisus esset Italis, rejectus est & accitus Ludovicus Bosonis filius, deinde à Berengario captus & exoculatus. Vide etiam Mellif. p. 3. fol. 123 & 124. Nota tabulam:

Ludovicus Bosonis regis Burgundiæ filius rex Italiæ salutatus à Berengario exoculatur.

Berengarius regnum occupat. Bellum inter Berengarium & Guidonem.

Ludovicus II Imp.
|
Irmengardis. — Boson.
|
Ludovicus à Berengario excæcatus.

6. Ungari Pannoniâ egressi & in fines Longobardorum ingressi omnia cædibus, incendiis & rapinis crudeliter vastant, quibus sese opposuit Ludovicus Imp. ut diximus. Excitus quoque Berengarius contra illos ingentem exercitum eduxit, sed pari fortunâ ut Ludovicus Imp. Dissipatis enim Italicis copiis Italia miserabiliter direpta est. Fuit autem expeditio Berengarii suscepta

ante expeditionem Ludovici Imp. Mellific. part. 3. fol. 124, 125.

CONRADUS PRIMUS.

Conradi origo.

Quo patre & ex qua familia hic Conradus fuerit oriundus, inter scriptores non convenit. Ex verioribus historiis admodum est probabile, fuisse filium Conradi illius, quem interfecit Albertus Bambergensis, ob hoc factum à Ludovico IV Imp securi percussus, de quo suprà. Fuit ergo hic Conradus Dux Franconiæ, sed extra Caroli M. stirpem, ad imperium electus ab Episcopo Moguntino, Othone Duce Saxoniæ, qui imperium oblatum recusaverat, patre Henrici Aucupis, & proceribus

Dissensiones principum in electione Conradi.

Francorum: dissentientibus Arnolpho Duce Bavariæ, Giselberto Duce Lotharingiæ, & Burghardo Duce Sueviæ, qui ex Gallia accersiverunt Carolum Posthumum. Hisce post Othonis Saxoniæ Ducis obitum sese adjunxit filius Henricus. Res ad bellum devenisset nisi Ungarorum irruptiones in Bavariam id impedivissent. Cœpit autem Conradus imperare anno Christi 912, & impera-

Conradi virtutes.

vit annos 7. Princeps fuit strenuus, animosus & corpore præstans, tum in rebus gerendis exercitatus. Ab Hungarorum petulantia quum annuâ pensione Germaniam

Conradus masculè se gerit adversus adversarios suos & Germaniam pacat.

liberasset prodierunt iterum hostes ejus Arnolphus Bavarus, Burghardus Suevus & alii, qui sese ipsi opponebant & ex imperio deturbare conabantur, sed infelici eventu. Omnes enim partim vi partim consilio & prudentiâ à Conrado fuere oppressi. Indictâ Synodo anno Christi 916 effecit ut omnes sui hostes excommunicarentur, quos paulò pòst conventu habito proscripsit, & Arnolphum Bavarâ pepulit, qui tamen mortuo Imperatore sua recuperavit. Fratres Giselberti Lotharingi Eringerum & Bertholdum securi percussit. Et hoc modo

Conradi ἀμνησία.

Germaniam pacavit. Sub finem vitæ egregium ἀμνησίας specimen edidit in Henrico Aucupe, quem habuerat adversarium. Convocatis enim Germaniæ proceribus hujus Henrici virtutes ut commendavit, & autor fuit ut post obitum suum ipsum Imperatorem deligerent, fore enim ut collapsas Imperii res collecturus & patriam contra barbaras gentes masculè sit defensurus ac vindicaturus, quod etiam factum est.

Syn-

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Anastasius III, qui ab anno Christi 913 sedit annos 2, Lando, qui sedit 4 menses, & Johannes X, qui sedit annos 14. Sub Anastasio in Tiberi à piscatoribus repertum fuit corpus Formosi & in D. Petri basilica sepultum. De Johanne X dubium est utrùm sit idem ille qui Johannes XI dicitur. Ut ut sit, scribitur hic Johannes fuisse Landonis ex adulterio filius, & deinde quasi hæreditario jure sed per scortationem ad Papatum ascendisse. Erat enim quædam Theodora Romanæ urbis domina, quæ impuro amore in hunc Johannem adeò exarsit, ut ad scortationem ipsum etiam compulerit, & ut liberiùs eo uti posset Papam fecit. Sed de hoc Johanne in seqq.

2. Hungari irruptionem faciunt in Germaniam, & aggressi Arnolphum Bavariæ Ducem fortiter repelluntur. Quare pace cum eo factâ converterunt sese ad Italiam, ubi Berengarius rex metuens illorum sævitiam magnâ pecuniâ mercatus est pacem. Regressi igitur Hungari ab Italia redeunt in Germaniam, & primùm Saxoniam, Thuringiam & Franciam, deinde Rheno transmisso, Lotharingiam & Alsatiam vastant, & Conradum Imp. ad pacem redimendam cogunt. Peucer. fol. 692. Dress. fol. 460.

HENRICUS I, COGNOMENTO AUCEPS.

Hactenus fuerunt Imperatores Francici, sub quibus variam fortunam expertum est Imperium, bellis partim intestinis partim exteris vexatum. In unam Monarchiam Carolus M. coëgerat Italiam, Galliam & Germaniam. Sublato Carolo quum nepotes degenerarent, & domesticis dissidiis distraherentur, indeque exteri hostes sui commodi maximas spes conciperent, enervata imperii majestas penè concidit. Italiam gravissimè afflixit dissidium inter Berengarium & Guidonem. Gallia non caruit suis motibus, donec tandem excisâ Carolinâ progenie Hugo Capetus ex Saxonum familia oriundus regnum adortus est. In Germania etiam graves fuere dissensiones, maximè propter electionem Conradi, & quòd extinctâ jam Caroli M. posteritate Gallici reges Imperii Ἀνακεφαλαίωσις.

 digni-

dignitatem ad se trahere studerent, ac si essent legitimi hæredes, Ecclesia etiam multum de pristina sua puritate amisit. Nam sub Carolo M. usus preciosarum vestium in distributione Cœnæ Dominicæ primùm introductus est. Sub Ludovico Pio privatarum missarum usus inventus & ad posteritatem propagatus est. Atque ita prima semina profanationis S. Cœnæ & ἀρτολατρείας jacta sunt. Hæc est calamitas politiæ & Ecclesiæ..

Henricus I.

Sed ad Henrici I historiam accedamus. Fuit hic filius Othonis Saxoniæ Ducis, qui imperium ante Conradum oblatum propter ætatis gravitatem recusaverat. Princeps multis virtutibus ad imperii gubernationem necessariis instructus. quæ etiam caussa fuit, quòd Conradus per fratrem suum Eberhardum Imperii ornamenta ipsi transmisit. Dictus fuit Auceps, quòd aucupiis & venationibus impensè delectaretur, & tenuit Saxoniam, Turingiam, Hassiam, Wetteraviam, Westphaliam & Angrivariam. Cœpit imperare anno Christi 920, & imperavit annos 17. Princeps in politia & Ecclesia laudatissimus. In primo ingressu de motibus in Germania sedandis studiosè cogitavit, ideoque cum Arnolpho Bavaro, quem humanitate magis quàm armis vicit, amicitiam junxit, eamque nuptiis confirmavit filiâ Gerbirgâ Arnolphi filio, Juditâ vero Arnolphi filiâ filio suo Henrico in matrimonium locatâ. Contra Henetos & Sorabos exercitum duxit, quibus domitis totum illum tractum præfecturis limitaneis, quas Marchias vocamus, distinxit, & quidem contra Henetos statuit Marchiam Brandeburgensem, contra Danos Marchiam Slesvicensem, unde Danomarchia; contra Sorabos, Polonos, Silesios & Boëmos Marchias Misnensem & Lusaticam. Marchiis ita constitutis & præsidiis munitis Ecclesias quoque condidit Brandeburgensem, Misnensem & Havelburgensem, ut per Christianam religionem gentes illæ faciliùs in officio continerentur. Fecerat Henricus pacem cum Ungaris in annos 9, quibus elapsis reversi illi Saxoniam infestare & populari cœperunt. Sed Henricus satis maturè illis occurrit ad Mersburgum, ubi exercitu inter pugnandum acclamante: κύριε ἐλέησον, κύριε ἐλέησον, cæsi sunt ampliùs 40000 Ungarorum & internecione deleti, reliquis fugatis & totâ Germaniâ exactis. Tributum autem illud, quod Ungaris debebatur, in pios usus

Quur Auceps dictus.

Henricus Brenni arcem, id est, Brandeburgum, quod Heneti tenebant, expugnavit mediâ hyeme castris super glaciem positis, anno Christi 927.

Danomarchia.

Henricus in Marchiis constituit Ecclesias.

Henricus domat Ungaros.

usus & pauperum sublevationem convertit ac distribuit. Hâc victoriâ summam autoritatem non solùm apud domesticos verùm etiam exteros reges ac principes sibi comparavit Henricus. Germaniâ hoc modo pacatâ, quum iter in Italiam pararet, correptus est apoplexiâ, quæ in paralysin desiit. Othonem igitur filium natu maximum quum Imperatorem designasset rebus humanis exemptus est anno ætatis 60, anno Christi 936. Sepultus Quedlinburgi. Uxorem Henricus habuit Mechtilden filiam Diterici, qui proavum habuit Widechindum illum qui cum Carolo M. dimicavit. Ex hac Mechtilde Henricus suscepit tres filios, Othonem, Henricum *a*, & Brunonem, item filias Gerbirgam, Adelheidem, quarum illa nupsit Giselberto Duci Lotharingiæ, unde bellum inter Francos & Lotharingos sopitum est, & postea Ludovico Galliæ regi. Adelheides desponsa est Hugoni M. Comiti Parisiorum, eique genuit Hugonem Capetum. Fuit ergo Henricus Auceps avus maternus Hugonis Capeti, à quo descendunt Galliæ reges usque ad hæc nostra tempora. Ante conjugium habuit Henricus concubinam, ex qua naturalem filium suscepit Tanguardum, qui bellum movit Othoni, ut dicetur.

Henricus Germaniam pacat.

Henricus filium Othonem designat Imperatorem.

Henrici obitus, uxor & liberi.

a Cognomento Rixosum, cujus nepos fuit Henricus Sanctus Imp.

Hugo Capetus Henrici Aucupis ex filia Adelheide nepos.

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Johannes sive X sive XI, Leo VI, & Stephanus VIII. Johannes egregius fuit miles & bellator insignis, qui sumptis armis ex Calabria & Apulia ejecit Saracenos, & quum inde insolentior esset factus, cœpit illum odisse Guido Thusciæ provinciæ Marchio, cujus uxor fuit Marozia Theodoræ illius de qua suprà filia. Hic Guido misit milites qui Johannem interfecerunt cervicali super os injecto suffocatum., & successorem constituerunt Johannem XII Sergii Papæ ex Marozia illa per adulterium filium, quem tamen clerus ac populus non receperunt, sed in maximo civium tumultu Leonem VI elegerunt, qui ab anno Christi 935 sedit menses 6 veneno sublatus à Marozia. Successit Stephanus VIII, (Baleus vocat septimum,) qui in ocio vixit & pontificatum tenuit annos 2, veneno deinde sublatus. vide Baleum fol. 132 & seqq.

Johannes XI Papa eximius miles.

Johannes XII à populo & clero rejectus.

Leo VI.

Stephanus VIII.

2. In Italia Berengario I interfecto & intestinis motibus ingravescentibus, aliis quoque atque aliis regibus ascitis, Rodolphus Burgundiæ rex Italiam armatâ manu adiit.

Bellum inter Rodol-

phum Burgundum & Berengarium II. Lotharius filius Hugonis Comitis Arelatensis, Rodolphi Burgundi gener. Berengarius interficit Lotharium & sese Imperatorem vocat.

adiit. Huic sese opposuit Berengarius II, nepos Berengarii I ex filia Gisela, uxore Alberti Marchionis Eporegiæ, sed profligatus & ad Hungaros fugiens reliquit Italiam Rodolpho. Quum verò Rodolphus Italis minùs placeret, accersitus est Hugo Comes Arelatensis ex Gallia, qui occupatam Italiam tradidit filio suo Lothario. Hic est ille Lotharius qui uxorem habuit Adelheidem filiam Rodolphi Burgundi, quam post Lotharii obitum viduam duxit uxorem Otho M. Imp. Berengarius ex Hungarorum castris reversus Lotharium interfecit, ejusque uxorem Adelheiden captivam tenuit Paphiæ, se verò Pontificum consensu Imperatorem appellavit, &, filium Albertum Romanorum regem fecit. Peucer. fol. 728. & 740.

3. Heneti, Rutheni & Abotriti Christianam religionem suscipiunt.

Peuc. fol. 735 & 736.

Genealogia Saxonum usque ad Henricum Aucupem & Hugonem Capetum.

Sighardus, contra Dagobertum Francum.

Ditericus f. oppugnatus à Carolo Martello.

Wernechinus f. Dux Angrivariorum.

Bruno f. — Ludolphus f. à Ludovico Pio constitutus Dux Saxoniæ. — Otho

Widechindus qui cum Carolo M. dimicavit.

Widechindus f. — Wide-

Wigbertus f. — Wal-

Otho Dux Saxon. f.
|
Henricus Auceps f.

Widechindus conductus à Carolo Calvo Imp. ad militandum in Gallia contra Norman.
|
Rupertus f. Dux Andium.
|
Otho tutor Caroli Simplicis. — Rubertus contra Carolum Simplicem.
|
Hugo Magnus Parisiorum Comes, cujus uxor Adelheidis.
|
Hugo Capetus.

Walbertus f.
|
Dieterichus f.
|
Mechtildis f. uxor Henrici Aucupis.

Otto Dux Saxoniæ.
|
Henricus Auceps Imp.
|
Adelheidis.

Peuc. fol. 728. & 740.

Lotharius Italiæ rex.
|
Hugo Comes Arelatensis.
|
Lotharius f.

Berengarius I rex Italiæ.
|
Gisela f. — Albertus Marchio Eporregiæ maritus.
|
Berengarius II, qui tenuit Italiam usque ad Othonem Magnum.

Rodolphus Burgundiæ rex.
|
Adelheidis f. uxor.
1. Lotharii.
2. Othonis M. Imp.

OTHO

OTHO I; Cognomento MAGNUS.

Filius Henrici Aucupis, à patre omnium procerum consensu Imperator declaratus,& ob res præclarè gestas variosque hostes edomitos dictus honoris gratiâ Magnus,cœpit imperare anno Christi 936, & imperavit annos 37. Princeps de Patria & Ecclesia optimè meritus, ac proinde omni laude ac prædicatione condecorandus. Initia gubernationis habuit difficilima propter varia bella tum interna tum externa. Fuerunt autem bella hæc: Boëmicum, Germanicum, Ungaricum, Danicum, Gallicum & Italicum, in quibus omnibus singularem ostendit virtutem ac felicitatem. Boëmicum gessit contra Boleslaum Boëmiæ Ducem, hominem inquietum & impium, qui fratre Wenceslao quòd ad Christianos transiisset, in æde sacra sub precibus trucidato, vicinos etiam hostiliter invaserat, quibus Otho rogatus auxilio misit primò Esiconem Ascaniæ Comitem, qui incautus à Boëmis oppressus fuit, deinde alium ducem Hermannum, qui dolo fratris Eckhardi impeditus nihil proficere potuit. Tandem Cæsar ipse in Boëmos movit eosque compescuit; quod factum est anno Christi 937. ac licet postea Boleslaus bellum sæpè renovaverit & in annum 15 produxerit, tamen diuturnitate fractus tandem in fidem Cæsaris sese dare coactus est. Eodem fermè tempore gestum est bellum Germanicum, cui occasionem dedit Tanguardus Saxoniæ Dux Othonis frater sed νόθος ex Henrici Aucupis concubina. Hic provinciam Sigefridi Marchionis Brandeburgensis jam defuncti sine prole occupabat ejecto Gereone cui Otho provinciam destinarat. Odio Othonis Tanguardo se adjungebat Eberhardus Franconiæ Dux, qui in hoc negotium pertrahebat quoque Giselbertum Lotharingiæ Ducem, cui spem regni fecerat. Tanguardus à copiis Othonis Brandeburgi obsidetur, cui subsidio venturus Eberhardus in itinere cepit Henricum fratrem Othonis eumque capitivum abduxit. Interim Tanguardus à militibus interficitur & Brandeburgenses sese dedunt fidei Imperatoris. Eberhardus

Bellum Boëmicum.

Bellum Germanicum.

Othoni sese opponit Tanguardus frater ; νόθος ascitis sociis Eberhardo Franconiæ Duce & Giselberto Lotharingo.

Tanguardus obsessus interficitur.

bardus interitu Tanguardi territus renovat conspirationem in Imperatorem, in eamque trahit captivum Henricum, quem captivitate solvit. Fuerunt igitur conjurationis socii Henricus Frater Othonis, Eberhardus Francus & Giselbertus Lotharingus. Hi cum Imperatore ad Rhenum congrediuntur, sed infeliciter. Dissipatis enim illorum copiis in fugam vertuntur, ubi Henricus Mersburgum evasit, & inde elapsus in Lotharingia bellum instaurat confederatorum ope, & attrahit Ludovicum Transmarinum Galliæ regem Caroli Simplicis filium, qui spe recuperandæ Lotharingiæ Alsatiam invadebat, sed copiis Othonis inde regredi cogebatur. Convertit sese deinde Imperator in hostes socios satis feliciter. Eberhardus enim ad Andernacum oppidum acie cæsus est, Giselbertus in Rheno submersus periit. Henricus verò frater in fugam est conjectus. Nimirum qui potestati resistit, Deo resistit. Gessit Otho hoc bellum auxiliis & virtute Hermanni Ducis Sueviæ & fratrum ejus Udonis & Conradi, qui dictus est Sapiens. Cæterùm Henricus quum videret nihil se efficere posse, supplex Cæsari factus veniam impetravit, & pæterea Ducatum Bavariæ à fratre obtinuit. Hic est ille Henticus cognomento dictus Rixosus, cujus nepos fuit Henricus Sanctus Imperator. Cum Ludovico Transmarino Otho transegit, & ut pacta essent firmiora viduam Giselberti Gerbirgam sororem suam ei uxorem dedit, quæ peperit Lotharium Franciæ regem, & Carolum beneficio Othonis Lotharingiæ Ducem.

Henricus frater Othonis captivus jungit sese Eberhardo & Giselberto. Conjurati socii ab Othone in fugam vertuntur, & miserè pereunt.

Othonis socii. Henricus Othonis frater recipitur in gratiam.

Imperatore hisce bellis ita implicato renatum est Ungaricum bellum anno Christi 938. Ungari enim rati attritam jam esse Othonis & totius Germaniæ potentiam, ingentibus copiis in Germaniam & Galliam erumpebant, quos Imperator ad Lycum fluvium non procul ab Augusta ad internecionem cæcidit, perpaucis captis, inter quos scribuntur fuisse tres reguli, quos Henricus Bavarus suspendio necavit. Danicum bellum summa de necessitate Otho suscepit. Etenim Dani Marchionem, quem Henricus pater Othonis in Slesvicensi Ducatu collocarat, cum omni præsidio occiderant. Quam injuriam vindicaturus Otho cum Haroldo Danorum rege prælio decertavit, in quo Haroldus succubuit & pacem impetravit eâ conditione, ut Baptismum & religionem Christianam susciperet, regnum verò ab Imperio tanquam

Bellum Ungaricum.

Bellum Danicum.

Haroldus Danorum dux fit Christianus.

feudum

tendum possideret. Hoc modo Dania fidem Christianam profiteri cœpit, ut & paulò post Sclavonia. Nam Imperator ex Dania rediens nonnullos Sclavos ut Windos, Obotritos & alios in littore Balthico subegit & ad suscipiendum baptismum adegit. In Gallia Hugo Parisiorum Comes indignè ferens, quod Imperii ἀξίωμα penes Germanos esset, & Ludovicus Transmarinus Franciæ rex Imperatoris sororem Gizbergam uxorem duxisset. Normannos incitat contra Ludovicum, à quibus Ludovicus captus in custodiam est traditus, ejusque filius Carolomannus Rotomagum est abductus, ubi vitam finiit. Hoc modo Hugo sperabat se regnum Franciæ invasurum. Verùm Otho justa arma induens, ut auxilio esset affini Ludovico, cum exercitu accessit ad urbem Parisiorum, & Hugonem cinctâ obsidione ad pacem petendum impulit, Ludovico regnum reddidit, ac insuper Belgas & Burgundos Galliæ regno detractos Germaniæ adjecit. Festivum est quod hic narratur de stramineis pileis cum colis & fusis quibus Imperator suos milites instruxit in ludibrium Hugonis, qui Saxones per contumeliam viros stramineos & effœminatos dixerat.

Bellum Gallicum. Hugo Parisiorum Comes frustra affectat Galliæ regnum.

Belgæ & Burgundi Germaniæ adjiciuntur.

Sequitur bellum Italicum, quod Othoni propter Pontificum perfidiam fuit longè gravissimum. Natum est hoc bellum ex Berengarii II insolentissimo fastu & sævitia. Lotharium enim Italiæ regem interfecerat, ejusque conjugem Adelheidem Rodolphi Burgundi filiam carceri inclusam tenebat, Imperatorem sese, & filium Albertum regem Romanorum superbo titulo nominabat, idque Pontificum assensu, aliaque multa protervè & tyrannicè agebat. Pontifex Agapetus & suo & totius Italiæ nomine Othonis auxilium implorabat, quod Imperator denegare non potuit. Duxit igitur in Italiam exercitum 50000 virorum, & Berengarium cum suo filio expulit, Adelheidem è custodia ereptam uxorem sibi adjunxit, quum prior conjux Editta Anglica tempore expeditionis Gallicæ esset mortua. His ita peractis relicto post se Conrado genero Italiæ gubernatore in Germaniam rediit, Berengarius Othonem insequitur, & deprecante Conrado impetrat restitutionem in regnum Lombardiæ, demptâ tamen Marchiâ Foro-Juliensi, Veronensi & nonnullis aliis quæ fratribus suis in Bavaria Cæsar tribuit, Berengarius sic restitutus per decennium regnum Lom-

Bellum Italicum, cujus caussa fuit Berengarius II.

Berengarius ex Italia expulsus.

Berengarius restituitur, & deinde ad ingenium redit.

Lombardiæ tenens ad ingenium rediit, adeò ut anno Christi 960 à Pontifice Johanne XII totius Italiæ verbis mitteretur legatio ad Othonem petitum liberationem à Berengarii tyrannide. Otho rebus in Germania compositis & filio Othone ordinum suffragiis successore constituto novam expeditionem in Italiam suscipit anno Christi 96. Captâ Papiâ & aliis nonnullis urbibus Berengarium cum uxore Willa in fugam conjicit, quos dum insequitur, ex itinere Romam deflectit, ubi à Johanne XII Pontif. coronatus urbem occupavit, Senatu & civibus in fidem receptis, deinde Berengarium deditione captum unà cum uxore Willa in Germaniam abduxit, & Bambergæ ad perpetuos carceres condemnavit, ubi ambo mortui sunt. Interea temporis Pontifex Johannes summâ levitate alienior ab Imperatore factus contra datam fidem Albertum Berengarii filium clam in urbem Romam intromittit, ex quo Imperator vehementer motus cum exercitu rediit ad urbem, & quia Pontifex cum Alberto aufugerat, denuo cives juramento fidelitatis sibi obstringit, & insuper ne sine consensu Imperatoris Pontificem creent. Celebratâ Synodo Johannem XII propter perfidiam, libidines & alia flagitia pontificatu movet, suffecto in ejus locum Leone VIII. Hic Leo deinde, facto in eadem Synodo decreto, Othoni & omnibus subsequentibus Impp. contulit jus eligendi & consecrandi Pontificem Romanum, nec non Episcopos constituendi, qui mos ad tempora usque & bella Henricorum perduravit. Paulò pòst Romani, instinctu Alberti Berengarii filii, Leone urbe pulso revocarunt Johannem, quo turpi venere extincto, ad pontificatum accersiverunt quendam Benedictum. Imperator igitur reducto ad urbem exercitu, & urbe fame in deditionem acceptâ civibus quidem pepercit, sed Benedictum in exilium relegavit ad Adaldagum Episcopum Hamburgensem, ubi mortuus est. Moritur interea Leo, cui successor autoritate Imperatoris designatus est Johannes XIII, quem quum quidam ex nobilitate in contumeliam Imperatoris in carcerem conjecissent, indignatus Imp. Romam acceleravit, & ut finis aliquando harum turbarum esset, autores istius consilii suspendio punivit. Hæc sunt gravissima illa bella quæ Othoni imperii gubernationem difficilem fecerunt. Hostes etiam expertus est Conradum generum

Berengarius ad perpetuos carceres damnatus moritur.

Johannis XII Papa perfidia.

Joh. XII Papa profugus.

Leo VIII creatur Papa.


Johannes XII revocatus turpi venere extinguitur, cui succedit quidam Benedict.

Johannes XIII Papa.

Othonis bellum

contra generum & filium. propter restitutionem Berengarii in regnum Lombardiæ, & Ludolphum filium propter alteras nuptias, cum Adelheide, unde bellum exarsit, in quo tandem pater superior ac victor filio & genero supplicibus & nudis pedibus culpam multis cum lacrymis deprecantibus ignovit. *Otho filio Othoni jungit uxorem.* Cogitans tandem Otho de uxore filio Othoni jungenda, missis anno Christi 967 legatis Theophaniam filiam Romani junioris, jam verò privignam Nicephori Imp. Orientalis, petiit & impetravit. Convenit de loco, ubi per legatos deducenda esset sponsa ad sponsum. Quum autem Græci hoc matrimonium ægrè ferrent, legatos Othonis partim occiderunt partim captos Constantinopolin abduxerunt. Otho hoc facinore graviter irritatus misit Comites Gunterum & Sigefridum fratres, qui superbos Græcos fuderunt, & captos truncatis naribus dimiserunt, Calabriam & Apuliam populati ad Imperatorem victores redierunt. Deinde occiso à Græcis Nicephoro Johannes Zimisces successor in Oriente Theophaniam magna cum pompa ut sponsam misit Othoni, & nuptiæ cum festivitate celebratæ sunt anno Christi 972. *Othonis cura de Ecclesiæ salute.* Ecclesiæ quoque magnam curam ac rationem habuit Otho Imp. ita ut ad bellicas victorias veritatis quoque ac doctrinæ cœlestis victorias magno cum fructu adjiceret, & gentes à Christiana religione alienas ad verum Deum ejusque sincerum cultum adduceret, Ecclesias instituendo & fundando, quas in Episcopatus distribuit, & annuis reditibus, quibus Ecclesiarum & scholarum ministri alerentur, liberaliter locupletavit. *Othonis obitus.* Quibus omnibus eximia cum laude & gloria Dei expeditis Mersburgo Quedlinburgum profectus, subitaneo morbo correptus, forsan apoplexiâ, placidè in Deo obdormivit, anno Imperii 37, Christi 973, & cadaver Magdeburgi sepultum est, juxta priorem conjugem Edittam Anglicam, Edmondi regis filiam, ex qua suscepit duos filios, Ludolphum Sueviæ Ducem, & Wilhelmum Episcopum Moguntinum, qui vivo patre mortui sunt, nec non filiam Ludgardam, quæ fuit conjux Conradi Sapientis Francorum Ducis. Alteram conjugem habuit Adelheiden Lotharii regis Italiæ viduam, ex qua suscepit tres filios, Henricum, Brunonem & Othonem successorem, & filiam Adelheiden, quam in uxorem tradidit Hugoni Capeto Hugonis M. filio Franciæ regi. Nota tabellam:

Henr.



a *Hunc Otho III fecit Pontificem Romanum nomine Gregorium V.*

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Leo VII, Stephanus IX, Martinus II, Agapetus II, Johannes XII (quem alii faciunt XIII,) Benedictus V, Johannes XIII, Benedictus VI. Ex hisce propter horrenda flagitia maximè celebratur Johannes, qui propter stupra, adulteria, incestas libidines, perfidiam & alia scelera ab Othone Imp. Pontificatu fuit dejectus, & in locum ejus Leo VIII suffectus, ut suprà indicavimus. Sed absente Imp. Johannes pontificatum recuperavit, & quum nocte quadam extra Romam anno 10 sui pontificatus cum cujusdam strenui viri uxore sese oblectaret, ita est à marito pugione confossus, ut intra octiduum ex vulneribus moreretur. Romani surrogarunt Benedictum V, quem Otho Imp. exilio mulctavit, & Leonem VIII restituit, qui Othone in Germaniam reverso è vivis excessit, eique successit Johannes XIII. qui ab anno Christi 965 sedit annos 7, & successorem habuit Benedictum VI, qui à Cynthio Romano cive ob quasdam nequitias captus & carceri inclusus, ne ex Germania Cæsarem evocaret, strangulatus est. Plura apud Baleum fol. 142 & seqq.

Mellif. p. 5. fol. 149.

Johannes XII Papa in adulterio confossus.

2. Multæ Ecclesiæ studio & curâ Othonis conditæ

sunt, ut Brandeburgensis, Havelbergensis, Misnensis, Cicensis & Magdeburgensis; multa etiam Monasteria partim instaurata, partim ampliata, partim ædificata; & religio Christiana etiam apud Sclavos propagata.

3. Fundatus est Archiepiscopatus Magdeburgensis, in quo primus Episcopus fuit Adelbertus Wissenburg, confirmatus à Johanne XIII Papa, anno Christi 970.

4. Christianismus in Polonia receptus est à Mislao Polonorum principe, & simulacra ethnicorum numinum conflagrata. Bucholtz. in anno 965. Silesia quoque Christianam religionem recepit.

Romanus junior, homo sceleratissimus.

5. In imperio Orientali Constantino Leonis filio, qui imperaverat annos 50, successit filius Romanus junior, qui patrem veneno submoverat. Cœpit imperare anno Christi 959, & imperavit annos 3. Homo sceleratissimus, crudelis & impius in matrem & sororem, quas ejectas coëgit meretricium quæstum exercere. Contra Saracenos in Creta ut & in Syria felix fuit Duce Nicephoro Phoca. Uxores habuit duas, primam Bertam Hugonis regis Italiæ filiam; deinde Theophaniam, ex qua suscepit filios duos, Basilium Porphyrogenitum & Constantinum; filiam unam Theodoram, quæ nupsit Johanni Zimiscæ, qui ante filios imperavit, & alteram Theophaniam, quæ matrimonio juncta est Othoni II Imp. Othonis filio. Tandem libidinibus & crapulis confectus vitam finiit, & quum filiis impuberibus propter ætatem imperii gubernatio committi non posset, consilio procerum

Nicephorus Phocas.

Imperator factus est Nicephorus Phocas, ob res in Sicilia & Apulia contra Saracenos præclarè gestas celebris. Cœpit imperare anno Christi 963, & imperavit annos 6. Homo inexplebilis avaritiæ, ut nomismata injusti ponderis cuderet, & famis tempore subditis egenis turpiter imponeret. Uxorem duxit Theophaniam Romani junioris viduam. Terrâ feliciter contra Saracenos egit Duce Johanne Zimisce, sed mari ad Siciliam infeliciter Duce Manuele, qui à Saracenis in angustias conclusus amissis copiis universis in hostium potestatem venit. Quum autem propter avaritiam in omnium odio esset, & uxor Theophania imperium ad filios ex priore marito trans-

Johannes Zimisce.

ferre cogitaret, ejus consilio à Johanne Zimisce in cubili trucidatus est, qui etiam successit in Imperio, & cœpit imperare anno Christi 969, imperavitque annos 6. Nicephori

phori necessarios sustulit è medio, & affines Basilium & Constantinum imperii consortes fecit. Saracenos ab obsidione Antiochena depulit, & Roxolanos auxiliis Bulgarorum Thraciam devastantes, fuso ac dissipato exercitu 300000 militum, trophæaque in templum Constantinopolim retulit. Veneno lento hausto lentâ tabe consumptus obiit.

6. Quid in Germania, Italia, Gallia, Boëmia, Ungaria, Dania, &c. actum sit, suprà narratum est.

OTHO II.

Fuit filius Othonis 1, ex Adelheide, quam pater è carcere liberaverat, natus, & educatus in gymnasio Osnabrugensi à Wilhelmo Episcopo, cujus informatione Græcam linguam exactè didicerat, quæ illi pòst vitam in discrimine servavit. Cœpit imperare anno Christi 973, & imperavit annos 10. Puer septennis Aquisgrani declaratus est patris successor, & postea quum adolevisset, Romæ anno Christi 964, ubi heroïci animi prima tirocinia ostendit patre vivo in bello contra Græcos & Saracenos, qui deductionem Theophaniæ Sponsæ, de qua suprà, impediverant legatis graviter violatis. In hoc bello Græcos & Saracenos ex Apulia & Calabria profligavit, unde magnam autoritatem & hostibus formidabilem sibi conciliavit. Quanquam autem initia habuit satis prospera, tamen fortuna quæ secuta est valdè fuit immutata, nec primis initiis respondit. Post patris obitum adversarios habuit Henricum Bavariæ Ducem, Lotharium Franciæ regem, & Basilium ac Constantinum fratres Impp. Græcos. Henricus Bavariæ Dux cognominatus Hezelo, filius fuit Henrici Rixosi, qui fuit frater Othonis 1; fuit igitur patruelis Othonis II. Hic Othoni invidens imperium, tractis ad sese aliquot Episcopis Ratisbonæ Imperatorem se nominabat. Accersitus igitur ab Othone ad dicendam causam, & metuens Othonis potentiam nec non subditorum in Othonem studium, sine armis coactus est pacem petere, & exilio est mulctatus. Bavariæ administratione Othoni Suevorum Duci nepoti ex fratre Ludolpho commendatâ. Lotharius Franciæ rex fuit filius Ludovici Transmarini ex Girberga sorore Othonis 1. Hic Lotharingiam, quæ erat Imperii pro-

Othonis parentes & educatio.

Tempus imperii Othonis II.

Bellica tirocinia.

Mutatio fortunæ in Othone.

Othonis adversarii.

Henricus Hezelo.

Lotharius Franciæ rex.

vincia, armis repetiit, unde coactus Imperator celeriter eam recuperavit, & ejecto Lothario hujus fratri Carolo eam dono dedit, eâ tamen lege ut tanquam feudum Imperii possideret, atque ita imperii beneficiarius esset. Quod iniquè ferens Lotharius Cæsarem Aquisgrani diversantem repentino impetu oppressit, ubi nisi fugâ evasisset Otho Imp. in Francorum manus incidisset. Hanc injuriam ulturus Otho Gallos Lutetiam usque insecutus obvia cuncta populatus est, Gallosque ad pacem poscendam adegit, Lotharingiam recepit, & Germaniæ copulavit, sed tractuum nonnullorum avulsione diminutam, quos Episcopis Coloniensi & Leodiensi tribuit. In reditu ex Lotharingia Axonæ fluminis inundatione interclusus magna passus est detrimenta, multis aquarum impetu absorptis. Basilius & Constantinus Impp. Græci, fratres Theophaniæ conjugis Othonis, quum viderent Othonem bellis domesticis implicatum, exercitu ex Saracenis Siculis pecuniâ conducto Apuliam & Calabriam, quas nuper Nicephorus amiserat, recuperarunt. Cum his Otho congressus in Calabria clade magnâ eos affecit, sed mox redintegrato prælio cæsus est. Romanis & Beneventanis scelerate aciem deserentibus, & urgentium Saracenorum interventu terrâ exclusus in mare desiliit, sed ab hostium navibus interceptus quum à nemine agnosceretur, Græcæ linguæ beneficio evasisse scribitur, redemptionis precio avaris nautis persoluto. Servatus in tanto vitæ periculo resumptis viribus Saracenos ad internecionem delevit, ex quo Pallida mors Saracenorum item Otho sanguinarius est dictus. Contra Sclavos etiam qui in Saxoniam irruerant bellum habuit, quos Turingi & Saxones profligarunt deletis ampliùs 30000. Mortuus est sanguinis profluvio, relictis ex Theophania duobus filiis, Othone III & Hugone Marchione Saxoniæ, quem alii Ulricum nominant. Sepultus est Romæ in basilica D. Petri.

Othonis II bellum contra Impp. Græcos, idque infelix primo.

Otho II dictus Pallida mors Saracenorum.

Othonis II obitus & relicti filii.

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Bonifacius VII, Johannes XIV, (aliis XV) & Benedictus VII. Bonifacius malis artibus pontificatum adeptus, conspirantibus in eum civibus, quum videret non esse sibi Romæ tutum locum, surreptis ex D. Petri basilica preciosissimis thesauris Constantinopolim aufugit, ubi divenditis omnibus ingen-

Bonifacius VII sacrilegus & profugus.

ingentem auri vim collegit. Interea temporis Romæ in ejus locum Papa constituitur Johannes. Sed Bonifacius reversus civibus auro illectatis & pessimis quibusque pecuniâ corruptis Johannem cepit, oculis privavit & carceri inclusum necavit. Pontificatu hoc modo rursus occupato, paulò pòst apoplexiâ subito periit anno Christi 976. Post hanc calamitatem à clero & civibus Pontifex factus est Benedictus VII, annuente Othone Imp. Plura apud Baleum fol. 150 & seqq.

Papa necat Papam.

2. In imperio Orientali mortuo Johanne Zimisce rediit imperium ad filios Romani junioris Basilium Porphyrogenitum & Constantinum, quorum ille potiores partes tenebat, & jam ab anno Christi 975 imperavit annos 52, nempe usque ad annum Christi 1027. Bellis civilibus & externis fuit implicatus. Nam Bardas Sclerus dux sub Zimisce fortunæ favore insolentior factus magnam imperii partem ad se rapuerat, quem tertio tandem prælio duce Phoca Barda vicit, & omni exercitu exutum ad Persas fugere coëgit; sed postea recepit, Phocam verò recenti victoriâ elatum & res novas molientem repressit, ejusque filios patris fortunam ulturos oppressit. Bella externa gessit contra Georgium interioris Iberiæ dominum, contra Saracenos, qui Phœniciam & Syriam populabantur, & contra Bulgaros, quos omnes feliciter domuit. In Bulgaros captivos novum crudelitatis exemplum statuit, dum quindeccim millibus oculos eruit, ita tamen ut in singulis centuriis unum relinqueret monoculum qui cæteros domum reduceret. Tandem totam Bulgariam perdomuit, & suo imperio subjecit. Expeditionem contra Saracenos Siculos suscepit, sed fatali morte præventus non absolvit. Peuc. fol. 782, &c.

Orientale imperium redit ad filios Romani junioris. Basilii Porphyrogeniti bella & victoriæ. Bardas Sclerus. Phocas Bardas. Georgius Iberus. Saraceni. Bulgari. Bulgaria subjicitur imperio Orientali.

3. Hoc tempore vixisse creditur Suidas, quod inde colligitur, quia in ejus lexico finitur annorum mundi supputatio morte Johannis Zimiscæ Imperatoris Græci, quæ incidit in annum Christi 975.

OTHO III.

Fuit filius Othonis II ex Theophania, qui quum post patris obitum adhuc valdè puer esset, necdum aptus ad imperium, ab Italis dictus est Otho Puer, & ob hanc caussam variæ contentiones de imperio obortæ sunt.

Othonis III parentes & ætas.

Othonis adversarii. sunt. In Italia Romæ Crescentius Consul imperii Germanici impatiens ex Italis Imperatorem creari voluit. In Gallia Lotharius ob ereptam ab Othone II Lotharingiam iratus nihil non tentabat contra Othonem filium. In Germania Henricus Bavariæ Dux sub prætextu tutelæ hunc Othonem puerum per factionem abreptum ad se transtulerat spe potiundi imperii. Quæ dum ita agerentur, principes Germaniæ Othonem ab Henrico reposcebant, eumque raptori extortum tanquam legitimum hæredem Imperii caput assignabant. Cœpit imperare anno Christi 984, & imperavit annos 17, nempe usque ad annum Christi 1000. *Otho pacis studiosus.* Quamprimum autem ætas ejus maturuit, solicitè ut rebus domesticis consuleret cogitavit, quibus ad tranquillitatem reductis Italiæ quoque vulnera sanare instituit, & omni curâ ac studio hoc egit ut amica & placida Italiæ ac Germaniæ esset conjunctio. Quum verò Crescentius varias moveret Romæ turbas, *Otho Pontificem creat Gregorium V.* Otho eò profectus Pontificem creat agnatum suum Brunonem, Othonis Sueviæ Ducis filium, Othonis I pronepotem, qui sese Gregorium V nominavit. Sed hunc quum post Othonis ex Italia discessum Crescentius pristino furore correptus sede pontificiâ dejecisset, iterum commotus Otho redit in Italiam, & Brunone seu Gregorio V restituto gravissimè in Crescentium *Otho Romæ animadvertit in seditiosos.* ejusque complices animadvertit. Nam Crescentium vili jumento aversa facie impositum & per urbem circumductum & postea longo cruciatu laceratum cum duodecim aliis seditionis sociis ad portam suspendit, Johannem Placentinum, quem Crescentius Pontificem fecerat, naribus & oculis privatum de Capitolio præcipitavit, & cæteros consiliorum Crescentii conscios exilio mulctavit. Quibus ita peractis consentiente Gregorio V, decretum fecit, ut jus eligendi Romanum Imperatorem penes solos Germanos esset. *Ius eligendi Imperatorem penes solos Germanos.* Hujus constitutionis quæ fuerint caussæ vide apud Peucerum fol. 756. &c. ubi porrò invictis argumentis docetur & probatur Pontificem Romanum non habere jus eligendi Imperatorem, fol. 758 & seqq. Quo autem anno hoc decretum factum sit, per detestandam scriptorum negligentiam non est annotatum, quamvis sint qui tradunt non multò ante mortem Othonis factum esse. Quibus porrò ordinibus potestas eligendi Imperatorem attributa sit ab Otho-

Othone, incertum est. Plerique Senatum septem Electorum Othoni tribuunt, sed qui in dubitationem trahunt non levibus nituntur fundamentis, de quibus Peucerus fol. 766. Valdè consentaneum est ab Othone certum ordinem Electorum fuisse constitutum, qui deinde certis de caussis ad certum numerum, videlicet septenarium est redactus. Hic enim numerus post Fridericum II exprimitur. Vide Peuc. fol. 767 & seqq. Ut ut sit, agnoscendum est ingens Dei beneficium quo Othonis III mentem ita gubernavit, ut Imperii possessionem ad Germanos transferret, à quibus huc usque occupatur & conservatur. Cæterùm rebus in Italia ita expeditis Otho rediit in Germaniam, indeque profectus in Poloniam ad sepulchrum novi martyris Adelberti voti exsolvendi caussâ à Boleslao Polonorum principe liberalissimè habitus est, & ut parem referret gratiam, amicum Romani Imperii appellavit, & imposito regio diademate regem salutavit, & hoc pacto principatus Poloniæ factus est regnum, quod accidit anno Christi 999. Vide Mellific. p. 3. fol. 165. Quum enim Romæ seditionum nondum esset finis, Italis Germanorum in se imperium ægrè ferentibus, Otho quartum iter in Italiam suscepit, sed magno cum suo periculo. A conjuratis enim bona exercitus ejus pars occisa est, ipse verò in Capitolio circumsessus in capitis discrimen venit. Hoc ubi cognovit Brandeburgicus, quem Cæsar Hetruriæ & Thusciæ præfectum constituerat, summâ celeritate Romam contendit, & ubi se armis propter furorem populi nihil proficere posse animadvertit, dolo rem agendam ratus arbitrum sese inter Cæsarem & Romanos obtulit, & quum hinc inde modò ad Cæsarem modò ad populum itaret, effecit clanculum, ut quum longiorem ad populum sermonem haberet, Cæsar interim fugâ ex carcere elaberetur, quem mox deinde ipse Hugo est secutus, qui expostulantibus deinde Romanis respondit, se honestatis & salutis Romanorum gratiâ aliter non potuisse, si enim Cæsarem interemissent, magnum dedecus admisissent, & bellum longè gravissimum in sese concitassent. vide Mellif. p. 3. fol. 162, 163. Dress. fol. 431. Discessit igitur Româ cum Sylvestro Pontifice, ac Lombardiam versus ire perrexit, quumque in uxorem viduam Crescentii, quem antea morte affecerat, deperiisset, illa verò quod Imperator

Senatus VII virum seu Electorum.

Othonis devotio.

Polonia fit regnum.

Otho in Italia periclitatur.

Otho deperit in uxorem Crescentii, ejusque fraude perit.

reditum in Germaniam pararet, se spe conjugii excidi videret, missis chirothecis veneno tinctis simulatæ amicitiæ munere Imperatorem necavit. Cadaver Aquisgrani, intestina verò Augustæ humata sunt. Hæc est brevis narratio de Othone III Imp. qui dictus est Mirabilis mundi. Uxorem habuit Mariam Arragoniam procacis & impudicæ libidinis fœminam, quæ convicta adulterii ad Mutinam urbem viva est cremata. Quomodo Comitem Mutinensem falsò apud Imperatorem detulerit quasi ejus concubitum solicitasset, & Comes insons capite plexus sit, & postea detecto scelere ipsa igni adjudicata sit, vide in Mellif. p. 3. fol. 160.

Othonis uxor fœmina procax & adultera.

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Johannes XIV, (aliis XV) Benedictus VII, Johannes XV, (aliis XVI) Johannes XVI, (aliis XVII) Gregorius V, Johannes XVII, (aliis XVIII) & Sylvester II. Ex hisce maximè celebres sunt Gregorius V & Sylvester II. Gregorius V, ante Bruno dictus, fuit Othonis III agnatus, ut suprà meminimus, & multum juvit constitutionem Electoralis dignitatis, ut summa imperii majestas esset penes Germanos, ad evitandas inposterum Italicas seditiones. Sylvester II natione fuit Gallus ac professione Monachus, primùm Gilbertus appellatus. Ex monacho factus est præceptor Othonis III. In Hispania magiam didicit à quodam Saracenico Philosopho, & inde in Galliam reversus magicis suis artibus per varios gradus tandem ipsum Pontificatum conscendit. Sciscitatus à diabolo magistro suo vitæ finem responsum tulit non se moriturum priusquam Hierosolymis missam celebraverit. Sed deceptus ambiguitate vocis quum in sacello quodam quod Hierosolyma vocabatur missam peregisset, in ardentem febrem delapsus se delusum à diabolo intellexit, & magiam fassus linguam & manus abscindi sibi jussit, truncum verò carro imponi & quo equi sponte ferrent sepeliri. Traxere equi truncum ad templum Johannis Lateranensis, ubi humatus est. Vide Baléum pag. 162. & seqq. Dresser. pag. 195.

Gregorius V.

Sylvester II Magus.

2. In Gallia Lotharius, qui Lotharingiam repetiverat, desiit esse in vivis. Ludovicus filius ejus tantùm unum annum post patrem superstes etiam fato cessit. Interiit & Carolus Lotharii frater ab Hugone Capeto Comite Pari-

Parisiensi oppressus & captus, dum è Lotharingis regnum Francicum tanquam sibi debitum jure hæreditario occupare conatur. Hoc modo stirpe Carolinâ seu Francicâ planè absumptâ HUGO CAPETUS Parisiorum Comes regnum Franciæ dudum affectatum tandem obtinuit, & Caroli fratrem Othonem ab omni spe regni Francici exclusum sinit beneficio Imperatoris possidere Lotharingiam. Hic Hugo conditor est tertiæ stirpis regum Franciæ, quæ & magnas res gessit & in hodiernum usque diem regnum tenet. Deletis igitur Francis Galli regnum administrant. Hugoni Capeto defuncto successit filius Robertus anno Christi 997, rex pius & doctus, cujus sacræ cantiones extant, & tenuit regnum annos 34.

Galliæ regnum migrat in novam familiam, recisum à stirpe Caroli M.


3. Mieslaus primus Princeps Christianus in gente Sarmatica obiit, eique successit filius Boleslaus, cui quomodo Otho III Imp. regium nomen & coronam imposuerit suprà diximus.

4. Quid de origine Septemviratus, hoc est, Senatus VII Electorum in Imperio historici tradant, suprà monuimus.

HENRICUS II, Cognomento SANCTUS, & CLAUDUS

Fuit hic Henricus Bavariæ Dux, sanguine quidem Saxo, sed patriâ Bavarus. Patrem habuit Henricum Hezelonem, avum Henricum Rixosum, qui fuit frater Othonis Magni, à quo Bavariæ ducatum acceperat. Tabula esto:

Henrici familia.



Educatus est & institutus in religione & literis humanio-

Henrici educatio.

nioribus in collegio quod est Hildeshemii, & postea Othone III veneno extincto ab ordinibus Germaniæ de recenti constitutione Imperator designatus. Cœpit autem imperare anno Christi 1001, & imperavit annos 23. Laudatissimus princeps, maximè ob beneficia in Ecclesiasticos collata, ob hanc insignem pietatis laudem Sanctus est dictus, quumque Ungaris autor conversionis ad Christianam religionem extitisset, Ungarorum Apostolus fuit appellatus. Claudus verò fuit dictus à luxato femore, quod in bello Italico quum Papiæ in tumultu aliquandiu obsessus esset, de muro se præcipitarit & crus fregerit. Alii tamen aliter narrant, nempe quòd à Saracenis & Græcis captus & elusis custodibus è contignatione in quâ detinebatur prosiliens alterum pedem vehementer læserit. Res ejus præcipuè narrantur gestæ partim in Germania partim in Italia. In Germania adversarios habuit Echardum Marchionem Saxoniæ & Henricum Marchionem Austriæ, qui electioni adversabantur, ex quibus hic spe recuperandæ Bavariæ res novas moliebatur, sed ambo repressi sunt. Episcopatus quoque Mersburgensem, Misnensem & Magdeburgensem, Henetorum, quos alii Windos & Sclavos vocant, qui repudiatâ fide Christianâ, quam sub Othone I receperant, ad pristinam idololatriam redierant, armis devastatos instauravit, novisque donationibus auxit. Bambergensem Episcopatum constituit extincto sine mascula prole Rinoldo Comite Bambergense, & hunc quidem Episcopatum tam splendidè exornavit ac ditavit, ut præcipuos Germaniæ principes ac inprimis Electores hujus Episcopi vasallos esse voluerit, quod & in hodiernum diem observatur. Hostes etiam habuit uxoris Cunegundæ fratres, Henricum, cui Imperator dederat Ducatum Bavariæ, & Theodoricum Metensem, qui in Imperatorem conspirarant, eò quod Cunegundæ sororis dotem, quâ se aliquando potituros sperabant, in ignavos sacrificulos, vel potiùs ad locupletandum Episcopatum Bambergensem conferret. Sed & hos Imperator acie victos repulit. Autor fuit Stephano Ungarorum regi ut Christianæ fidei professionem susciperet. Quum enim is Giselam Imperatoris sororem sibi uxorem peteret, eâ lege daturum se esse Imperator est policitus, si Christianam religionem amplecteretur. Amplexus est, & quod

Res gestæ. *Quur sanctus dictus & Claudus.* *Adversarii in Germania.* *Henrici pietas.* *Bamberga fit Episcopatus.* *Bambergensis Episcopatus dignitas.* *Affines Henrici, qui adversarii.* *Stephanus Ungarorum rex fit Christianus.*

& quod voluit impetravit, unde & regni titulus ei fuit à Cæſare confirmatus, & poſteri fidem Chriſti huc uſque retinuerunt & coluerunt. In Italia adverſarium habuit Henricus Arduinum Marchionem, quem Epiſcopi & Nobiles Mediolani Imperatorem declaraverant. Sed Henricus in Italiam progreſſus duobus magnis prœliis Arduinum vicit & trucidavit. In hoc bello Henricum captum, ut è cuſtodia elaberetur, crus fregiſſe ſcribunt, unde Claudus ab Italis eſt dictus. Regno Italiæ ita reparato coronam ab Archiepiſcopo Mediolani ſecundum antiquum Gregorii Papæ decretum Henricus accepit, & deinde rebus Italiæ pacatis Romam venit, & coronam à Pontifice Benedicto VIII ſolenni ceremoniâ adeptus eſt, anno Chriſti 1013. Inde verſus Apuliam & Calabriam aciebus directis Græcos & Saracenos victos ejecit, & Trojam Apuliæ urbem expugnatam evertit, Normannos verò ut eam Italiæ oram tuerentur in Apuliam & Calabriam tranſtulit, quod quibus occaſionibus factum ſit narrat Peucerus fol. 797. Hiſce ita peractis Imperator in Germaniam rediit, & tandem Bambergæ mortuus eſt, ubi paulò ante mortem parentes ſuæ conjugis & propinquos ad ſeſe vocavit & virginem caſtam ſe illis reddere confirmavit. Fuit hæc Cunigunda filia Sigefridi Palatini ad Rhenum, quæ adulterii inſimulata ferri candentis contactu ſeſe purgaſſe ſcribitur. Hactenus imperium fuit apud ſtirpem Saxonicam Henrici Aucupis, & jam interpoſito biennii interregno relabitur ad Francos.

Henrici res geſta in Italia. *Henrici coronatio.* *Henrici bellum contra Græcos & Saracenos.* *Henrici obitus.* *Henricus uxorem caſtam virginem pronunciat.* *Imperium à Saxonibus ad Francos relabitur.*

Synchroniſmus.

1. Magna eſt in numerandis Pontificibus Romanis varietas. Nos ſequemur ordinem & numerum illorum ſcriptorum qui videntur potiores. Imperante Henrico II, Romæ Pontifices fuerunt, Johannes XVII, Johannes XVIII, Sergius IV, & Benedictus VIII, qui præ cæteris eſt celeberrimus, & ab anno Chriſti 1012 præfuit pontificatui annos 12. Imperatorem renunciavit Henricum Bavarum, & templum quod Imperator Bambergæ erexit ipſe præſens in Cathedralem Eccleſiam conſecravit, eâ tamen lege ut Eccleſia illa quotannis Romano Pontifici pro cenſu centum marcas argenti numeraret cum albo ac phalerato equo. Refert Petrus Damianus

Varietas in numeratione Pontificum.

Benedicti spectrum seu manes.

mianus Cardinalis Hostiensis, hunc Benedictum post mortem cuidam Episcopo sibi familiari apparuisse in solitudine nigro equo insidentem. Interrogatus quid esset, sed quòd nigro equo veheretur jam mortuus? Pecunias inquit, reliqui in abscondito quodam loco, quas ut meo nomine pauperibus eroges, oro. Quas enim ego vivus dedi eleemosynas nihil mihi prosunt, quia ex rapinis collectæ sunt. Sed volo etiam ut Odilo Cluniacensis Abbas pro me oret, ut ex augustiis liberer. Miræ diaboli elusiones quibus idololatriæ, purgatorii & missæ errores stabilivit. Porrò hic Odilo θαυματεργὸς propter insignia miracula dictus est, & fuit autor festi omnium animarum, ut Sigebertus scribit. Persuasus enim à quodam religioso qui Hierosolymis venerat, inter flammas quas in Sicilia Ætna mons ejicit, audiri voces quasi plangentium animarum quibus nulla requies nisi per Cluniacensium fratrum preces acquiri posset, festum omnium animarum in sua diœcesi instituit. Vide Dresser Millen. 6. fol. 159.

OdiloCluniacensis Abbas, autor festi omnium animarum.

Willigisus autor rotæ in insigni Moguntini Episcopi.

2. Vixit hoc tempore Willigisus Episcopus Moguntinus, carpentarii filius, qui in memoriam humilis sui ortus clypeo suo insculpsit duas rotas, quæ etiamnum in insignibus Moguntini Episcopi conspiciuntur. In thalamo suo ornatis & grandibus literis hæc scripta habuisse fertur: Willegis, Willegis, recole unde veneris. Hic Willegisus Henrico Imp. Aquisgrani coronam imposuit.

Nuptiæ certis diebus intermittendæ.

3. Synodus Salingstadiensis ab Aribone Episcopo Moguntino coacta est anno Christi 1023, in qua aliquot decreta facta sunt de jejuniis, de nuptiis intermittendis certis quibusdam temporibus anni, & de aliis ritibus. Vide Dresser. in Millen. 6. fol. 227. & Bucholtzerum in anno 1023.

Saracenorum in Syria grassatio.

4. Saraceni tam in Oriente quàm in Occidente omni vi imperium suum amplificare conantur. Sed in Occidente repulsi sunt ab Henrico II Imp. ut suprà monuimus. In Oriente verò Asiatici Saraceni rupto federe, quod cum Græcorum Imperatore factum erat, duce Azizio in Syriam impetum fecerunt, & Hierosolymam occuparunt, templumque ad sepulchrum Christi sumptuosissimè conditum everterunt.

Aliquot Episcopa-

5. Aliquot Episcopatus in Germania constituuntur, ut Magde-

Magdeburgensis, Misnensis, Metsburgensis & Bambergensis. *tus Germaniæ constituti.*

6. In Gallia regnat Robertus filius Hugonis Capeti, rex insigniter pius & doctus, qui composuit aliquot cantica sacra quæ extant, templa complura condidit, & Ducatum Burgundiæ ad Franciæ regnum adjunxit. *Robertus Franciæ rex.*

7. Stephanus Ungariæ rex per occasionem matrimonii ad Christianam religionem adductus & baptismo initiatus per totum regnum religionem propagat. *Ungari fiunt Christiani.*

CONRADUS II, Cognomento SALIQUUS.

Henrici Sancti judicio ac dispositione hic Conradus Imperator est factus, sed post interregnum duorum annorum & ultra, propter Principum dissentientes sententias, qui tamen tandem studio Episcoporum Moguntini & Bambergensis consenserunt. Fuit Conradus dux Franconiæ & Wormatiæ ad utramque ripam Rheni, de cujus stirpe inter scriptores non convenit. Peucerus è primi Conradi prosapia eum descendisse judicat pag. 806. Dresserus sentit natum ipsum ex patre Hermanno de Caroli M. prosapia & matre Adelheide è Francia Orientali, ut refert Cuspinianus. Dictus est Saliquus à gente Francica quæ Salica appellatur, ut Franci ipsi Salii à flumine Sala, unde etiam nomen legis Salicæ, cujus verba sunt: In terra Salica mulieres ne succedanr. Sunt qui hujus Conradi ortum referunt ad veterum Gibellinorum prosapiam quæ origine Francica est. De origine & familia Gibellinorum ac Guelphorum, quur sic dicti, & unde illorum odia, vide Peuc. fol. 802, 803. *Interregnum biennale in Imperio. Conradi stirps incerta. Conradus quur Saliquus dictus. Lex Salica.*

CON-

Conradus II Saliquus Imp. successor Henrici II Francus. — Gisela. cujus stirps non traditur.

Henr. II Niger, successor patris. — Agneta Wilhelmi Pictav. filia.

Henr. IV Imp.

Henr. V Imp., successf. patris, ἄτεκνος Franconiam tribuit Conrado III Suevo Imp. post Lotharium II.

Agneta. — Fridericus dux Sueviæ, Comes in Hohenstauffen.

Conradus III Suevus Imp. successf. Lotharii II.

Fridericus. Vide lit. A.

Mellif. p. 3. fol. 164.

Gebhardus Comes in Supplenburg. & Arnsberg.

Lotharius II Imp. Saxo. — Rixa filia Henrici Comitis Northemii.

Gertrudis. — Henr. Superbus Bavariæ Dux, æmulator Conradi III Suevi.

Henricus Leo.

Otho IV Imp. successor Philippi Imp.

* Fridericus.

* Fridericus. —— Juditta Henrici Nigri Ducis Bavariæ filia.

Frid. I Barbarossa Imp. Conradi III success. —— Beatrix filia Reginaldi Comitis Vesontionis in Burgundia.

Henricus VI Imp. patris success.

Philippus Imp. fratris successor, cui successit Otho IV filius Henrici Leonis.

Frid. II Imp. successor Othonis IV. —— Jole filia Johannis de Bregna regis Hierosolym.

Conradus IV Imp. cui post interregnum 17 annorum successit Rodolphus Habsburgensis. Hinc Austriaci Impp.

Cœpit imperare Conradus anno Christi 1024, & imperavit annos 15. Princeps omni laude dignissimus, qui ob virtutem & rei militaris scientiam judicio Henrici Sancti ad Imperatoriam dignitatem est evectus, & hâc ratione à Saxonibus ad Francos imperium recidit, à quibus deinde ad Bavaros seu Suevos transiit, donec ad Rodolphum Habsburgensem, à quo Austriaci Archiduces & Impp. originem habent, pervenit. Adversarios suos habuit Conradus in Germania Conradum patruelem, qui imperium ambiebat, & in suas partes Ernestum Imperatoris privignum Suevum & Guelphum Bavariæ occidentalis Ducem trahebat; in Italia Erebertum Episcopum Mediolanensem; in Ungaria Stephanum regem. Molitiones in Germania facilè dissipavit, maximè post reditum ex Italia, quando bellum in seditiosos movit, in quo Ernestus à satellitibus Cæsaris est interfectus. In Italia Longobardi factâ conjuratione quum defecissent ab Imperatore multa fecerunt petulanter & nefariè in Episcopum Landulphum, qui defectionem illam improbabat, *Longobardorum in Italia conjuratio.*

& Conradi ibidem res gestæ. babat, unde Imperator coactus redit in Italiam, & in Mediolanensis conjurationis socios graviter animadvertit. Erebertum seditionis autorem exilio mulctavit. Hisce peractis Romam venisse tradunt, ibique benedictionem à Pontifice Johanne XVIII, (aliis XIX) accepisse & Imperatorem Romanum proclamatum esse. Varii tunc temporis per Italiam fuere tumultus, quibus sedandis Conradus fuit occupatus. Inde in Apuliam & Calabriam ad Normannos abiit, quos in fide erga Romanum imperium confirmavit. *Conrado sese opponit Stephanus Ungariæ rex.* In Ungaria Stephanus rex sese opposuit Imperatori, Bavariam repetens, sub prætextu quòd filio eam assereret nato ex sorore Henrici Sancti. Sed quum Imperatori in Ungariam progredienti par non esset, pacem cum eo fecit. *Burgundiæ regnum fit provincia.* Burgundiæ regnum ad Imperium traduxit, & provinciam fecit, hac occasione: Rodolphus Burgundiæ rex, Giselæ Augustæ avunculus, ad vitæ exitum vocatus regnum nepoti suo Henrico Conradi Imp. filio in testamento reliquerat, diademate patri misso. Quum verò Odo seu Otho Celticæ comes sororius Rodolphi, jure quodam Burgundiam sibi vendicaret, coactus fuit Conradus eum bello persequi, quo victor Othonem regno Burgundiæ expulit. Desiit ergò Burgundia regnum esse, quum post mortem Caroli Calvi per annos 144 suos reges habuisset. Peuc. fol. 805. Rebus in Italia expeditis & compositis, *Conradi II obitus & sepulchrum.* ubi in Germaniam rediit, prope Trajectum Belgii urbem subitâ morte extinctus est, & corpus Spiræ in templo S. Mariæ, quod ipse magnificè exstruere cœperat, sepultum, ubi adhuc patris, filii & nepotum monumenta visuntur cum hac inscriptione:

Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet istic,
Hic proavi conjux, hic Henrici senioris.

Conradi uxor & filius. Uxorem habuit Conradus Giselam, de cujus prosapia scriptores non tradunt idem. Ex hac suscepit filium Henricum III in Imperio successorem.

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Johannes XIX, sed Baleo XXI, & Benedictus IX. De illo nihil ferè memorabile extat, nisi quòd Conradum imperii diademate redimivit. *Benedictus IX.* Benedictus homo fuit ignavus & nullius precii, artium magicarum studiosus, qui ab anno Christi

1032,

1032, sedit annos 13, pulsus quidem per conspirationem à Sylvestro III, sed non multò post restitutus. De simulacro ejus monstrosissimo vide Dresser. Millen. 6 fol. 101. & Baleum fol. 177. Est autem observandum, propter translationem imperii à Saxonibus ad Francos, quæ per Conradum Saliquum facta est, non solùm nonnullos præstantissimos principes fuisse commotos, sed etiam Pontifices deinde seditiosis consiliis & molitionibus implicatos novâ tyrannide fuisse armatos, ut ex sequentibus historiis videre est. Hi enim inter Saxones & Francos mira semper bellorum semina ac incendia sparserunt.

Pontifices Romani bella miscent inter Francos & Saxones.

2. Theophylactus Bulgariæ Episcopus circa hæc tempora in Ecclesia fulsit, cujus opera præclara extant & cum fructu leguntur.

Theophylactus.

3. Bruno Herbipolensis Episcopus electus anno Christi 1033 scripsit Psalmorum expositionem ex patrum commentariis collectam, tum Symboli Athanasiani enarrationem, ubi observandum quod dicit, ante omne opus necesse esse præcedat fides.

4. In Oriente tres Impp. Græci successivè imperarunt, Constantinus, Romanus Argyrus, & Michaël Paphlago. Constantinus post fratrem Basilium Porphyrogenitum ab anno Christi 1025 solus imperavit triennium, homo ἀπαίδευτος & gubernationis prorsus imperitus; voluptatibus, ignaviâ ac libidinibus languens, & ocio effœminatus, iracundus, suspicax, ad quæ omnia vitia tyrannidem quoque adjunxit. Sub hoc classis Saracenorum Cycladas depopulantium dissipata est captis 12 navibus, sed contra Saracenos in Sicilia & Italia nihil prosperè actum est. Filiam habuit Zoën, quam cum imperio despondit & tradidit Romano Argyro, qui ut Zoën hanc duceret, priorem uxorem reliquit ac repudiavit. Sic Constantino defuncto in Imperio successit hic Romanus Argyrus, homo sexagenarius & literarum cognitione excellens, qui tamen post acceptam à Saracenis cladem adeò mores mutavit suos, ut planè in avaritiam & crudelitatem degeneraret, & immoderatis exactionibus subditorum facultates exhauriret. Saracenos Cycladas insulas deprædantes duce Nicephoro Carantero depulit, & quum apud uxorem Zoën fœminam extremè impudentem & impudicam in odium venisset,

Constantinus Orientalis Imp. homo ignavus & crudelis.

Romanus Argyrus Orientalis Imp. homo literatus sed avarus & crudelis.

Zoë uxor Argyri.

perfida & adultera. quæ in Paphlagonem quendam Michaëlem deperire cœperat, veneno ab uxore propinato in graviſſimum incidit morbum, & balneum ingreſſus, uxoris & adulteri inſidiis capite in dolium aquâ plenum demerſus miſerè periit, quum imperaſſet annos 5. Poſt hujus obitum Zoë Imperatorem conſtituit Michaëlem Paphlagonem, cum quo vivo marito Romano conſueverat. Hic ab anno Chriſti 1034, imperavit annos 8. Princeps aliàs juſtus, clemens & hoſtibus formidabilis. Saracenos in Sicilia per Georgium Maniacen fortiter debellavit. Cum Calipha Ægyptio, qui templum Domini Hieroſolymis diripuerat, inducias fecit trecennales. Vehementiſſimè laborare ſolitus eſt epilepſiâ, ad quam tandem acceſſit hydrops, qui quum ingraveſceret, Michaëlem Calaphaten ex ſorore nepotem hæredem imperii inſtituit, ipſe in monaſterium concedens.

Michaël Paphlago Orientalis Imp. princeps juſtus in imperio.

5. In Gallia Robertus rex Hugonis Capeti filius moritur anno Chriſti 1030, cui ſuccedit filius HENRICUS I, & regnavit annos 30. Dreſſ. Milen. 6. fol. 676.

Henricus I Galliæ rex.

6. In Ungaria moritur Stephanus rex, adſcriptus in Catologo Sanctorum, de quo tradit Bonfinius, quòd dextra ejus non fuerit putrefacta, quod etiam refertur de Oſwaldo Angliæ rege. Huic Stephano in regno Ungariæ ſucceſſit Petrus cognomento Alemannus, qui multa crudeliter in regno egit.

Petrus Alemannus Ungariæ rex.

HENRICUS II, Cognomento NIGER.

Genus. Filius fuit Conradi Saliqui, à patre ante primum in Italiam aditum ad imperium ordinatus, quum eſſet duodecennalis. Cœpit imperare anno Chriſti 1039. & imperavit annos 17. Princeps bonus & toti reipublicæ ſalutaris. In hujus hiſtoria conſideranda ſunt bella & res in Italia geſtæ. Bella recenſentur, Boëmicum, Ungaricum, Lotharingicum & Luſaticum. Bellum Boëmicum inde eſt natum, quòd Vratiſlaus Dux Boëmiæ ſpretâ Imperatoris autoritate annua tributa contumaciter detrectaret, Ungaricis auxiliis fretus: ſed altero prælio victi Boëmi in ordinem coacti ſunt. Ungarico bello occaſionem dedit expulſio Petri regis è regno, facta à quibuſdam conſpirationis ſociis, quorum dux fuit Ovo quidam. Erat Petrus Stephani nepos, Ungaris propter

Henrici laus. Henrici bella. Bellum Boëmicum. Bellum Ungaricum. Petrus Ungariæ rex.

Chri-

Christianam religionem, & quòd crudeliùs tractaret subditos, invisus. Contra hunc igitur prodiit factio quædam duce Ovone, quam Imperator primùm operâ Leopoldi Marchionis Austriæ (qui dictus est fulmen & terror Ungaricæ gentis) repressit, & Ovonem magnâ jam regni Ungarici parte exutum pacem petere coëgit. Quum verò postea Ovo contra fidem bellum redintegrasset, magno prælio victus in fuga ab Ungaris obtruncatus scribitur: alii captum deductumque ad Petrum capitis supplicio mulctatum narrant. Pugnatum est anno Christi 1044 mense Julio. Sed Petrus in regnum reductus quum de pristinis moribus nihil remitteret, nec veterem Ungaricæ gentis religionem amplecti vellet, Ungarorum conspiratione oppressus, & excæcatus miserè periit, Andrea Petri cognato ab exilio ad regnum revocato. Hic igitur Andreas rex Ungariæ factus anno Christi 1049 verum Dei cultum à Stephano introductum & jam per aliquot annos neglectum restituit, & fratrem Belam regni consortem fecit, tertiam ejus partem appellatione Ducis ipsi concedens. Bellum Lotharingicum motum est ex perfidia Godefridi Lotharingiæ Ducis, qui fuit filius Gozelonis, propterea quòd Cæsar mortuo Gozelone Adelbertum in Lotharingia collocaret. Hoc iniquè ferens Godefridus, inito fœdere cum vicino rege Franciæ, & deinde cum Balduino Flandriæ Comite, arma sumpsit contra Imperatorem, & quum videret se tanto oneri non sufficere, in fidem Cæsaris sese dare coactus est, ubi custodiæ in arce Gibigstein non procul à Salinis Saxonicis est traditus. Balduinus verò obsidibus datis pacem cum Imperatore fecit. Tandem Godefridus anno Christi 1050 in conventu Moguntino per deprecationem Pontificis & Principum gratiam Cæsaris impetravit, & è carcere dimissus in Italiam contra Normannos à Pontifice Leone IX adductus est. Bellum Lusaticum Henrico fuit infelicissimum, quod rebus in Italia compositis susceperat. Ad internecionem enim ejus exercitus cæsus est, ex quo in tantam animi ægritudinem incidisse fertur Cæsar, ut paulò pòst diem obierit suum buccellâ panis grandiore, ut nonnulli tradunt, suffocatus. Nunc de rebus Italicis. Imperatore bellis domesticis occupato, in Italia & quidem in ipsa urbe Roma gravissimas turbas ac seditiones concitarant de Pontificatu obtinendo

Andreas Ungariæ rex.

Bellum Lotharingicum.

Bellum Lusaticum.

Henrici res Italica.

Tres Papæ contendunt de sede Pontificia.
tres Papæ, Benedictus IX, Sylvester III, & Gregorius VI, quorum sceleratam litem diremptarus Imperator Italiam adiit, & convocatâ Synodo, quam Imperatoriâ autoritate habuit, tribus illis monstris Pontificiâ sede dejectis surrogavit Suidigerum (quem alii Sindigerum vocant) Bambergensem Episcopum, qui deinde Clemens II est appellatus, iterato & confirmato vetere illo interdicto de non creando Pontifice sine Imperatoris consensu, quod hoc in loco diligenter observandum, ut sciatur Pontifices Imperatoribus fuisse subjectos. Clemente itaque in pontificia sede collocato Henricus jam Imperator renunciatus dissidium quod erat inter Normannos & Longobardorum reliquias composuit, dispositis præsidiis quæ utrosque in officio & fide continerent. Hisce ita peractis & Imperatore reditum in Germaniam parante Clemens II veneno tollitur, cui successor datus est Damasus, qui itidem mox periit, ut Imperator ante discessum ex Italia tertium Pontificem constituere necesse haberet Leonem IX. Hic Leo est ille Papa qui Henricum Imp. in Germaniam secutus in Synodo Moguntina Moguntino Episcopo, cui anteferre sese voluit, cedere coactus fuit, ex quo liquidò constat, Pontifices Romanos tum temporis nullum exercuisse imperium in cæteros Episcopos. Porrò huic Leoni in Italiam revertenti addidit Imperator magnum exercitum Duce Godefrido Lotharingio, qui Normannorum potentiam cohiberet. Atque hæc sunt ea quæ Henricus III in Italia egit ante bellum Lusaticum. Constat hinc, fuisse principem bonum ac salutarem, hostibus formidabilem, & erga victos clementem, autoritatis Imperatoriæ contra Pontificum artes atque dolos acerrimum, &, ut ex sequentibus patet, ultimum defensorem. Uxorem habuit primò Cunegundam Cynetonis Anglici regis filiam, quam ob adulterii suspicionem repudiatam nonnulli affirmant; deinde Agnetam filiam Wilhelmi Pictaviensium principis, ex qua suscepit Henricum IV Imp. & tres filias, quarum prima Judita desponsata est Salomoni filio Andreæ regis Ungariæ. Henricum filium bimum creavit Imperatorem ex ordinum consensu anno Christi 1052, quæ res ἀφορμὴν præbuit mutationibus in Germania secutis, & Pontificum tyrannidem mirificè extulit.

Clemens II fit Papa autoritate Henrici Imp.

Clemens II veneno tollitur.

Leo IX Papa.

Papa Leo IX cedit Episcopo Moguntino.

Henricus autoritatis Imperatoriæ defensor.

Henrici uxores.

Liberi.

Syn-

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Benedictus IX, Sylvester III, Gregorius VI, Clemens II, Damasus II, Leo IX, & Victor II. Ex hisce tres priores tantis sese odiis prosecuti sunt, ut certatim alter alterum sede suâ exturbaret, donec omnes autoritate Henrici III Imp. moti sedem reliquerint Clementi II, ut suprà dictum est. De Benedicto IX refert Baleus, quòd post obitum Conradi Saliqui coactus sit filium Henricum III successione privare, & illius loco Petrum Ungariæ regem Imperatorem constituere, & in hunc finem misisse coronam imperialem inscripto hoc versiculo, Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam. Quum vero Petrum ab Henrico Imp. captum cognovisset, perterritus Papatum vendidit complici suo Johanni Gratiano, qui deinde dictus est Gregorius VI. Romani verò Pontificem fecerunt Johannem Sabinensem, quem Sylvestrum III appellarunt. Sed ut diximus Imperator deinde suam autoritatem interposuit. Clemens II quum tenuisset sedem menses 9, veneno interiit, & Bambergæ sepultus est. Damasus sede movit Benedictum IX, & post dies 23 veneno extinctus est. Leo IX bellum intulit Gisulpho Normannorum Comiti ob ereptam sibi urbem Beneventum, sed re malè gestâ victus, captus & non multò pòst dimissus est. Victor II ab anno Christi 1055, sedit annos 2, electus ab Henrico III Imp. Plura apud Baléum libr. 5. pag. 174 & seqq.

Pontificum inter sese dissidia.

Benedicti IX πολυπραγμοσύνη.

2. Hoc tempore claruit Berengarius patriâ Turonensis, officio diaconus Andegavensis Ecclesiæ, qui de sacra Domini nostri Jesu Christi cœna docuit, corpus & sanguinem Christi esse in pane & vino consecrato non naturaliter aut substantialiter, sed sacramentaliter; nec tam verba ipsa quàm sententiam, seu non τὸ ῥητὸν sed τὴν διάνοιαν verborum S. Cœnæ considerari ac spectari oportere. Huic sese opposuit Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, circa annum Christi 1051, & Guitmundus Archiepiscopus Aversanus, ambo transsubstantiationis Papisticæ patroni. Tantæ eruditionis fuit hic Berengarius, ut venienti Romam Pontifex assurrexerit ingenii dona se venerari dictitans. Quomodo porrò ab adversariis suis tractatus ac divexatus fuerit Berengarius, in historia Henrici IV Imp. dicetur.

Berengarii Andegavensis diaconi confessio de S. Cœna.

Lanfrancus & Guitmundus opponunt sese Berengario.

Imperatores Orientis. *Michaël Calaphates.* 3. In Oriente imperarunt Michaël Paphlago, de quo suprà diximus, Michaël Calaphates, & Constantinus Monomachus. Calaphates homo fuit ignobili genere natus, sed à Paphlagone & Zoë adoptatus, cui post abdicationem Paphlagonis saltem titulum imperii nactus malam retulit gratiam, sed cum suo damno. Zoën enim relegavit in insulam monastico habitu, quæ tamen deinde revocata imperium cum sorore administravit, ipsum verò Calaphatem oculis privavit, quum rerum esset potitus menses 4. Exturbato igitur Calaphate, Zoë, quamvis decrepita, impotenti tamen libidine ardens maritum sibi delegit Constantinum Monomachum, cum quo non diu vixit, extincta jam septuagenaria. *Constantinus Monomachus.* Cœpit Monomachus imperare anno Christi 1042, & imperavit annos 12, homo vitæ luxuriosæ, qui omnia gubernationis consilia ad mulieris affectus inflexit, moribus facilis sed effœminatus, literarum ignarus sed literatorum amans. Bella gessit domestica & externa. Domestica duo: unum in Epiro contra Georgium Maniacen, qui ob victoriam à Saracenis Siculis reportatam aspirabat ad imperia, sed uno prælio victus Maniaces belli finem fecit; alterum contra Tornicium Leonem, quem ex vaticiniis de insidiis suspectum habuit, eumque vicit & victum oculis privavit. Externa bella gessit contra Roxolanos & Bossinos, quibus adeò fuit implicatus, ut Turcos Asiam longè lateque devastantes neglexerit. Hinc factum ut imperante hoc Monomacho miris modis accreverit potentia Turcorum, qui oppressis in Perside & Babylone Saracenis, & Græcorum viribus attritis, in anteriore Asia regnum constituerunt. *Sub Monomacho crescit potentia Turcorum.* Magnam igitur Orientis partem Monomachus amisit, pecuniâ, quæ belli nervus est, in luxum deperditâ, quum ipse podagrâ enervatus bellis ampliùs gerendis non esset idoneus. *Imperii Orientalis ruina.* Pleuritide & podagrâ extinctus obiit, imperio Theodoræ conjugis Zoës sorori relicto. Hæc Theodora deinde suasu procerum imperium delegavit viro Byzantino Michaëlo Stratiotico, de quo postea dicetur. Teneatur igitur, sub Constantino Monomacho maximam imperii Orientalis factam esse ruinam.

4. Normanni Calabriam & Apuliam omnem Græcis ademerunt, exturbatis etiam inde Saracenorum præsidiis, quibus paulò post Siciliam etiam eripuerunt. Peuc. fol. 788.

5. Nova

5. Nova cantandi ratio per sex syllabas hodie usitatas, UT, RE, MI, FA, SOL, LA, circa hoc tempus inventa est à Guidone Aretino Monacho Italiæ, anno Christi 1044. Desumptæ sunt voces hæ ex hoc hymno: *Vocum Musicarum inventio.*

UT queant laxis REsonare fibris
MIra gestorum FAmuli tuorum
SOLve polluti LAbii reatum

O pater alme.

HENRICUS IV.

Fuit hic filius Henrici III ex Agneta Wilhelmi Pictaviensium Principis & Aquitaniæ Ducis filia. Septennis fuit, vel, ut alii volunt, quinquennis, quando pater è vivis excessit, & de patris consilio gubernacula imperii & filii tutela matri sunt commissa, cura verò & educatio cuidam Conrado nobili Suevo. Atque hîc verè Germania experta est quod dicitur: Væ terræ cujus rex puer est. *Tristis Germaniæ status.* Interim imperio insidiantur quidam Saxoniæ Principes, qui, consilia juvantibus Episcopo Coloniensi, Ecberto Saxoniæ Marchione patruele Imperatoris, & Ottone Saxone, matrem Henrici annos jam quinque res imperii prudenter administrantem, molliorem in gynæceo educationem & turpitudinem γυναικοκρατίας prætendentes, deturbarunt: quæ postea in monasterium abiit. Traductus deinde est Henricus in Saxoniam, ubi propter propinquorum insidias multis periculis fuit expositus. Sperabant enim hi se vivo hoc puero omnia pro suo lubitu administraturos, vel mortuo imperium ad se translaturos. Cœpit igitur Henricus IV imperare anno Christi 1056, & imperavit annos 50. Anno imperii 9, qui fuit annus ætatis 14, quum hactenus omnia per tutores acta fuissent, accinctus gladio ipse quamvis imperitus bella gerere cœpit, è cunis quasi ad gubernacula extrusus, & suorum odiis, nec non perfidiosissimis Pontificum machinationibus expositus. *Henricus licet imperitus bella suscipit.* Hi enim occasione ex imbecilliore ætate Imperatoris sumptâ omnibus modis imperii jugum excutere nitebantur, ex quibus maximè præcellebat Gregorius VII antea Hildebrandus dictus. Gessit autem Henricus tria insignia bella; Ungaricum, *Henrici bella.*

Bellum Ungaricum. Lusaticum & Saxonicum. Ungaricum fuit quo auxilium tulit Salomoni Ungariæ regi, affini suo, quem Bela patruus regno ejecerat. Nam Andreas rex Ungariæ quum vidisset fratrem Belam (quem revocatum in Ungariam magno beneficio affecerat) affectare regnum, & Ungaros paulatim ad ipsum deficere, uxorem & filium Salomonem, cui parvulo Henricus Imp. parvulam filiam desponderat, misit ad Imperatorem, petens, ut misso exercitu sibi subveniretur. Sed Bela adjutus à Boleslao Poloniæ rege vicit Andream, qui fugiens, in Sylva ab Ungaris comprehensus & trucidatus est. Hinc motus Henricus arma contra Belam sumpsit eumque vicit & Salomonem Andreæ filium in regnum reposuit. Inde in Sclavos Lusatios, qui à fide Christiana defecerant, movit, quos facilè devicit. Saxonicum bellum omnium fuit longè gravissimum, quod propter Pontificum fraudes exitium ei attulit. Placet hoc bellum paulò altiùs repetere: Anno Christi 1057 quum Otho Suevorum Dux & Conradus Carinthiorum rebus humanis essent exempti & Henricus III hos Ducatus Bertholdo Duci Zaringiæ in Suevorum Brisgoia tradidisset, factum est postea, ut Henricus IV Carinthiorum Ducatum cuidam Ludolpho cognato suo, Suevorum verò Ducatum Rodolpho Comiti in Reinfeld (qui deinde instinctu Pontificis Gregorii VII malam gratiam Henrico retulit, imperium affectando, ut mox dicetur) permiserit, Bertholdo excluso, qui variis modis de ultione cogitans non minima sequentium turbarum caussa extitit. Creverat etiam sub impubere Imperatore Saxonum licentia, quæ tandem Duce Othone, Wilhelmi Marchionis Thuringiæ ex ignobili concubina fratre, in manifesta latrocinia prorupit, cui tamen malo Bruno & Ecberdus fratres Marchiones Saxoniæ copiis Imperatoris adjuti remedium attulerunt. Et sanè potuissent temporis progressu omnes hæ offensiones sanari, nisi Pontificum furor Imperio Romano fatalis accessisset, de quo vide Peuc. fol. 824. Nec omni culpâ vacasse creditur Henricus Imp. quòd bona Ecclesiastica in horrendos abusus converterit, Ducatus transtulerit, & multa contra leges & bonos mores commiserit, quamvis alii hæc mala non tam Henrico Imp. quàm illis qui ipsi præerant imputanda esse scribunt. Ut ut sit, Saxones hinc asperiores redditi rebellare Cæsari quàm pa-

Bellum Lusaticum.
Bellum Saxonicum.
Saxonum licentia in latrocinia prorumpit.
Henrici Imp. nævi.
Saxones Cæsari re-

parere maluerunt. Nec parum auctum est odium ex eo quòd Henricus anno Christi 1073 quædam loca in Saxonia muniebat, iisque militaria præsidia imponebat. Hinc Saxones commoti ad defendendam patriæ libertatem, conspiratione autore Othone Bavariæ Duce initâ, in societatem contra Imperatorem attraxerunt Bavaros, Thuringos, Palatinum, & plures Episcopos, qui sumptis armis Imperatorem Hartzburgi prope Gossariam obsident. Sed Imperator aufugit, & postea auxiliis Rodolphi Suevi, Welphi Bavari, Godefridi Lotharingii & aliorum, ingens prælium ad fluvium Onestrum seu Unstrudum in Thuringia committit, in quo victi Saxones dedere sese cum omnibus Saxoniæ principibus coacti sunt. Hâc clade Saxones irritati Imperatorem apud Pontificem Hildebrandum seu Gregorium VII accusarunt. Ex quo Pontifex optatissimam occasionem debacchandi in Imperatorem nactus, ut suam tyrannidem magis stabiliret, & supra Imperatoriam dignitatem sese extolleret, sub pœna anathematis Henricum citat, ejus subditos juramenti religione solvit, & interim per Germaniam Henrici ex Imperatoria sede exturbationem urget. Omnia hæc Saxonum technis, qui ad Pontificias partes concesserant, fiebant, & ut Pontifex negotium hoc facilius perficeret, antea edictum, quo Imperatori potestas distribuendi & confirmandi Episcopatus abrogabatur, promulgaverat. Peuc. fol. 827. Imperator igitur Romæ Pontificis iram lenire studens domi Pontificis & Saxonum conspiratione imperio excidit & ex Ecclesia proscribitur, nec hoc tantùm, sed etiam contra ipsum armatur Rodolphus Suevorum Dux, qui ab Henrico maximè beneficiis erat affectus, cujus etiam sororem Machtildem uxorem habebat, & Sueviæ Ducatum acceperat. Hic inquam armatur à Gregorio Pontif. exemplo planè novo missionis aureæ coronæ cum hac inscriptione: Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho. Hinc funestum & triste bellum inter Henricum Imp. & Rodolphum. Rodolphus post multam Papæ solicitationem accepto

Cæsa-

belles, & quâ occasione.

Saxones ab Henrico Imp. vincuntur.

Saxones Henricum Imp. accusant coram Papa Gregorio VII.

Gregorius VII sub pœna excommunicationis mandat Henrici exturbationem.

Papa Gregorius per edictum Henrico Imp. abrogat potestatem distribuendi Episcopatus.

Henricus Imp. excidit imperio, eique se opponit Rodolphus Suevus.

Papa Gregorius Rodolpho Suevorum Duci mittit coronam imperialem.

Bellum inter Henricum Imp. & Rodolphum Suevum.

Cæsaris titulo à suis partibus habuit Saxones, Bertholdum Zaringiæ Ducem, Welphum qui ab Henrico Bavariam acceperat, & magnam Episcoporum colluviem, ex quibus præcipui fuerunt Moguntinus, Coloniensis, Salisburgensis, Wirtzburg. Magdeburg. & Halberstadensis. A partibus Henrici Imp. fuerunt Rhenani & Franci, qui Duce Godefrido Bulionæo pro defensione Imperatoris, Romæ ad Pontificis pedes hærentis quantas potuere copias coëgerunt. Hosce motus quum Imperator Romæ cognovisset, in Germaniam sese summâ celeritate proripit, & exercitum à suis conscriptum contra Rodolphum educit, cum quo aliquot præliis conflixit. In quarto prælio Rodolphus profligatus & lethaliter sauciatus dextram amisit, quæ quum ipsi jam exspiraturo allata esset, ad astantes Episcopos dixisse fertur: Hæc est dextra quæ vobis impulsoribus datam Henrico fidem violavit, vestræ perfidiæ testis est, de qua vobis coram Deo reddendæ erunt rationes. Accidit hoc anno Christi 1080. His ita peractis & Rodolpho deleto Imperator totam belli molem convertit in Pontificem, urbem Romam obsidet, eâque anno Christi 1083 potitur, sed Papa Gregorius VII Salernam ad Normannos profugit, ubi mortuus est, & motus sede suâ successorem habuit Clementem III, idque Imperatoris autoritate. Sed necdum horum malorum finis est. Nam in Germania rebelles Imperatorem novum creant Hermannum Ducem Lucelburgensem, qui tamen deinde à sociis desertus in oppugnatione quadam vel lapide è muro præcipitato, vel portæ ruinâ oppressus miserabiliter interiit. Tristi hoc eventu nihil territus Ecbertus Marchio Saxoniæ, Imperium arripuit, & Imperatoris titulum usurpavit ampliùs quinquennio, sed in molendino quodam prope Brunswigam à satellitibus Henrici circumventus & obtruncatus est. Erant Henrico duo filii, Conradus major natu & Henricus, qui patri in imperio successit & dictus est hujus nominis V. Illum contra patrem incitabat Urbanus II Papa eâ occasione, quòd pater Henricum filium designasset Imperatorem se præterito. Defecerat enim Conradus ad paternos hostes, Pontificem & Rogerium Normannorum Ducem. Sed pœnas tandem perfidiæ luit Conradus, proscriptus à proceribus imperii anno Christi 1101 & Florentiæ mortuus. Henricus alter filius

Godefridus Bulionæus.

Rodolphus in quarto prælio miserè succumbit.

Henrici Imp. bellum contra Papam.

Gregorius Papa profugus moritur.

Clemens III Papa. Hermannus Dux Lucelburgicus creatur Imperator contra Henricum.

Egbertus Marchio Saxoniæ Imperium accipit tristi eventu.

Henrici Imp. filii excitantur contra patrem.

filius à Paschale II Papa instigatur adversus patrem, à quo pater in eas est redactus augustias, ut sociorum auxiliis insigni perfidiâ nudatus & postea in conventu Moguntino à Papa Paschale damnatus imperio exciderit, Episcopo Moguntino omnia ornamenta in conspectu filii ipsi detrahente. Tandem anno Christi 1106 mense Augusto mœrore animi debilitatus Leodii vitam cum morte commutavit, ad eam inopiam redactus, ut ab Episcopo Wormatiensi beneficium, quod præbendam vocant, petierit, nec tamen impetraverit. Cadaver toto quinquennio Spiræ extra templum in sarcophago lapideo stetit inhumatum, sed postea solutâ excommunicatione sepultum est. Cogita, Lector, in quantam malorum lernam optimus & fortissimus hic princeps pontificiis fraudibus ac technis fuerit præcipitatus, in quibus tamen omnibus amantem sese patriæ & imperatoriæ majestatis contra Pontifices acerrimum vindicem declaravit, & quidem postremum. Sequentes enim Imperatores pontificii regni jugum subeuntes summâ fœditate Imperii majestatem inquinarunt ac labefactarunt.

Henricus Imp. instinctu Papæ Paschalis II à proprio filio Henrico V in extremas augustias redigitur. Henrici Imp. miserabilis exitus.

Synchronismus.

1. Memorabile est quod hic monet Peucerus in Chronico de tribus Ecclesiæ in Novo Testamento à prædicatione Apostolorum Periodis, quarum cuique annos tribuit 500 vel circiter; & notandum est, quòd duæ periodi sub initium imperii Henrici IV elapsæ sunt, & tertia hujus Henrici ætate cœpit. In prima periodo Ecclesia tantò fuit integrior & purior quantò Apostolis & horum auditoribus fuit propior. Sub extremum labeculam contraxit ex invectis opinionibus de monachatu, votis, cœlibatu, veneratione Sanctorum & similibus traditionibus, quarum semina pòst Synodum Nicenam paulatim adoleverunt. Jactis hisce superstitionum fundamentis accessit tandem autoritas Gregorii Magni Pontificis Romani, qui pontificatum adiit in secunda periodo, videlicet anno Christi 593, & ritum invocationis Divorum instituit, quorum ossibus templa dedicavit, & irrepsit tunc etiam opinio de oblatione corporis & sanguinis Christi pro vivis & mortuis, quam Gregorius spectris motus produxit. In secunda periodo admodum invaluerunt superstitiones & idololatriæ, maximè quum per Mahometicum furorem Orientales Ecclesiæ deleren-

Tres periodi Ecclesiæ à prædicatione Apostolorum. Periodus prima. Periodus secunda.

tur,

Cæsaris titulo à suis partibus habuit Saxones, Bertholdum Zaringiæ Ducem, Welphum qui ab Henrico Bavariam acceperat, & magnam Episcoporum colluviem, ex quibus præcipui fuerunt Moguntinus, Coloniensis, Salisburgensis, Wirtzburg. Magdeburg. & Halberstadensis. A partibus Henrici Imp. fuerunt Rhenani & Franci, qui Duce Godefrido Bulionæo pro defensione Imperatoris, Romæ ad Pontificis pedes hærentis quantas potuere copias coëgerunt. Hosce motus quum Imperator Romæ cognovisset, in Germaniam sese summâ celeritate proripit, & exercitum à suis conscriptum contra Rodolphum educit, cum quo aliquot præliis conflixit. In quarto prælio Rodolphus profligatus & lethaliter sauciatus dextram amisit, quæ quum ipsi jam exspiraturo allata esset, ad astantes Episcopos dixisse fertur: Hæc est dextra quæ vobis impulsoribus datam Henrico fidem violavit, vestræ perfidiæ testis est, de qua vobis coram Deo reddendæ erunt rationes. Accidit hoc anno Christi 1080. His ita peractis & Rodolpho deleto Imperator totam belli molem convertit in Pontificem, urbem Romam obsidet, eâque anno Christi 1083 potitur, sed Papa Gregorius VII Salernam ad Normannos profugit, ubi mortuus est, & motus sede suâ successorem habuit Clementem III, idque Imperatoris autoritate. Sed necdum horum malorum finis est. Nam in Germania rebelles Imperatorem novum creant Hermannum Ducem Lucelburgensem, qui tamen deinde à sociis desertus in oppugnatione quadam vel lapide è muro præcipitato, vel portæ ruinâ oppressus miserabiliter interiit. Tristi hoc eventu nihil territus Ecbertus Marchio Saxoniæ, Imperium arripuit, & Imperatoris titulum usurpavit ampliùs quinquennio, sed in molendino quodam prope Brunswigam à satellitibus Henrici circumventus & obtruncatus est. Erant Henrico duo filii, Conradus major natu & Henricus, qui patri in imperio successit & dictus est hujus nominis V. Illum contra patrem incitabat Urbanus II Papa eâ occasione, quòd pater Henricum filium designasset Imperatorem se præterito. Defecerat enim Conradus ad paternos hostes, Pontificem & Rogerium Normannorum Ducem. Sed pœnas tandem perfidiæ luit Conradus, proscriptus à proceribus imperii anno Christi 1101 & Florentiæ mortuus. Henricus alter filius

Godefridus Bulionæus.

Rodolphus in quarto prælio miserè succumbit.

Henrici Imp. bellum contra Papam.

Gregorius Papa profugus moritur.

Clemens III Papa. Hermannus Dux Lucelburgicus creatur Imperator contra Henricum.

Egbertus Marchio Saxoniæ Imperium accipit tristi eventu.

Henrici Imp. filii excitantur contra patrem.

filius à Paschale II Papa instigatur adversus patrem, à quo pater in eas est redactus augustias, ut sociorum auxiliis insigni perfidiâ nudatus & postea in conventu Moguntino à Papa Paschale damnatus imperio exciderit, Episcopo Moguntino omnia ornamenta in conspectu filii ipsi detrahente. Tandem anno Christi 1106 mense Augusto mœrore animi debilitatus Leodii vitam cum morte commutavit, ad eam inopiam redactus, ut ab Episcopo Wormatiensi beneficium, quod præbendam vocant, petierit, nec tamen impetraverit. Cadaver toto quinquennio Spiræ extra templum in sarcophago lapideo stetit inhumatum, sed postea solutâ excommunicatione sepultum est. Cogita, Lector, in quantam malorum lernam optimus & fortissimus hic princeps pontificiis fraudibus ac technis fuerit præcipitatus, in quibus tamen omnibus amantem sese patriæ & imperatoriæ majestatis contra Pontifices acerrimum vindicem declaravit, & quidem postremum. Sequentes enim Imperatores pontificii regni jugum subeuntes summâ fœditate Imperii majestatem inquinarunt ac labefactarunt.

Henricus Imp. instinctu Papæ Paschalis II à proprio filio Henrico V in extremas augustias redigitur. Henrici Imp. miserabilis exitus.

Synchronismus.

1. Memorabile est quod hic monet Peucerus in Chronico de tribus Ecclesiæ in Novo Testamento à prædicatione Apostolorum Periodis, quarum cuique annos tribuit 500 vel circiter; & notandum est, quòd duæ periodi sub initium imperii Henrici IV elapsæ sunt, & tertia hujus Henrici ætate cœpit. In prima periodo Ecclesia tantò fuit integrior & purior quantò Apostolis & horum auditoribus fuit propior. Sub extremum labeculam contraxit ex invectis opinionibus de monachatu, votis, cœlibatu, veneratione Sanctorum & similibus traditionibus, quarum semina pòst Synodum Nicenam paulatim adoleverunt. Jactis hisce superstitionum fundamentis accessit tandem autoritas Gregorii Magni Pontificis Romani, qui pontificatum adiit in secunda periodo, videlicet anno Christi 593, & ritum invocationis Divorum instituit, quorum ossibus templa dedicavit, & irrepsit tunc etiam opinio de oblatione corporis & sanguinis Christi pro vivis & mortuis, quam Gregorius spectris motus produxit. In secunda periodo admodum invaluerunt superstitiones & idololatriæ, maximè quum per Mahometicum furorem Orientales Ecclesiæ delerentur,

Tres periodi Ecclesiæ à prædicatione Apostolorum. Periodus prima. Periodus secunda.

tur, unde Episcoporum Romanorum potentia valde crevit, ita tamen ut Imperatoribus subjecti manserint usque ad Henricum IV. Licet autem in maxima parte orbis Christiani lux purioris doctrinæ fuerit oppressa, multi tamen fuere viri docti & pii, & plures quidem initio hujus secundæ Periodi usque ad medium & ultra in Græcis & Romanis Ecclesiis, qui de præcipuis doctrinæ Ecclesiæ capitibus rectè senserunt & docuerunt, ut Vigilius, Beda, Alcoinus Caroli M. præceptor, & alii. De Johanne Scoto scribunt, quòd γραφείοις à discipulis fuerit confossus, quòd opinionem de oblatione Cœnæ Domini pro vivis & mortuis rejecisset & taxasset. Tertia Periodus cœpit ætate Henrici IV Imp. & insignem attulit mutationem Ecclesiæ & Imperio. Confirmata enim est tyrannis idololatriæ contra regnum Filii Dei, & novæ potestatis Pontificiæ contra legitimam potestatem Imperatorum. Cœpit idololatria in ἐθελολατρείᾳ, in infinitis monachorum agminibus, & inanibus traditionum humanarum, quibus conscientias cruciarunt, terriculamentis, unde monasteriorum opes in immensum creverunt. Atque hæc Ecclesiæ & Imperii facies suum terminum assecuta est tempore Lutheri, qui anno Christi 1500 prodire cœpit, & Pontificiam tyrannidem non sine magno fructu oppugnavit. Nunc igitur porrò de tertia Periodo Ecclesiæ cognoscemus.

Periodus tertia.

2. Romæ Pontifices fuerunt, Victor II, Stephanus IX, Benedictus X, Nicolaus II, Alexander II, Cadolus, Gregorius VII, Clemens III, Victor III, Urbanus II, & Paschalis III. Hi undecim Pontifices sederunt Henrico hoc imperante, ex quibus Nicolaus II Berengarium (de quo suprà meminimus) in concilio Lateranensi ad retractandam sententiam de Cœna Domini coëgit. Gregorius VII omnium nequissimus, natione Thuscus & ante Pontificatum Hildebrandus dictus, sine autoritate Imperatoris Papa factus est suffragiis Cardinalium & Cleri. Quare Imperator offensus, ut jus imperii tueretur, Romam cum exercitu venit, & Gregorium anno Pontificatus ejus undecimo, assentientibus civibus Romanis, munere privavit & Clementem III substituit, qui annos 17 in sede Pontificia mansit. Hinc horrendum schisma ortum est, quod Imperium gravissimè concussit & labefactavit. Porrò hic Gregorius VII

Gregorius VII

sub

sub anathematis pœna edixerat ne laïcus ullus cujuscunque esset conditionis ac dignitatis investituram Ecclesiastici sacerdotii conferret, & ne cujusquam missa audiretur qui in conjugio viveret. Autor etiam fuit Rodolpho Suevo ut Imperatori sese opponeret missâ coronâ cum hac inscriptione: *Petra dedit Petro, &c.* ut suprà dictum. Mortuus est in exilio Salerni, & scribitur ante mortem agnovisse delictum suum, veniamque à Cæsare petiisse, & suos ad obediendum Cæsari monuisse. Urbanus II natione Gallus ab anno Christi 1088, sedit annos 4, autor expeditionis istius in terram sanctam ad recuperandam Hierosolymam, in qua excelluit Godefredus Bilionæus Dux Lotharingiæ. Paschalis III excommunicavit Henricum IV Imp. & hujus filium Henricum V contra ipsum incitavit, cui deinde jus conferendi Episcopatus & sacerdotia per virgam & baculum de integro confirmavit, sed mox eripuit.

insurgit contra majestatem imperatoriam.

Urbanus II.

Paschalis III.

3. Concilium Romæ in Laterano habitum est autore Nicolao II Papâ, in quo Berengarius damnatus & ad retractandum dogma suum compulsus est anno Christi 1059. Hujus palinodiæ verba vide apud Bucholtzerum in indice Chronol. & Dress. Millen. 6. fol. 229. Mellific. p. 3. fol. 215.

Berengarius retractat dogma suum de sacramentali præsentia corporis & sanguinis Christi in S. Cœna.

4. Cœlibatus perpetuum jugum clericis imponitur autore Gregorio VII Papâ, & decretum fit, ut qui uxores haberent eas dimitterent vel sacerdotium desererent. Hæc res magnum peperit schisma inter Papam & Clericos, de quo vide Dresserum Millen. 6. fol. 231. Bucholtz. in anno Christi 1074.

Cœlibatus Clericis imponitur.

5. Concilium Claromontense in Gallia indicitur à Papa Urbano II anno Christi 1095, & factum est decretum de terra sancta bello recuperanda, & ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ reducenda. Quo autem consilio Pontifex hoc fecerit, incertum est. Sunt qui existimant ideò factum esse, ut hâc ratione Imperator & Principes Germaniæ in discrimen adducerentur & omnis potestas deinde penes solum Papam esset. Notum enim est Deum ita iratum fuisse Palæstinæ & urbi Hierosolymæ, ut funditùs eversam voluerit nec unquam reparari. Nec alligata est Ecclesia Novi Testamenti ad templum Hierosolymitanum, sed per universum terrarum orbem diffusa.

Decretum de recuperatione terræ sanctæ.

Dolus Pontificis.

6. Hoc

Quidam ordines in Papatu inventi. Canonici. Carthusiani.

6. Hoc tempore in regno Pontificio certi ordi... venti sunt, ut Ordo Canonicorum, seu Regulariu... jus autor perhibetur Arnolphus Abbas circa an... Christi 1070, & Ordo Carthusiensium Coloniæ in... tus à Brunone Theologo, & sic à loco ubi institut... appellatus, anno Christi 1086. Carthusiensium o... occasionem præbuisse scribunt tristes voces ho... mortui & judicium Dei exhorrescentis. Carne perpe... abstinet, & in cubiculis solitariam vitam degit, sile... tiumque servat. Dress. fol. 276.

Imperatores Orientales. Michaël Stratioticus.

7. Græci Imperatores fuerunt, Michaël Stratioticus, Isaacius Comnenus, Constantinus Ducas, Romanus Diogenes, Michaël Parapinacius, Nicephorus Botoniates, Alexius Comnenus. Michaël Stratioticus adoptione imperium consecutus cœpit imperare anno Christi 1056, & imperavit annum unum, & quum rem militarem negligentiùs tractaret, in odium venit apud exercitum; & per Isaacium Comnenum imperio motus fuit, rem gnaviter juvante Patriarchâ, quem deinde Isaacius Imperator factus in exilium egit. Isaacius imperavit biennium & bella gessit cum Ungaris & Bossinis, quibus pacem petentibus inducias concessit, & postea in venatione aprum aspectu horrendum (spectrum fuisse consentaneum est) persecutus & fulgure territus, quum ex equo præceps decidisset, obiit. Successit Constantinus Ducas ab Isaacio Imperator nominatus, qui ab anno Christi 1059 regnavit annos 8, sed quum avaritiæ deditus defensionem imperii contra Turcas negligeret, hi ab Oriente progressi contra urbem Constantinopolin usque accesserunt. Commendat igitur Constantinus imperium Eudociæ uxori, sed hæc ingruentem hostium vim pertimescens & strenuo propugnatore opus esse intelligens, alium sibi delegit maritum Romanum Diogenem, qui Eudociâ contra datam fidem exclusâ suo arbitrio omnia administrare cœpit, sed infelici exitu. Nam à Turcis captus & certis conditionibus dimissus domumque reversus, quum in summo odio esset apud Eudociam conjugem & hujus liberos ex priore marito natos, imperio motus & Michaëli Ducæ filio maximo traditus est, & oculis privatus miserè periit. Successorem igitur habuit Michaëlem privignum, qui cognomento dictus est Parapinacius, à pinacio medimni quadrante, quo, grassante

Isaacius Comnenus.

Constantinus Ducas. Turcæ ad Constantinopolin progrediuntur. Romanus Diogenes.

Michaël Parapinacius.

tante ingente fame, usus fuerit. Hic Michaël ab anno Christi 1071, imperavit annos 6 & menses 6, quamvis propter philosophicum studium cui perpetuò affixus fuit, ineptus ad imperium. Hujus igitur imperitiâ & ignaviâ factum est, ut regiones Asiæ versus Pontum omnes Turcis cesserint, ibique constitutum sit regnum quod hodie etiam Turcomanniæ dicitur. Tandem quum omnia sibi adversa videret, in monasterium secessit, & successorem habuit Nicephorum Botoniaten, qui annos 3 imperavit, & postea Comnenorum conspiratione oppressus etiam monasterium ingressus est. Successit Alexius Comnenus, qui factâ partitione imperii cum fratribus & affinibus ad præcavenda dissidia, quum videret ad tuendam Imperatoriam majestatem non sufficere ea quæ possidebat, ad rapinas conversus subditos immanem in modum expilavit, & corruptâ monetâ inter subditos distributâ auream justi ponderis sibi dependi voluit. Cœpit imperare anno Christi 1081, & imperavit annos 37. Princeps crudelis & avarus, quos tamen mores deinde propter fortunæ adversitatem correxit, & in bello infelix. Eo imperante suscepta est Argonautarum Germanicorum expeditio in Asiam Duce Godefrido Bulionæo. Obiit Alexius septuagenarius diuturno morbo fractus relicto imperio Johanni filio natu maximo, quem successorem designaverat. Hactenus igitur imperium Orientale Henetis & Turcicis armis variè convulsum ac discerptum exigua retinuit rudera, in quibus Deus aliquam Ecclesiam virtute eorum, qui ab Occidente, oppressâ Asiâ, succurrerunt, multis annis conservavit, usque ad extremam eversionem, quâ Tartari Turcis omne imperium adimerunt.

Turcomanniæ regnum. Nicephorus Botoniates. Alexius Comnenus. Expeditio in Asiam duce Godefrido Bulionæo.

8. Celebris expeditio in Palæstinam suscepta est à Christianis principibus studio recuperandi terram sanctam & regnum Filii Dei amplificandi, anno Christi 1096. Appellatur bellum sacrum, in quo universus Occidens visus fuit migrare in Orientem. Dux militiæ præcipuus fuit Godefridus Bulionæus Lotharingiæ princeps, qui paterno Ducatu Episcopo Leodiensi vendito pecuniam omnem in belli apparatum insumpsit, adjunctis sibi fratribus Balduino & Eustathio. Imperabant tum temporis toti Asiæ Turci à Ponto ad mare mediterraneum & usque ad Hellespontum. Prima σύῤῥηξις facta est in ipso

Bellum sacrum in Asia contra Saracenos & Turcos. unde novum regnum Hierosolymitanum. Turcorum potentia per Asiam

ipso aditu Asiæ anno 1097, ubi Turcorum Sultanus Solymannus victus & urbs Nicea à NicenaSynodo celebris expugnata est à Godefrido, & mox quatuor annorum spacio reliquæ Asiæ provinciæ, & Lycaönia, Cilicia, Syria, Mesopotamia Comagena, perdomitæ sunt, Turcis partim cæsis partim fugatis, unde tantus terror injectus est Saracenis, ut Calipha Ægyptius missis legatis pacem petiverit. Hierosolyma capta & erepta est Saracenis, qui eam paulò ante pulsis Turcis receperant. Post hanc victoriam Godefridus rex Hierosolymorum creatus est, & spineâ coronâ (auream enim in illo loco detrectaverat) ornatus, anno Christi 1099, & sequente anno obiit Godefridus, eique in regno hoc novo successit frater Balduinus, qui regnavit annos 18. Plura apud Peucerum fol. 864 & seqq. Dress. Millen. 6. fol. 536 & seqq. Bucholtz. in indice Chronol. Mellif. p. 3. fol. 205. Sed hocHierosolymorum regnum ab octo regibus gubernatum est per annos 88, quando propterChristianorum inter se dissidia rediit in potestatem Saracenorum, quum imperante FridericoBarbarossa Saladinus Ægypti Sultanus urbem Hierosolymam recepit anno Christi 1187.

Hierosolyma Saracenis eripitur. Godefridus Bulionæus creatur rex Hierosolymæ. Godefrido succedit frater Balduinus. Duratio novi regni Hierosolymitani.

9. In Poloniæ regno Miceslao successit Casimirus, qui contemptus à Polonis cum Rixa matre ingressus est monasterium tanquam exilium. Sed urgente necessitate bellicâ inde fuit requisitus, multumque regno commodavit. Huic successit Boleslaus II anno Christi 1058, qui Russos, Boëmos & Ungaros vicit: sed tandem factus tyrannus, quum à Stanislao Præsule & Episcopo Cracoviensi objurgaretur, occidit eum in ædeD. Michaëlis, anno Christi 1079, cadaverque dissectum canibus projecit. Quamobrem excommunicatus à Gregorio VII miserè in exilio periit. Ejecto Boleslao regnum suscepit Vladislaus frater, Pomeranorum & Prutenorum domitor, anno Christi 1082, qui post triennium obiit, & successorem habuit Boleslaum III, qui bellum gessit cum Henrico V Imp.

Polonia. Casimirus. Boleslaus II tyrannus. Vladislaus. Boleslaus III.

10. Bela Ungariæ rex ejecto fratre Andrea auxilio Boleslai II Poloniæ regis tenet regnum Ungariæ, sed post triennium sublatus est, & in ejus locum substitutus Salomon Andreæ filius auxilio Cæsaris Henrici IV, cujus erat gener. Hic ad annos 13 pacem in regno conservavit. Anno 1974 Geysa Belæ filius Salomonem ter in acie

Ungaria. Bela. Salomon. Geysa.

acie vicit & tandem regno expulit. Geysæ successit Ladislaus frater, qui contra Tartaros bella gessit & Croatiam ac Dalmatiam Ungariæ adjunxit, jamque iturus ad bellum sacrum contra Saracenos mortem obiit. Huic anno Christi 1095 successit Colomannus, de quo infrà.

Ladislaus.

Colomannus.

11. In Gallia obiit Henricus I rex Francorum, Roberti filius, eique succedit filius Philippus anno 1060. Huic successit filius Ludovicus Crassus anno 1109.

Gallia. Philippus. Ludovicus Crassus.

12. Quum Sueno Danorum rex profligato Angliæ rege Edelhardo totius Angliæ imperio potitus esset, idque ab anno Christi 1037 cum posteris suis per annos 30 tenuisset, Angli Danorum tyrannidis pertæsi Danos ad unum omnes partim occidêre partim ejecere, & regnum Angliæ ad Eduardum sanctum detulere, qui pace & saluberrimis legibus illud firmavit. Hic est Eduardus ille qui primus strumas in gutture solâ salivâ suâ sanavit, & ad posteros reges tanquam hæreditarium bonum transmisit. Porrò anno Christi 1066 Gulielmus Normanniæ Dux ab Eduardo hæres institutus Angliam cum exercitu invasit, & Haraldum, qui regis Angliæ nomen usurpare Gulielmumque Angliâ prohibere conabatur, vicit & occidit. Hic Gulielmus cum posteris suis per annos 480 regnum obtinuit, extinctâ ferè Anglorum prosapiâ. Anno Christi 1088 Gulielmus Rufus Gulielmi filius Anglorum rex factus est, & regnavit annos 23, homo crudelis & impius, qui Archiepiscopo Cantuariensi Anselmo propter liberiorem admonitionem in exilium ejecto bona ecclesiastica ad suum quæstum convertens sæpè hæc verba usurpavit: Pinguis est Christi panis & delicias regibus præbet. In venatione sagittâ est confossus. Ei successit Henricus I, frater.

Anglici regni mutatio. Eduardus sanctus rex Angliæ. Strumarum medicatio. Eduardo succedit Gulielmus Normanniæ Dux, qui cum posteris suis Angliam possedit annos 480. Gulielmus Rufus, rex Angliæ impius. Henricus I Angliæ rex.

12. Vratislaus Bohemorum Dux Moguntiæ in conventu principum ab Henrico IV Imp. adeptus est titulum dignitatemque regiam, Moravorum regno in Bohemiam translato anno Christi 1086.

Boëmia fit regnum.

14. Marianus Scotus, cujus historica leguntur, patriam egressus factus est Monachus Coloniæ anno Christi 1056.

15. S. Anselmus post defunctum Lanfrancum factus est Episcopus Cantuariensis in Anglia anno Christ 1097. Ejus scripta extant.

HENRICUS V.

Henrici v impietas adversus patrem. *Henricus experitur pontificum fraudes.*

Fuit filius Henrici IV, qui Pontificum instinctu armis patrem imperio expulit, ut suprà diximus, superstitionis fascino potiùs quam imperandi cupiditate inductus; quod ipse fassus perhibetur. Sed justam retulit mercedem. Quibus enim contra patrem erat gratificatus, ab illis ipsis deinde graviter fuit divexatus, adeò ut Pontificum importunitati cedens non leve dedecus imperio attulerit. Cœpit imperare anno Christi 1106, & imperavit annos 19. Parum felix fuit in præliis. Cum Pontificibus certamina non levia sustinuit. Etenim in Italiam profectus, Lombardiâ & Thusciâ pacatis, Romam venit ut Imperator renunciaretur, & vetera jura Episcopatuum, quæ Pontifices jam tanquam sua usurpabant, vindicaret. Sed Paschalem Pontificem habuit adversarium, qui tantas movit seditiones, ut Imperator de vita periclitaretur. Eò tamen res deducta est, ut Papa compulsus coronam Imperatori imposuerit, & jura conferendi Episcopatus per annulum & baculum restituerit, additâ obligatione se nihil potestati Imperatorum derogaturum. Sed quid fit? Imperator ubi vix ab urbe est digressus, Papa mutat consilium & promissa retractat, additis diris & execrationibus, quibus hoc effectum est, ut multi Episcopi ac Principes ab Imperatore abducerentur, & Saxones ad novas seditiones impellerentur. Hi enim extincto Ulrico Marchione ad Sigefridum Ducem tanquam ad legitimum hæredem Ducatum transferebant. quod ægerrimè tulit Cæsar, ad imperium hæreditatem illam pertinere contendens. Hinc bellum inter Cæsarem & Sigefridum, & prælium commissum in quo Sigefridus occubuit. Sed non multò pòst Henrico Saxoniam vastanti occurrit Lotharius Saxonum Dux, anno Christi 1115, & cum eo confligit ad Guelphorum sylvam (Welfsholtz) in comitatu Mansfeldensi, in quo prælio victores Saxones attriverunt copias Cæsaris, ut ex utraque acie desiderata sint 45000 hominum, & scribit Helmoldus, copias Cæsaris multò majores fuisse, adeò ut quinque Cæsarianis vix tres Saxones fuerint oppositi. Porrò ingravescentibus odiis hostium Henricus abiit in Italiam ad capessendam hæreditatem viduæ Mathildis, quæ fuit soror Egberti Marchionis Saxoniæ; sed Pontificum rabie afflictus &

Paschalis III Papæ perfidia contra Henricum. *Saxones ab Henrico deficiunt, unde novum bellum.* *Saxones vincunt Cæsarem.* *Henricus in Italiam*

varié

variè turbatus Gelasium Papam Paschalis successorem pontificatu dejectum urbe expulit, suffecto alio Burdino Hispano Episcopo Bracharensi, quem Calixtus Gelasii successor captum in exilium emisit Imperatore excommunicato. Multis igitur modis Cæsar expugnatus & Pontificum machinationibus perpulsus, ut publicæ tranquillitati consuleret, de suo jure remisit, & in consilio Wormatiensi anno Christi 1122 omne jus investituræ ecclesiasticæ Papæ Calixto II resignavit. Hoc modo jura Imperatorum à Carolo M. constituta & annos 300 conservata atque defensa, elisa atque eversa sunt. Bellum etiam gessit Henricus contra Polonos, inductus à Suantopuleo Bohemorum rege, sed conatu irrito. Quocirca pacem cum Polonis fecit, in qua pacificatione quum fortè legatis Polonicis magnam auri vim ostendisset, & quod hic thesaurus Polonos esset perdomiturus dixisset: subridens legatorum unus aureum annulum de digito suo detractum ad thesaurum Cæsaris adjecit, Aurum, inquiens auro jungatur, scilicet stultam Cæsaris arrogantiam notans. Sed hoc scommate nihil offensus Cæsar respondit Germanicâ linguâ: *Hab danck*, id est, ago gratias. Inde mansit universæ familiæ nomen, quo Habdankii appellantur. Non multò pòst bellum recruduit & prælium prope Vratislaviam commissum est in campo canino, qui sic à canum concursu post conflictum cognominatus est, in quo Cæsar à Boleslao Polonorum rege victus est, anno Christi 1109. Cæterùm quamvis hic Henricus in gratiam Papæ nihil intermiserit, & Saxonum quoque favori studuerit, frustra tamen, quicquid hujus fuit, fecit. Nam Lotharius nova semper molitus est, & per sororem viduam Hollandicam res in Belgio turbavit, quibus quum Henricus mederi vellet, Trajectum profectus in morbum incidit, quo extinctus est. Uxorem habuit Mathilden Henrici I Anglorum regis filiam, ex qua nullam sobolem suscepit, ideoque Franconiam attribuit Conrado Suevo filio Friderici Ducis Sueviæ in Hohenstauffen, qui post Lotharium imperavit.

profectus excommunicatur à Calixto Papa.

Henricus omne jus potestatis ecclesiasticæ resignat Papæ Calixto II.

Jura Imperatorum evertuntur.

Henrici bellum Polonicum.

Habdanckii.

Bellum Polonicum recrudescit.

Henricus ab omnibus contemptus.

Henrici obitus.

Synchronismus.

I. Romæ Pontifices fuerunt, Paschalis III, Gelasius II, Gregorius VIII, Calixtus II, & Honorius II. Paschalis anno Christi 1099 contra Clementem III electus

Paschalis III hom

inquietus. excommunicat Henricum IV patrem, & Henricum V filium. Gelasius II excommunicat Henricum V.

ctus sedit annos 18, & Henricum IV Imp. excommunicavit, filiumque ejus Henricum V contra ipsum incitavit, eique jus prodendi flamines per virgam & baculum de integro confirmavit, quod paulò pôst revocavit, & Imperatorem anathemate notavit, ut dictum est. Huic successit Gelasius II, qui sedit menses undecim, & pontificatu motus per Henricum V Imp. mox Henricum excommunicavit & diris devovit. Contra eum Henricus V designavit Papam Gregorium VIII, qui in monasterium est relegatus, eique surrogatus est Calixtus II, qui pacem cum Henrico V fecit, quem antea excommunicaverat, sublato diuturno schismate, & sedit ab anno Christi 1119 annos 6. Post hunc in Cathedra sedit Honorius II, qui præfuit annos 5 in pace & tranquilitate, & confirmavit ordinem Templariorum sive fratrum militiæ templi Hierosolymitani, quod factum est anno Christi 1124.

Templarii.

S. Bernhardus Clarevallensis.

2. S. Bernhardus genere Burgundus ingressus Cistercium factus est Monachus anno Christi 1113, & postea anno 1115 fundatum est cœnobium Clarevallense, cujus primus Abbas fuit idem Bernhardus, inde Clarevallensis dictus. Literarum & pietatis à primis annis fuit studiosissimus, & spretis hominum commentis sacræ Scripturæ lectioni ac meditationi vacavit, unde excellens Ecclesiæ Doctor evasit, quamvis stipulas margaritis admiscuit communibus istius seculi erroribus inductus. Dicti sunt ab eo Bernhardini monachi, qui ordo adeò fuit fœcundus, ut in 160 sodalitates sit distributus. Mortuus est anno Christi 1153, imperante Frid. Barbarossa.

Pomerani fiunt Christiani.

3. Otho Episcopus Bambergensis gentem Pomeranicam seu Sclavonicam, quæ inter Oderam & Poloniam habitabat, convertit ad fidem Christianam, Ducibus Bertislao & Casimiro Christianis sacris initiatis, unde cognominatus est Apostolus Pomeranorum. Hujus Bertislai filiis Bugislao & Casimiro Fridericus Barbarossa in bellis Saxonicis ducalem dignitatem inter principes imperii tribuit. Peucerus fol. 842. De hoc Othone vide etiam Dress. Millen. 6. fol. 164. & Bucholtz. in anno Christi 1124.

Ordo S. Johannis.

4. Equestris ordo S. Johannis institutus est anno Christi 1119 autore Balduino II Hierosolymorum rege. Quodnam hujus ordinis munus fuerit, prolixiùs narrat

Dress.

Dreſſ. Millen. 6. fol. 285 & ſeqq. Peuc. fol. 868.

5. In Oriente Imperator fuit Calo Johannes Alexii Comneni filius, qui cœpit imperare anno Chriſti 1118, & imperavit annos 24. Patre & victoriis bellicis & opibus ſuperior, & vir melior. Nam in Aſia Turcos repreſſit, & in Europa Scythas. Tartaros, qui locuſtarum inſtar denſis agminibus ex ſeptentrione in Thraciam & Macedoniam involaverant, inde expulit. quibus ſummotis bellum fecit Hunnis, quos prope Belgradum profligavit in loco qui à ſtrage Francorum φραγγοχωρίον in hiſtoria dicitur. Cum Conrado Suevo Imp. fedus fecit & affinitatem contraxit datâ filio Manueli in uxorem ſorore Gertrudis conjugis Conradi, filiâ Comitis Sultzbachici. Periit in venatione venenatâ ſagittâ læſus. Peuc. f. 877. *In Oriente imperat Calo Johannes in bellis felix.*

6. In regno Hieroſolymitano moritur anno Chriſti 1118 Balduinus Godefridi frater, eique ſuccedit Balduinus II conſobrinus, qui dicitur Balduinus de Burgo, quo regnante inſtitutus eſt Hieroſolymæ Equeſtris ordo militiæ ſacræ, de quo ante dictum. Et mox novæ duæ familiæ ſacrorum militum exortæ ſunt, altera Templariorum, altera Teutonicorum, de quibus videatur Peucerus fol. 869 & ſeqq. Cæterùm regnavit hic Balduinus annos 13, & ad eum magnus fuit confluxus Chriſtianorum militum ex Europa contra Saracenos. Vicit Balduinus & occidit Perſarum regem, & regem Damaſci fugavit, ſed à Parthorum rege captus paulò pòſt è vinculis eſt elapſus. Poſt ejus obitum principes mulierum ambitione diſſidiis diſtracti ſunt & inter ſe belligerare cœperunt, unde omnis virtus emarcuit. Peuc. fol. 871. *Balduinus II rex Hieroſolymitanus. Templarii & Teutonici. Balduini victoria. Diſſidia in regno Hieroſolymitano.*

7. In Polonia regnavit Boleſlaus III, dictus diſtortus, qui tertio prælio Henricum V Imp. vicit, ut dictum eſt. Vide Dreſſ. fol. 612.

8. In Ungaria regnum tenet Colomannus, qui iniquus & crudelis in ſuos multis incommodis regnum affecit, fratremque ſuum Almum hoſtiliter eſt inſectatus, qui ad Henricum V Imp. confugiens ejus patrocinium impetravit. Sed Colomannus cum Boleſlao III Polonorum rege contra Cæſarem federe facto, filio ſuo Stephano in uxorem acquiſivit filiam Boleſlai, quæ dotis nomine attulit Comitatum Scepuſienſem. Et quum Boleſlaus auxilia Colomanni ad oppugnandum Cæſarem mitteret, Cæſar miſſâ Ungariâ belli impetum convertit *Colomannus.*

in Poloniam. Postea anno Christi 1113 iterum in Ungariam venit Cæsar, & dimicantes de regno fratres ita conciliat, ut Colomannus regnum, Almus verò Ducatum obtineat, quæ tamen pacificatio paulò pòst est rescissa. Successit Colomanno filius Stephanus anno 1117, & regnavit annos 19. Cognominatus est Fulmen, quòd nihil consilio, sed subito animi impetu omnia ageret. Abiit tandem in monasterium ibique mortuus est.

Stephanus.

9. In Gallia regnat Ludovicus Crassus, qui cœpit anno Christi 1109, & post novennium in Anglia regnavit Henricus I, socer Henrici V Imp. Bellum fuit gestum inter Gallum & Anglum, in quo victus est Gallus. Ludovicus Crassus ab anno 1109 regnavit annos 28, sed Henricus I Anglus ab anno 1101 annos 25. Hujus Henrici filii Gulielmus & Richardus, ac filia Maria, dum ex Normannia in Angliam trajiciunt, ortâ fœdâ tempestate & nave scopulis illisâ fluctibus obruti interierunt. Paulus Jovius in Chronico Anglorum regum.

Ludovicus Crassus. Henricus I Angliæ rex.

10. Albertus Ursus, cognomento Magnus & Pulcher, filius Othonis Comitis Ascaniæ in Ballenstet, &c. post defunctum patrem ab Henrico V Imp. investitur. Hujus multa fit mentio in historia principum Anhaltinorum & Marchionum Brandeburgensium. Fuit conditor trium amplissimarum familiarum in Germania, videlicet Priorum Saxoniæ Ducum, Marchionum Brandeburgensium veterum, & Principum Anhaltinorum. Bucholtz. in anno Christi 1124. & Peuc. fol. 838, & 855, ubi ostenditur quomodo Marchia Brandeburgensis pervenerit ad Albertum Ursum.

Albertus Ursus.

LOTHARIUS II. SAXO.

Mira imperii mutatio per bella Henricorum facta est, adeò ut Germaniæ nobilitas valde fuerit labefactata. Crevit potentia Lotharii Saxoniæ Ducis, ut & Conradi ac Friderici patruelium in Suevia, unde inter Lotharium & Conradum grave de imperio certamen ac dissidium est natum. Lotharius subnitebatur subsidiis Saxonum & Henrici Superbi Bavari, Conradus verò Francorum ac Suevorum viribus. Lotharius cæteros antecellebat autoritate & opibus, & ab Henrico V Imp. cui contra patrem adhæserat navatæ operæ præmium consecutus

Imperii mutatio. Dissidium inter Lotharium & Conradum Suevum.

erat

erat universam Saxoniam. Munierat etiam sese Lotharius affinitate potentis principis Henrici Superbi, cui filiam desponderat, & quòd felici successu Henricum V Imp. debellasset, accedentibus Episcoporum incitationibus, invasit Imperium contra Conradum. Conradus urbibus Imperii præsidio firmatis in Italiam contendit, ut impetratâ renunciatione Lothario imperium præriperet; sed ab Honorio Pontifice anathemate repellitur, & reversus in Germaniam abjectâ spe imperii per S. Bernhardum Clarevallensem Lothario reconciliatur. Cœpit Lotharius imperare anno Christi 1125, & imperavit annos 13. Bis duxit exercitum in Italiam. Primò rogatu Innocentii II Pontificis, quem electione Anacleti ejectum restituit, & pro præmio Imperator ab ipso est renunciatus. Verùm quum Lotharius se vetera Imperatorum jura repetiturum ostendisset, & Pontifex ne id faceret deprecatus esset, cessit Imperator, persuasus maximè S. Bernhardi precibus. Plurimùm tamen Ecclesiæ & Reipub. nocuit hæc concessio, utpote quæ Pontificum petulantiam ac crudelitatem miris modis confirmavit, quod sequentes historiæ satis docent. Deinde in Italiam venit evocatus contra Rogerium Siciliæ regem, qui bona Ecclesiastica invaserat, ubi totâ Italiâ domitâ & Rogerio profligato, Pontificis opes ac dignitatem auxit. Præclarissimè meritus est de Germania & Italia tum propter pacis ex asperrimis bellis restitutionem, tum propter justitiæ ac legum ex longa rerum perturbatione redintegrationem. Etenim per Longobardorum & Francorum dilacerationes, barbarici mores invaluerant, & Romanæ leges conticuerant. Qua in re insignem operam navavit Irnerius Jurisconsultus, vir summæ autoritatis & fidei, qui barbaricos ritus ex veteri jure Romano, quod à Constantinopolitanis didicerat, correxit, nec hic solùm, verùm etiam Romæ & Bononiæ jus illud docuit, & primus ex Italis glossemata textibus addidit, ex quo liquet cum jure Romano etiam literas fuisse restitutas. Hoc modo consilio Irnerii & autoritate Lotharii revocata sunt legum studia, quæ jam per annos 600 & ampliùs quasi exularant. Agnoscere hoc debet etiam hæc nostra ætas & cogitare, Romani juris restitutionem per Lotharium factam Dei singulare opus esse. Quum verò restitutæ hæ leges viderentur non parùm obfuturæ Pontificis

Conradus Suevus reconciliatur Lothario.

Prima expeditio Lotharii in Italiam.

Secunda expeditio in Italiam.

Lotharii encomium in armis & toga.

Legum restitutio.

Irnerius Jurisconsultus,

Pontificum decreta per Gratianum Monachum congesta. tificis autoritati, prodiit hujus Lotharii ætate Gratianus Monachus, qui Pontificum decreta congessit, & ex veterum Synodorum Canonibus multa intexuit, quæ Pontificis dignitatem extollere & confirmare poterant. Et sic ad studium juris Romani antiqui, quod nunc civile vocatur, alterum accessit, quod dicitur Canonicum, *Jus Canonicum accessit ad jus civile.* Pontificiæ tyrannidis columna & fundamentum, cujus patroni deinde inventi sunt Canonistæ & Scholastici, de quibus vide Peucerum fol. 851 & seqq. Ex hoc duplici jure factionum quoque studia nata sunt, aliis Imperatores, *Gibellinorum & Guelphorum origo.* aliis Pontifices sectantibus, quorum illi Gibellini, hi verò Guelphi sunt appellati, magna cum totius orbis Christiani distractione. Porrò Lotharius Imp. pace in *Lotharii obitus.* Italia restitutâ & optimis legibus quasi postliminio reductis, rediturus jam in Germaniam per vallam Tridentinam morbo est correptus, cujus sævitia superatus prope Tridentum in pago ignobili diem obiit anno Christi *Lotharii familia.* 1138 mense Decembri. Uxorem habuit Rixam, filiam Henrici Comitis Northemii, ex qua suscepit filium Lotharium qui pubertatis annos non attigit, & duas filias Gertrudem, quæ nupsit Henrico Superbo Bavaro, & Hedwigem quæ collocata est Ludovico Barbato Comiti *Ludovicus Hassiæ & Thuringiæ Landgravius.* Thuringiæ. Hunc Ludovicum Lotharius novâ dignitate Comitis provincialis seu Landgravii ornavit, & ut cæteris Comitibus Thuringiæ esset potentior, Hassiam ei tribuit. Fuit igitur Hassiæ & Thuringiæ conjunctio usque ad Ludovicum ultimum, quo sine mascula prole extin- *Thuringiæ & Hassiæ separatio.* cto Thuringiam occupavit Henricus Marchio Misniæ, Hassiam verò Henricus Dux Brabantinus.

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Honorius II, Cœlestinus II, Innocentius II, Anacletus II, Victor IV. De Honorio II suprà diximus. Cœlestinus ante Honorium creatus Papatum deseruit. Innocentius II anno Chri- *Schisma inter Anacletum II & Innocentium II.* sti 1130 contra Anacletum in schismate electus, sedit in confusione annos 13 & menses 7, & Lotharium Imp. traxit in Italiam, ut tumultus Romæ electione Anacleti concitatos sopiret, ut suprà meminimus. Anacletus igitur certavit cum Innocentio de Pontificatu, eoque superato dominatus est annos 8. Victor IV, anno Christi 1138 in

locum

locum Anacleti substitutus, sed omni præsidio destitutus Pontificatu cessit & Innocentium agnovit. Et hoc modo schisma quod annos 8 duraverat sublatum est.

2. In Oriente Imperator adhuc fuit Calo Johannes, de quo suprà.

3. In regno Hierosolymorum Balduino II successit Fulco rex quartus, qui ab anno Christi 1131 regnavit annos undecim. Superatus à Saracenis iniquas conditiones accipere coactus est. Diminuto enim militum Christianorum fervore ipsa quoque fortuna minui cœpit. Fuit hic Fulco Comes Andegavensis, gener Balduini, qui in venatione equi lapsu terræ illisus periit, relictis impuberibus filiis Balduino & Almerico. *Fulco.* *Regni Hierosolymitani diminutio.*

4. Polonia magnam experitur mutationem ac rerum turbationem. Nam Boleslaus III, posteaquam impulsu aulicorum fratrem suum Sbigneum occidisset, ex conscientiæ vulnere in summum incidit animi mœrorem, quo postea etiam consumptus est. Filios habuit quinque, quibus regnum distribuit, Vladislaum, Boleslaum Crispum, Mislaum, Henricum & Casimirum. Singulis dedit suas portiones, excepto Casimiro minimo, quod idcirco se facere dixit, quòd currus non nisi quatuor rotis gestari possit, oporteat verò aliquem in curru sedere, & hunc futurum Casimirum, quod etiam eventus comprobavit. Dress. Millen. 6. fol. 613. *Boleslaus III.*

5. In Ungaria Bela appellatus Cæcus, cui oculum eripuerat Almus, ab anno Christi 1135, regnavit annos 12. *Bela Cæcus.*

6. In Gallia Ludovico Crasso succedit in regno Philippus filius anno Christi 1129. Huic Philippo per suem lapso & extincto succedit frater Ludovicus anno 1131. Huic succedit filius Ludovicus anno 1137, & Ducatum Aquitaniæ, quem ex dote conjugis Leonoræ, filiæ Gulielmi Ducis Burgundiæ, acceperat, regno Galliæ adjecit. Restitit Pontifici Romano Innocentio quum Biturigibus Archiepiscopum obtrudere vellet. *Ludovicus Crassus.* *Philippus filius.* *Ludovicus frater.* *Ludovicus filius.*

7. Henricus I Angliæ rex in Normannia moritur anno Christi 1135. Ejus filia Mathildis, vidua Henrici V Imp. sed deinde Gaufredo Andegavensium Comiti nupta, licet à patre esset scripta hæres regni, tamen præteritur, & regnum transfertur ad Stephanum Bodoniensem Comitem, qui fuit Henrici regis ex sorore Adela nepos, *Mathildis.* *Stephanus.*

& co-

& coronatus est rex à Gulielmo Cantuariensi Archiepiscopo. Jovius in Chronico Anglorum regum. Hic Stephanus ab anno Christi 1136, regnavit anno 19, & bella gessit cum Mathilde de regno.

CONRADUS III. SUEVUS.

Conradus Suevus præfertur Henrico Superbo Saxoni. Defuncto Lothario certissimam imperii potiundi spem conceperat gener Henricus Superbus Saxoniæ & Bavariæ Dux; sed in comitiis Imperator creatur Conradus, filius Frederici Comitis in Hohenstauffen, Ducis Sueviæ, ex Agneta filia Henrici IV Imp. unde acerrimum extitit odium inter Conradum & Henricum Superbum, adeò ut Henricus coactis in Bavaria copiis Conradum ad Augustam obsederit; sed Conradus frustra tentatis *Conradus Henricum proscribit.* pacificationibus Henricum proscribit, & Saxoniam Alberto Urso Marchioni Brandeburgensi, Bavariam verò Leopoldo Austriaco fratri uterino tradidit. *Henrici Saxonis obitus.* Hæc res tantam Henrico attulit mœstitiam ut inde extingueretur relicto filio Henrico Leone. Cœpit Conradus imperare anno Christi 1138, & imperavit annos 14. *Conradi adversarius Welphus Bavarus Henrici frater.* Adversarium habuit Welphum Bavariæ Ducem, fratrem Henrici Superbi, qui auxiliis Ungaricis & Siculis oppugnabat Leopoldum Austriacum. Longum fuit hoc & cruentum bellum, quod tandem composuit Fridericus Barbarossa, Conradi patruelis, natus ex Welphi sorore. Peuc. fol. 895. *Bellum Bavaricum inter Conradum Imp. & Welphum Bavarum.* Ejecerat Welphus Leopoldum Bavariæ Ducatu, Cæsar verò Leopoldum contra Welphum defendebat, unde bellum Bavaricum ortum est anno Christi 1140, in quo Cæsar arcem Weinsberg, quam Welphus tenebat, graviter obsedit. In hac obsidione memorabile accidit exemplum fidei conjugalis mulierum erga maritos. *Exemplum στοργῆς inter conjuges.* Quum enim obsessi hostium impetus ferre ampliùs non possent, & gravissimâ fame urgerentur, ut ad deditionem deveniendum esset, matronæ oppidi precibus à Cæsare impetrarunt, ut quantum humeris portare possent inde asportarent. Quid mulieres? Neglectis rebus omnibus ex urbe egredientes suum quæque maritum humeris impositum effert. Quod spectaculum Imperatorem eò permovit, ut & Welphum & cives dimiserit incolumes, imò *Conradi expeditio* Welphum in amicitiam receperit, qui deinde Imperatorem in Syriam abeuntem est comitatus; & juvit Cæsarem

ſarem quoque Rogerius Siciliæ rex in gratiam ab Imperatore receptus. Etenim D. Bernhardi ſuaſu factum eſt, ut Conradus expeditionem ſuſciperet in Syriam opem laturus Chriſtianis, qui à Turcis & Saracenis premebantur, anno Chriſti 1147. Conrado ſeſe adjunxerat etiam Ludovicus Franciæ rex. Sed ad Byzantium ubi venerunt, perfidiâ Manuelis Comneni qui farinæ Chriſtianorum gypſum immiſcuerat miſerè circumventi ſunt. Hunc enim honorem Occidentalibus principibus Comnenus invidebat. Aperto Marte cum ingentibus Turcorum copiis congreſſus Conradus tantam edidit eorum ſtragem, ut cruor flumen Mæandrum tinxerit. Sed quum exercitus tum laboribus tum aliis incommoditatibus defeciſſet, & miſerè conſumptus eſſet, nullâ re memorabili effectâ in Germaniam redire Cæſar coactus eſt. Obiit Bambergæ, ubi prope Henricum Sanctum condita ſunt inteſtina, ipſum vero cadaver Laureacum eſt tranſlatum. Ex uxore Gertrude filia Comitis Sultzbachii reliquit filios Henricum & Fridericum, quorum ille ante patris è Syria reditum obiit, hic verò in Italia militans peſte extinctus eſt.

in Syriam comitante Welpho, & Ludovico Galliæ rege. Manuel Comnenus perfidus in Conradum Imp. Conradi pugna cum Turcis, & infelicitas. Conradi obitus.

Synchroniſmus.

1. Romæ Papa fuit Eugenius III, qui ab anno Chriſti 1146 ſedit annos 8, & fuit diſcipulus D. Bernhardi Clarevallenſis. Romanos cives bello coëgit ut patritiatus principatum planè abolerent, & quos ipſe daret ſenatores acciperent. Quare à D. Bernhardo monitus eſt, ſarculo, non ſceptro ipſi opus eſſe.

Papa à D. Bernhardo objurgatus.

2. Hugo de S. Victore natione Saxo, presbyter & Abbas Pariſienſis illuſtri laude eruditionis celebratus, hoc tempore vixit, & plurima ſcripta reliquit, mortuus anno Chriſti 1140.

3. Richardus de S. Victore natione Scotus & Monachus Pariſienſis claruit, cujus tanta fertur fuiſſe ambitio ac φιλαυτία, ut in Theologia Prophetis & Apoſtolis ſeſe antepoſuerit. Allegoriis pleraque involvit, ut multas ſuperſtitiones auxerit: obiit anno Chriſti 1148.

4. Gratianus Bononienſis Monachus, cujus ſuprà quoque meminimus, ordinis S. Benedicti, poſt Ivonem Carnotenſem Decretorum opus ex veterum ſtatutis, ſanctionibus & ſcriptis variis compilavit, quo juris Canonici ſtudioſi hodie utuntur. Hoc opus Papa Eugenius

Gratianus Monachus conſuit opus Decretorum.

Concordia discordantium Canonum. nius III non solùm approbavit, sed etiam in Academiis publicè prælegi præcepit. Titulus ei inditus est splendidus, Concordiæ discordantium canonum. Factum est hoc anno Christi 1151.

5. Floruit etiam hoc tempore Wizelinus Ecclesiæ Vandalicæ in Occidente fundator, in qua Euangelium per annos 30 prædicavit, & Altenburgi annis 5 & ampliùs Episcopatum administravit, qui postea Lubecam est translatus.

Manuel Comnenus homo perfidus. 6. In Oriente Imperator fuit Manuel Comnenus, quem Nicetas scribit Calone Johanne natum, alii verò humili & abjecto loco. Cœpit imperare anno Christi 1143, & imperavit annos 37. Princeps ingeniosus, sed levis & perfidiosus, monstrosarumque opinionum in disputationibus amans. Conradum Imp. sub specie amicitiæ insigni perfidiâ afflixit, ejusque exercitum contra Turcos & Saracenos eductum ferro, fraude & veneno debilitavit, submissis panibus ex farina & gypso commolito paratis. *In Græcia disputatum est de Missa.* Sub hoc Manuele etiam in Græcia disputari cœptum est de Missa, an in ea fiat à sacerdote oblatio Filii Dei pro vivis & mortuis. Peuc. fol. 879. Obiit hic Manuel in monasterio.

Balduinus Hierosolymorum rex. 7. In regno Hierosolymorum Fulconem secutus est filius Balduinus impubes, rex in ordine quintus, qui cœpit regnare anno Christi 1142, & regnavit annos 24. Ancipiti fortunâ cum Saracenis conflixit, multa impedimenta à Manuele Comneno Constantinopolitano Imperatore perpessus. Ei auxilium tulerunt Conradus Suevus Imp. terrâ, & Ludovicus Francorum rex mari. Sed nihil est profectum propter Manuelis perfidiam, ut suprà dictum. Conradus enim Imp. inopiâ commeatus è medio cursu retractus bonam partem exercitus amisit, ab insequentibus Saracenis miserabiliter trucidatam. Ascalonem tandem Balduinus deditione cepit, & postea è vita decessit in Berytho urbe Syriæ. Scribunt autores Damascum urbem capi potuisse nisi dissensio inter principes Christianos orta omnem conatum elisisset.

Vladislaus II Poloniæ rex. 8. In Polonia Vladislaus II anno Christi 1141 regnare cœpit, & regnavit annos 5. Cum fratribus intestinum bellum gessit, turbas dante Christianâ uxore, quæ fuit filia Henrici V Imp. Quum autem obsideret fratres in urbe Posnania, diris & execrationibus obrutus ab Archiepi-

chiepiſcopo Gneſnenſi, & à fratribus oppreſſus, in Germaniam profugit inops, opem à Conrado Imp. petiturus. Uxor verò cum liberis regni finibus ejecta eſt. Ad regnum evocatur frater, anno Chriſti 1146, Boleſlaus IV cognomento Criſpus. contra quem Conradus Imperat. Vladiſlaum profugum defendere & cum conjuge & liberis in regnum reſtituere eſt conatus. Poloni Moſcovitico bello implicati primùm quidem ſe Vladiſlaum recepturos promiſerunt, ſed poſtea mutato conſilio recuſarunt, & cauſſam Imperatoris judicio committentes pacem conſecuti ſunt. Recenſetur ſub hoc Vladiſlao hiſtoria Petri Dani, qui quum in venatione liberiùs eſſet cum rege jocatus in extremam calamitatem eſt conjectus. Noctu quum uterentur vili ſtragulo rex ad Petrum dixit: Tua uxor meliùs cubat cum Abbate quam nos; cui Petrus par pari reponens, Et tua, inquit, cum Dobieſſo nobili Germano molliùs quieſcit. Quâ voce rex & regina vehementer offenſi, neque hanc contumeliam fovendam rati, Petrum Danum linguâ & oculis exſectis in exilium emiſerunt. Dreſſ. fol. 614. *Petri Dani jocus intempestivus.*

9. In Ungaria poſt Belam Cæcum regnare cœpit Geyſa II anno Chriſti 1147, & regnavit annos 20. Valde celebratur ejus pietas. Repreſſit Teutones & Saxones in Ungariam irruentes. *Geyſa II Ungariæ rex.*

10. In Gallia Ludovicus rex, qui Conrado Imp. contra Saracenos in expeditione in Syriam ſe aſſociavit, ut dictum eſt, repudiatâ Leonorâ Wilhelmi Ducis Burgundiæ filiâ duxit Conſtantiam Alphonſi regis Galliciæ filiam. Leonora verò nupſit Henrico Andegavenſium Duci. Sed quum Ludovicus neque ex altera conjuge ſobolem maſculam ſuſciperet, per communes preces tandem à Deo exauditus filium adeptus eſt Philippum anno Chriſti 1165. *Ludovicus Galliæ rex repudiatâ uxore aliam ducit, & repudiata alii nubit.*

11. In Anglia regnat Stephanus, excluſâ Mathilde Henrici I filiâ, & Gaufredi Andegavenſis viduâ, ut ſuprà dictum. Hinc bellum eſt ortum inter Stephanum & Mathildem, ubi Stephanus captus & pactis conditionibus libertati & regno eſt reſtitutus. Sed Henricus Mathildis filius defuncto Gaufredo patre Andegavenſem principatum conſecutus collecto ſuorum exercitu ex Gallia in Angliam trajicit matri contra Stephanum regem opem laturus, quod factum eſt anno Chriſti 1144. *Stephanus Angliæ rex.*

Nota

Nota tabulam:

Henricus I. Anglus.

Henricus V Imp. — Mathildis. — Gaufredus Andegavensis Dux.

Henricus II Anglus.

FRIDERICUS I, Cognomento BARBAROSSA.

Fridericus quur Barbarossa dictus. Friderici autoritas. Friderici studium in tranquillitate Germaniæ.

Fuit Conradi III Imp. nepos ex fratre, ab Italis per contumeliam dictus Barbarossa à rufa barba, aliàs Ænorbarbus, q. d. Kupferbarth. Matrem habuit Juditham filiam Henrici Nigri Bavariæ Ducis. Tanta fuit ejus autoritas, ut Conradus moriturus suo eum suffragio Imperio destinarit, præterito filio, cujus ætas erat matura. Hoc verò προβούλευμα cæteri proceres amplexi sunt. Cœpit imperare anno Christi 1152, & imperavit annos 38. Princeps optimus & à furiis Pontificiis horrendis modis agitatus. Magnum ejus in pacanda Germania fuit studium, unde Germaniæ principes conciliavit, & dissidium quod erat inter Henricum Austriacum vitricum & Henricum Leonem Saxonem privignum de Bavariæ principatu sapientissimè diremit. In hac compositione Austriacus titulo Ducis decoratus est, quæ prima est origo tituli Ducum Austriæ, quum antea essent Marchiones. Accidit hoc anno Christi 1156. Germaniâ pacatâ Italiam est ingressus, ut ibi compositis motibus de more Romæ coronaretur. Motus erant hi: Exules Apuli à Rogerio Siculo expulsi petebant restitutionem. Mediolanenses intentabant perpetuam servitutem liberis civitatibus, quæ petebant se defendi. A Veronensibus Imperator urbe exclusus, eò quòd à Pontifice nondum esset renunciatus, tale in illos statuit exemplum, ut cæteras urbes haberet obsequentiores. Hisce ita peractis Romæ à Pontifice Adriano IV coronatus est anno regni tertio. In Germaniam reversus, dissidium quod erat inter Arnoldum Episcop. Moguntinum & Hermannum Palatinum, qui totam

Austria fit Ducatus.

Fridericus Italicos motus componit.

Fridericus componit

tam Germaniam commoverant sustulit, ubi Moguntino quidem propter ætatem & ordinem pepercit, Palatinum verò coëgit vivum canem posterioribus pedibus ad humeros religatum in spectaculis publicis circumferre, quæ fuit pœna Principum publicam pacem turbantium, quemadmodum olim apud Persas stationis suæ desertor cogebatur nudam meretricem gestare. Poloniæ quoque regem Boleslaum pacem petere coëgit, quam concessit si annua tributa solveret, bellum mulctâ redimeret, & præsidiarios equites exercitui contra Mediolanenses adjungeret. Magna certè hæc fuit autoritas apud exteros principes, quæ deinde perfidiâ Pontificum valdè est diminuta, maximè vi anathematum, unde hoc effectum est, ut Imperator aliquoties in Italiam fuerit pertractus. Etenim propter Mediolanensium rebellionem expeditionem secundam in Italiam suscepit Fridericus. Mediolanenses Longobardiæ imperium certò sibi despondebant, & priorem Imperatoris clementiam mollitiem interpretati, Pontificum verò instinctu confisi, in quædam oppida proterviùs agebant, quod molestè tulit Cæsar, molestiùs verò Adriani Pontificis responsionem, quâ sui juris esse dixerat imperium tribuere cui vellet. Mediolanum igitur vi expugnatum solo æquaturus erat Imperator, nisi cives strictos gladios de cervicibus suspensos signa reatus gestantes culpam fuissent deprecati. Sed vix inde digresso Imperatore in Burgundiam, Mediolanenses novis fœderibus sese muniunt, ascito in societatem Wilhelmo Siculo & magno Cardinalium numero. Instigatur Pontifex ut Imperatorem excommunicaret, qui dum anathematis fulmen in Fridericum meditatur, haustu aquæ in qua musca submersa fuit enecatus scribitur anno Christi 1159. Exsecutus est excommunicationis fulmen Adriani successor Alexander III, & Venetos adversus Fridericum irritavit. Hac re non leviter perturbatus Cæsar in bellum acriùs incumbit, & Mediolanum vi captum diripit, diruit & funditus delet. Sed Papa Alexander in Galliam sese receperat, unde reversus in Italiam de-

dissidium inter Moguntinum & Palatinum.

Ignominiosa Palatini pœna.

Fridericus Poloniæ regem sibi facit tributarium.

Mediolanensium rebellio Fridericum in Italiam trahit.

Adrianus Pontifex sibi arrogat imperium.

Mediolanensium pœnitentia.

Mediolanenses redeunt ad ingenium suum.

Adrianus Papa excommunicat Fridericum, & miserè obit.

Alexander III Papa insurgit contra Fridericum. *Mediolani excidium: Mediolani instauratio.*

denuo inflammat Venetos, quibus sese adjunxerunt Mediolanenses exules, & urbem repararunt. Cogitur Imperator cum exercitu redire in Italiam, Romam capit, Calixtum Pontificem creat. In hoc tumultu Alexander Papa custodibus habitu nautico deceptis Venetias evasit. Persequitur eum Otho Friderici filius, sed à Ciano Venetæ classis ductore captus Venetias adducitur. Alexandro hæc victoria pergrata fuit, adeò ut Ciano urbem ingresso annulum aureum porrexerit quo in mare projecto id sibi desponderet, & sanxit deinde ut Veneti Duces quotannis idem facerent stato die, qui ritus hodie etiam observatur in die Ascensionis Dominicæ. Fridericus igitur in angustias redactus tum propter felices Saladini in Asia successus, tum propter filii captivitatem, amicorum hortatu Venetias profectus & ad pedes Alexandri procumbens absolutionem petit, ubi Alexander non contentus Imperatoris modestiâ collo Imperatoris pedem imponens acclamari jussit: Supra aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leones & dracones. Imperatori respondenti: Non tibi sed Petro, reclamat Papa: Et mihi & Petro. Hoc modo impetravit absolutionem. Mira Imperatoris patientia, quâ in caussa meliore supplex est factus Papæ. Nimirum religionis opinione hoc factum esse nullum est dubium. Venetiis dum esset Cæsar cum Wilhelmo Siculo transegit, cujus filiam Constantiam Henrico filio despondit. Longobardos etiam certis pactionibus imperio subdidit. Facta hæc sunt anno Christi 1177. Ex Italia rediit deinde Fridericus in Germaniam, ubi quum migraturus esset in Asiam, certamina ex proscriptione Henrici Leonis orta sustulit, & Bohemiæ Ducibus regium titulum tribuit, id quod alii de publica renunciatione intelligunt. Ducatus Saxonici dignitatem accepit Bernhardus Anhaltinus, filius Alberti Ursi. Bavaria in Othonem Wittelsbachum translata est. Bernhardus Anhaltinus duos habuit filios, Albertum & Henricum, ab illo Duces Saxoniæ, ab hoc Principes Anhaltini descendunt. Ex hac imperii constitutione probabile est prodiisse Senatum VII Electorum, quandoquidem post hunc Fridericum in historiis celebrantur suffragia Regis Bohemici, Ducis Saxoniæ, Palatini ad Rhenum & Marchionis Brandeburgensis, quorum principum autoritate postea pontificiæ tyrannidis robur

Calixtus creatur Papa contra Alexandrum.
Otho Friderici filius capitur à Venetis.
Venetarum aureus annulus in mare projectus.
Fridericus Alexandro Papæ Venetiis fit supplex.
Papæ Alexandri impudentia.
Transacti Cæsaris & Wilhelmi Siculi.
Friderici reditus in Germaniam.
Bohemia fit regnum.
Origo Ducum Saxoniæ & principum Anhaltinorum.
Origo Electorum.

robur temporis progressu debilitatum est. Hoc modo quum Fridericus Germaniæ & Italiæ rebus consultum esse judicaret, in Asiam expeditionem suscepit ut crudele hostium latrocinium depelleret. Etenim Saladinus Ægypti Sultanus tanto successu bella gerebat in Syria, ut captâ Hierosolymâ aliisque urbibus jam totâ Asiâ videretur potiturus. Feliciter igitur Saladinum repressit Fridericus, & Asiam à Saracenis liberavit, adeò ut si diutiùs superstes fuisset Fridericus, Saraceni & Turci penitus extingui potuissent, vel saltem ex Syria & Ægypto expelli. Hisce ita gestis Fridericus labore & æstu defatigatus post ejectionem Saladini ex Armenia, quum descendisset in flumen lavandi caussâ, in hepatis morbum incidit, quo intra paucos dies in Seleucia Syriæ extinctus est. Cadaver à filio Friderico honorificè in Tyro, quæ post amissam Hierosolymam fuit arx Christianorum, sepultum est. Ex uxore Beatrice, filia Reginaldi Comitis Vesontionis in Burgundia, nati sunt ei quinque filii, Henricus successor in Imperio, Fridericus, Otho Comes Burgundiæ maternæ dotis hæres, Conradus Sueviæ Dux, & Philippus qui post fratrem Henricum imperavit.

Friderici expeditio in Asiam.

Fridericus reprimit Saladinum & Saracenos.

Friderici obitus.

Friderici posteri.

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Adrianus IV, Alexander III Callistus III, Paschalis III, Lucius III, Urbanus III, Gregorius VIII, Clemens III. Ex hisce Adrianus & Alexander sunt celebratiores. Adrianus IV ab anno Christi 1154, sedit annos 4 & menses 8, homo superbus, qui per literas Imperatori Friderico significavit, Imperium tanquam feudum à Papa Imperatoribus concedi. quod indignè tulit Cæsar & Ordines imperii. Responderunt igitur Papæ, Imperatoriam dignitatem à Deo & libera electione Electorum & Ordinum pendere, Papæ verò coronatione tanquam signo legitimæ electionis comprobari. Hinc simultas orta est inter Fridericum & Pontificem, ex qua Pontifex deinde autor fuit Mediolanensibus ut à Cæsare deficerent. Ex deglutatione muscæ ut diximus obiit. Post ejus obitus duo simul Papæ per schisma à Cardinalibus electi sunt, Alexander III & Victor IV, quorum alter alterum excommunicavit. Requisita est Imperatoris autoritas, & sede dejectus

Octo Papæ.

Papa imperium tanquam feudum vult concedere Imperatori.

Papæ coronatio non est imperii traditio.

Simultas inter Papam & Cæsarem.

Duo Papæ simul eliguntur, unde schisma.

Alexander, Victor verò confirmatus. Hinc Alexander in Galliam fugiens in concilio Claromontano Cæsarem & Victorem excommunicavit, & deinde, ut suprà dictum est, miris modis Fridericum divexavit. Sedit autem Alexander annos 22, & legem tulit, ut deinceps nemo præter Cardinales Pontifices eligendi potestatem haberet.

Petrus Lombardus magister sententiarum. 2. Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis hoc tempore, videlicet circa annum Christi 1160, composuit quatuor libros sententiarum, unde Magister sententiarum est dictus. *Petrus Comestor.* Celebris etiam fuit Petrus Comestor, natione Gallus, qui historiam scholasticam scripsit circa annum Christi 1163. *Eustathius commentator.* Item Eustathius Thessalonicensis Episcopus, qui in Homeri opera commentatus est. Item Joachimus Calaber Abbas in Calabria, qui vixit circa annum Christi 1180. *Thomas Cantuariensis Episcopus.* Item Thomas Episcopus Cantuariensis in Anglia, qui in templo trucidatus martyr factus est & ab Alexandro III Papa inter Sanctos connumeratus anno Christi 1171. Hujus reliquias deinde effodi & cremari jussit Henricus VIII Angliæ rex circa annum Christi 1538.

Gradus dignitatum in Academiis. 3. Scholastici ordinis tituli post Lombardi sententias inveniuntur usurpati, ubi distincti docentium ac discentium gradus in Academiis esse cœperunt, ut Bacalaureorum, Licentiatorum, Doctorum & Magistrorum. Plura vide apud Dress. Millen. 6. fol. 279 & seqq.

Alexius Comnenus. 4. In Oriente Imperator fuit Alexius Comnenus, filius Manuelis, puer adhuc & Andronici patruelis tutelæ à patre commendatus. Cœpit imperare anno Christi 1180, & imperavit annos 3. Verùm ab Andronico imperium affectante immaniter strangulatus & plumbeæ arcæ inclusus in mare demersus est, acclamantibus cædis sociis illud Homeri: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. *Andronicus.* Postea Andronicus imperavit annos 2, vir fraudulentus & lupini ingenii, qui suis quoque consanguineis non pepercit. Quum verò Isaacius Angelus, quem ad supplicium corripi mandaverat, adversus ipsum seditionem movisset, in fuga comprehensus, alterâ manu & oculo mutilatus & frustillatim uncis vulgi & harpagonibus discerptus est. *Isaacius Angelus.* Successit Isaacius Angelus, qui ab anno Christi 1185, imperavit annos 9 & menses 8, homo timidissimus & idcirco truculentus ac sævus, interim ut Byzantinis placeret exules restituit & sic urbem quodammodo instauravit. Bellum movit in Siculos, quos mari

par-

partim fame necavit, partim ad Thessalonicam dissipavit, & postea cum Wilhelmo rege Siculo ultionem meditante pacem fecit. In Walachos quoque (quorum in hac historia prima est mentio) novis defectionibus imperium detrectantes aliquoties infeliciter movit. Quum in Alexium Comnenum Cypri tyrannum navigaret, classis tempestate disjecta, & ad scopulos confracta est. Fridericum Barbarossam ad Hellespontum aditu Asiæ & trajectu prohibiturus aliquot præliis castigatus à bello desiit, & deinde initâ amicitiâ commeatu Fridericum juvit. Miserè periit imperio & oculis privatus à fratre, quem à Turcis auro redemerat. Peuc. fol. 883. *De Walachorum sede & origine vide Peucer. fol. 882 & 883.*

5. In regno Hierosolymitano Balduino successit Almericus frater anno Christi 1165, & regnavit annos 12. Invasit Ægyptum & dimicavit cum Saracone Sultano, & hujus successore Saladino, sed infeliciter. Suppetias tulit Almerico Fridericus Imp. sed ante res confectas Almericus obiit, & suo obitu Saladini animum valdè confirmavit. Fuit Almericus sextus rex Hierosolymorum, eique successit Balduinus IV ex sorore Sibylla nepos, filius Wilhelmi Longatespatæ Marchionis Montisferrati filii, qui Saladini copias bis fudit & delevit. Vitricum habuit Guidonem Lusignanum, cui mater Sibylla nupserat. Hic extruso privigno Balduino, in administrationem regni, & tandem privigno mortuo in ipsum regnum vi sese ingessit, quumque in suspicionem veneni puero dati venisset, bello petitus est à Raimundo comite Tripolitano, qui testamento constitutus erat tutor. Peucer. fol. 872. *Almericus Hierosolymæ rex.* *Balduinus IV Hierosolymæ rex.*

9. In Polonia Vladislaus II exulem agit, cujus restitutionem contra Boleslaum fratrem vi & armis molitus est Fridericus Cæsar, qui Boleslaum eò adegit ut cum fratribus pacem petiverit & impetraverit eâ conditione, ut fratrem Vladislaum restitueret, & suis impensis 300 milites ad bellum Italicum mitteret. Porrò quomodo hoc tempore divisa sit Silesia inter Vladislai fratres, enarrat Dresser. Millen. 6. fol 605. Post Vladislaum rex Polonorum factus est Miecislaus anno 1177, sed propter tyrannidem regno est exutus, eique successit Casimirus II, cognomento Justus, anno 1148, qui Poloniæ ethnarcha creatus est, & salutaribus consiliis regnum administravit. Prutenos & Pomeranos æquitate vicit *Vladislaus Polonus exul per Fridericum Imp. restituitur.* *Miecislaus Poloniæ rex.* *Casimirus II ethnarcha Poloniæ.*

vicit sibique tributarios fecit. Russos rebelles superavit.

Stephanus III Ungariæ rex. 7. In Ungaria post Geysam II rex declaratus est Stephanus III, qui ab anno Christi 1165, regnavit annos undecim, & menses 8. Fortiter se defendit contra Ladislaum Belæ filium. Mortuo Stephano III successit frater Bela III, & regnavit annos 23. Hic ejecit fures & latrones, à quibus regnum horribiliter infestabatur.

Bela III Ungariæ rex.

Bohemici regni initium. 8. Ducatus Bohemiæ fit regnum. Nam Vladislaus Bohemorum Dux Ratisbonæ à Friderico Imp. in celebri principum conventu rex creatur anno Christi 1158. Mutavit insignia & pro nigra aquila accepit album leonem cum cauda bifurcata. Ante annos 72 Vratislaus ab Henrico IV Imp. appellatione regis Boëmici fuerat ornatus, sed usque ad hoc tempus nemo principum Bohemicorum hoc titulo usus fuit.

Austriaci Ducatus initium. 9. Marchionatus Austriæ fit Ducatus, & primus Dux creatur Henricus Marchio VIII. Factum est hoc Ratisbonæ anno Christi 1156. Bucholtz.

Philippus Galliæ rex. 10. In Gallia Philippus Ludovici filius inauguratus est rex anno Christi 1179, & regnavit annos 44.

Anglica transactio. 11. In Anglia inter Mathilden & Stephanum regem post longam contentionem pax transigitur eâ lege, ut Stephanus dum viveret rex haberetur, post obitum verò Henricus Mathildæ filius regnum obtineret. Moritur autem Stephanus anno Christi 1154, & succedit in regnum Henricus II anno 1155, regnavitque annos 33.

Henricus II Angliæ rex. Dotali jure Tolosatem Comitatum à Raimundo repetens Ludovici Gallorum regis arma in se concitat; sed pax tandem facta est, ubi Margareta Ludovici regis filia Henrici filio est desponsata. Non veritus est hic Henricus Ecclesiasticæ libertati manus injicere, cui quum masculè sese opponeret Thomas Archiepiscopus Cantuariensis Angliæqne Cancellarius, à rege in exilium actus est anno 1165, & post septennium inde revocatus in Angliam, putans se regi reconciliatum, in templo Cantuariensi à subornatis sicariis nefariè trucidatur, rege ut ferunt assentiente. Cum Philippo Gallorum rege decrevit expeditionem Hierosolymitanam, sed mox rupto federe Richardus Angli filius relicto patre Galli partes sequitur, & quum Gallus Cenomanos & Turones occupasset, ex ira & indignatione Henricus Angliæ rex Chinone in Normannia moritur anno Christi 1189. Jovius.

Henrici perfidia.

12. Ru-

12. Rutaceum sertum inter insignia accepit à Friderico Imp. Bernhardus II, Alberti Ursi filius. Hoc conspicitur hodieque in insignibus Ducum Saxoniæ. Factum est anno Christi 1180. Bucholtz. *Rutaceum sertum in insignibus Ducum Saxoniæ.*

13. Livonia à vicinis debellata Christum agnoscere cœpit anno Christi 1186. Peuc. fol. 915. *Livonia recipit Christianam religionem.*

14. Ordo Teutonicus, hospitalis S. Mariæ in Jerusalem, cœpit anno Christi 1189. Primus magister hujus ordinis fuit Henricus Walpot. Bucholtz. *Ordo Teutonicus.*

HENRICUS VI.

Filius fuit Friderici Barbarossæ, à patre ante discessum ex Europa consensu procerum Imperio præfectus. Cœpit imperare anno Christi 1191, & imperavit annos 7. Uxorem habuit Constantiam filiam Rogerii Siculi, è monasterio eductam, quæ ad eum Siciliæ regnum attulit, & jam quinquagenaria filium enixa est Fridericum in sacello publico, quod exstrui curavit Henricus ut spectari partus posset, ne suppositítius crederetur. Adversarios habuit Episcopos Coloniensem & Leodiensem, quos tamen facilè compressit Leodiense interfecto. Italiam ingressus & à Cœlestino Papa coronatus Apulos & Siculos defectionem molientes compescuit, & autores exquisitis suppliciis mulctavit, quibusdam excoriatis, aliis excæcatis, & qui imperium affectassent ignitâ coronâ redimitis. Ob hanc suppliciorum atrocitatem Asper cognominatus est. Italiæ Præsides novos imposuit. Fratri Philippo, quem Hetruriæ præfecerat, in uxorem dedit Irenen Alexii Imperatoris Græci sororem, quæ promissa fuerat Tancredo notho filio Rogerii, quem deinde, quòd regnum invaserat, oculis privatum in Teutoniam misit & regnum sibi vendicavit. Pontificis hortatu & patris exemplo expeditionem instituit in Asiam contra Saracenos. Cognito enim obitu Saladini magna spes erat de recuperanda Asia & terra Sancta. In hac expeditione multa feliciter peracta fuerunt: & feliciùs progressus fuisset Henricus cum delectis suis sociis, nisi præmatura mors inchoatum opus interrupisset, quâompertâ elapsi socii redierunt in Europam. Ipse enim Henricus ex Germania in Siciliam reversus dum classem cogit, Messanæ in Sicilia in febrem ardentem incidit ex potu veneni, quod propter adul-

Henrici uxor. *Henrici adversarii.* *Henrici res in Italia gestæ, ubi propter atrocitatem dictus est Asper.* *Henrici expeditio in Asiam.* *Henrici obitus.*

adulteria conjugem propinasse ferunt. Eâ extinctus est, & Panormi sepultus. Ingenio multùm fuit dissimilis patri, magis voluptatibus addictus quàm reipublicæ, libidinosus & vindictæ cupidus.

Synchronismus.

Papa quærit separationem Sacerdotum ab uxoribus.

1. Romæ Pontifex fuit Cœlestinus III, qui ab anno Christi 1191 sedit annos 7. Legatum misit Cardinalem in Poloniam & Bohemiam, ut Sacerdotes à legitimis uxoribus separaret. Sed à Bohemis malè est exceptus, ut vix vitæ periculum evitaret.

Alexius Angelus.

2. In Oriente Imperator fuit Alexius Angelus, qui cœpit imperare anno Christi 1195, & imperavit annos 8. Fuit Filius Isaaci, & aliquandiu propter crudelitatem patrui profugus, sed mox concitatis in exilio Francis & Venetis fugato patruo imperium recuperavit. Plura vide apud Peuc. fol. 884, &c.

Saladinus destructor regni Hierosolymitani, quod duraverat annos 88.

3. In regno Hierosolymitano quum Lusignanus propter expulsum privignum bello peteretur à Raimundo, ut suprà dictum est, attraxit ex Ægypto Saladinum, qui utroque oppresso rebus Christianis in Palæstina, Syria & Mesopotamia magnas clades intulit & tandem regnum Hierosolymitanum delevit planè & destruxit, quod refertur ab aliis ad annum Christi 1187, quo imperavit Barbarossa.

Saladini obitus.

4. Saladinus domitor ille Orientis, Ægypti Sultanus, relictis novem filiis, quos omnes patruus Saphadinus præter unum amicorum virtute tectum necaverat, obiit anno Christi 1194. Jam moriturus postulasse scribitur, ut in funere suo interior tunica hastili suffixa tanquam trophæum gestaretur proclamante præcone: Saladinus Asiæ domitor ex tanto regno tantisque opibus nihil aliud quàm hoc secum aufert. Fertur fuisse autor sectæ Mamalucorum, qui regnum Ægypti annos circiter 200 tenuerunt. Sunt autem Mamaluci Syriacâ linguâ iidem qui ministri seu stipendiarii, qui ex Christianis fiebant Mahometani, & quia ad belli administrationem præter cæteros instructi erant, etiam Sultani ex iis eligebantur. Deleti sunt à Solymo Turca anno 1517. Dresser. fol. 542.

Mamaluci.

Lescus IV Poloniæ rex.

5. In Polonia rex renunciatus est Lescus IV qui cognomen-

nomento dictus est Albus, anno Christi 1194. Certavit cum eo de principatu Micislaus patruus. Erat id temporis Pomeraniæ Capitaneus Swantopoldus, qui quum tributum magnum deberet, pro pecunia vim adferebat & regem improviso opprimebat in balneo sedentem. Unde quum conscenso equo aufugeret, ipse insecutus cum multis aliis eum trucidavit. *Swantopoldus Pomerania Capitaneus occidit regem Polon.*

6. Philippus Galliæ & Richardus I Angliæ rex ad Hierosolymitanam expeditionem se parant, ut inter ipsos convenerat. In Siciliam appulere, ubi hybernarunt. Deinde Richardus Siciliâ solvens vi tempestatis in Cyprum est ejectus, quam bello cepit præsidioque firmavit, illinc ad Philippum Ptolemaïda obsidentem profectus est, quam paucis post diebus conjunctis viribus expugnavit. Mox subortâ inter reges discordiâ Philippus in Galliam rediit relicto Othone Burgundiæ Duce copiarum suarum præfecto, Richardus verò in Syria remansit, & Cyprum regno Hierosolymitano permutavit, unde rex Hierosolymorum cum posteris dictus est. Facta est hæc permutatio inter Richardum hunc & Guidonem Lusignanum. Vide Jovium in Chron. Angl. & Peucerum fol. 873. Porrò Guidonis Lusignani posteri regnum Cypri tenuerunt usque ad Jacobum Lusignanum regem ultimum, quo mortuo, quum vidua, quæ Veneta mulier erat, propter pericula à Turcis impendentia regno sese abdicaret, Veneti Cyprum sibi junxerunt, quod accidit imperante Friderico III circa annum Christi 1440. Vide Peucerum fol. 873 & 1275. *Philippi Galliæ & Richardi I Angliæ regum expeditio Hierosolymitana. Richardus Anglus, rex Hierosolymorum. Regnum Cypri transfertur ad Venetos.*

PHILIPPUS.

Fuit filius Friderici Barbarossæ, frater Henrici VI, qui post obitum reliquerat filium Fridericum, quem pater consensu ordinum imperii in cunis regem Romanorum fecerat. Mortuo igitur Henrico Philippus frater instat apud proceres, ut Friderico traderetur imperium, & quum adhuc puer esset, sibi tutorio nomine petebat administrationem, quemadmodum pater testamento caverat. Facilè hoc Philippus impetrasset, nisi principum deliberationes turbasset Innocentius III Papa, homo sceleratus, qui summo odio persequebatur Barbarossæ posteritatem ne suis prædecessoribus inferior videretur. *Papa Innocentius III turbas dat in electione Imperatoris.*

Papa adversarius Philippi. Acerbissimam autem indignationem conceperat Pontifex adversus hunc Philippum, propterea quòd quum Præses Hetruriæ esset, in quibusdam Papæ sese opposuisset. Quare falsis criminationibus Philippum apud Ordines prægravatum anathematis fulmine notabat, & se potius universam Italiam in discrimen positurum quàm huic Imperium concessurum superbissimè interminabatur. Hinc inter principes dissensio. Alii enim territi deserto *Bertholdus Zaringiæ Dux respuit imperium.* Philippo sententias inflexerunt ad Bertholdum Zaringiæ Ducem, hominem sordidè avarum, alii à partibus Philippi perstiterunt. Bertholdus periculum metuens imperium repudiabat. quod Pontifex indignè ferens Palatinum & Coloniensem impulit, ut Othonem Henrici *Papa Philippo præfert Othonem Henrici Leonis filium.* Leonis filium Imperatorem facerent. Ut autem hoc facilius fieret, Pontifex Othoni coronam promisit, & Philippum anathemate percussit, scilicet ut reliquos principes à Philippo abduceret. quod factum est. Hinc nova bella exarserunt. Tandem Philippus Othonem conserto prælio ad Mosellam repulit, Hermannum Thuringiæ *Philippus anathemate feritur.* Landgravium, à quo Erfordiæ obsessus fuerat, pacem petere coëgit, Adolphum Coloniensem Episcopum in ordinem redegit, à quo deinde imperii insignia Aquisgrani *Philippus reprimit adversarios suos.* accepit. Ob hoc Coloniensis à Papa excommunicatus est & loco motus, eique subrogatus Bruno. Sed Philippus Othonem obsedit Coloniæ, quem urbe exeuntem *Coloniens. Episcop. excommunicatus.* fudit, & Brunonem vi introductum cepit, vinculisque coërcuit. Otho verò in Angliam profugit, cujus socii rebus ita desperatis ad Philippum defecerunt. Tandem Otho videns principes seditionibus fessos, ipse consilium invenit ad placandum Pontificem; nimirum filiæ nuptias promisit Richardo Pontificis ex fratre nepoti. unde quum Papa videret Thusciam, Spoletum & Marchionatum Anconæ venire in potestatem nepotis, cupidissimè oblatas occasiones amplexus Philippum anathemate exsolvit, eumque Othoni placavit. Cum Othone ita trans-*Inter Philippum & Othonem reconciliatio.* actum est, ut ei Philippus filiam suam desponderet, ipse imperium retineret, & post obitum Othonem successorem haberet. Tantam rerum confusionem in Imperium intulit unus Papa Innocentius III. Cœpit Philip-*Philippi imperium.* pus imperare anno Christi 1199, & imperavit annos 10, aliis 9 & 3 mensibus. Quum ergò post varios illos motus res ad tranquillitatem esset perducta, Philippus Bamber-

gam

gam curandi corporis causſâ ſeceſſit, ubi phlebotomiâ uſus in conclavi ab Othone Palatino de Witelsbach ſceleratè interfectus eſt pugione in jugulum Imperatoris adacto. Cauſſa cædis fuit, quòd Imperator ei ſpem fecerat de nuptiis filiæ Cunegundæ, quam deinde dedit Wenceſlao Ottocari Boëmici regis filio, idque propter Witelsbachii infamiam ex injuſta cæde contractam. *Philippi miſerabilis interitus.*

Synchroniſmus.

1. Romæ Pontifex fuit Innocentius III, qui ab anno Chriſti 1198, ſedit annos 18. Condidit capitulum Venerabilem, in lib. 1. decret. tit. 6. in quo jus ſibi vendicat electum Cæſarem examinandi, & ſi ſit idoneus approbandi, rejiciendi verò ſi ſit indignus. Quæ bella in Imperio incenderit jam diximus. Autor eſt multarum decretalium quæ extant, & ante pontificatum ſcripſit libellum de vilitate conditionis humanæ. Plura de hoc in ſequentibus. *Innocentius III Papa.*

2. Dominicus natione Hiſpanus inſtituit Ordinem Prædicatorum anno Chriſti 1206. Circa hoc ſeculum latiſſimè diffuſæ ſunt Monachorum familiæ, pietatis, doctrinæ Chriſtianæ ac liberalium artium publicæ ac nocentiſſimæ peſtes. Ante Dominicum duæ fuere ſectæ, quæ unum autorem Bernhardum profeſſæ, legibus, moribus cultuque inter ſeſe plurimùm diſcrepabant; altera erat pauperum Lugdunenſium, altera humilium Italorum. Illi cibo oſtiatim emendicato victitabant, exempla Apoſtolorum jactitantes, ſi concionabantur in hominum oculis. Sed à Pontificibus tandem repudiati ſunt, ſuccedentibus Dominicanis & Franciſcanis. Peuc. fol. 924. *Dominicus autor ordinis Prædicatorum.*

3. In Orientali imperio magna ſeſe hic effert mutatio. Nam Alexius junior, filius Iſaaci, ſuſpectus de colluſione cum Francis & Venetis, qui impunè per Græcorum provincias graſſabantur, per ſeditionem repulſus eſt, eique ſucceſſor datus Nicolaus Canabus minùs idoneus ad imperium. Hinc Alexius Ducas cognomento Murzuphilus Alexium juniorem ſub ſpecie amicitiæ ad ſe tractum plebi vinciendum objecit, Nicolaum verò præſidio deſtitutum cepit, & ſic utroque amoto imperium invaſit. Alexium laqueo ſuſtulit, & deinde Balduinum *Turba in Imperio Orientali.* *Alexius Ducas invadit imperium.*

num

num Flandriæ Comitem (qui cum Bonifacio Marchione Montisferrati & Henrico S. Pauli Comite in Asiam contra Turcos & Saracenos moverat) bello adortus est, sed repulsus inter urbem Constantinopolim sese recepit, ubi digladiantibus inter se Theodoro Duce & Lascare de imperio, urbs capta, direpta & incensa majore sui parte conflagravit. Murzuphilus in Peloponneso comprehensus, & Constantinopolim perductus, post exsculptos oculos de turri præcipitatus à promiscua plebe frustillatim est concisus. Anno igitur 1204 Balduinus Flandriæ Comes renunciatus est Imperator Constantinopolitanus, & contra hunc in Asia Niceæ Imperator salutatus est Theodorus Lascares Alexii Imperatoris gener, qui contra Balduinum moturus erat nisi à Turcis fuisset impeditus. Vide Peuc. fol. 886. & 1011. Sic igitur Orientale imperium divisum est, & summa rerum ad Francos est translata. Balduinus Scythis bellum intulit, sed ab iis victus & captus miserabiliter occisus est, Peuc. fol. 1013. & Dress. fol. 526. Successit frater Henricus anno 1206, & imperavit annis undecim; sed Lascares Niceæ imperavit annis 18, & ex Irene filia Alexii Comneni procreavit filiam Irenen, quam nuptum dedit Johanni Ducæ. Peuc. 1015.

Balduinus Flandriæ Comes capit Constantinopolim, & renunciatur Imperator in Oriente. Theodorus Lascares.

Balduini interitus, cui succedit frater Henricus.

4. Tartarorum seu Tatarorum nomen circa hoc tempora inclaruit. Veteri nomine Scytæ dicebantur, gentes scilicet Septentrionales in Asia intra & extra Imaum montem. Tartarorum appellationem quidam deducunt à voce Hebraïca Totherim, quod idem est quod derelicti vel reliqui facti ex aliquo agmine. Opinati sunt quidam Tartaros esse Judæos tempore Cyri quum Babylonica captivitas solveretur in terra illa relictos. Sed incertum hoc est. Prima illorum irruptio in Europam accidit circa tempora Calo-Johannis Imperatoris Constantinopolitani, quando magnis agminibus in Macedoniam & Thraciam involarunt, ut locustarum more omnia obruerent. Mechovius scribit ignotam fuisse hanc gentem usque ad annum Christi 1212, quo primùm ab Indiæ montibus egressa non longè à Mæotide palude sedem collocarint, & Rhutenos prælio superarint. Dress. f. 566. Leonclavius vult circa annum 1202, vel 1203, inprimis claruisse Zingem Chamum

Tartari veteri nomine Scythæ dicti, qui sint.

Tartarorum prima irruptio in Europam.

Russi à Tartaris victi.

mum Tartaricum, ipsosque Tartaros hoc tempore jugum Indorum, id est, ejus regis quem ab aliquot jam seculis Pretejanum sive Presbyterum Johannem vulgò vocamus, excussisse, & postea imperium magni Chami Chitaini constituisse. Primus Tartaricæ gentis Imperator fuit Changius Canis. (vox Canis seu Can in patria illorum lingua Imperatorem significat) qui regnum acquisivit & legibus atque judiciis constituit, ejusque ætas incidit in annum Christi 1202. Ante hunc Changium Canem gens hæc fuit sine moribus, sine lege, sine civili consuetudine, & obscuri inter Scythas nominis, exercebatque rem pecuariam. Ab hoc Changio cæterorum principum origo est, de quibus vide Peucer. fol. 1019 & seqq. & Dress. fol. 567. Secundus ab hoc Changio fuit filius Hoccata, de quo postea dicetur.

Pretejanus. *Magnus Cham.* *Changius Canis.* *Hoccata.*

5. In Ungaria post Belam III, qui obiit anno 1200 regnavit Emericus annos 8, cui deinde successit Ladislaus, qui regnavit menses 6. Post hunc regio diademate ornatus est Andreas II, cognominatus Hierosolymitanus, propter expeditionem in terram sanctam quam susceperat cum Friderico II Imp. Hujus Andreæ filia S. Elisabetha nupsit Ludovico Thuringiæ Landgravio. Regnavit Andreas annos 31, nempe usque ad annum Christi 1239 vel circiter.

Emericus Ungarus. *Andreas II Ungarus.* *S. Elisabetha Andreæ filia, conjunx Ludovici Landgravii Thuringiæ.*

6. Angliæ rex Richardus in obsidione Calaci oppidi in Lemovicum finibus, ubi ingens thesaurus latere credebatur, catapultâ veneno illitâ percussus obiit anno 1199, nullâ ex se prole relictâ. Hæredem regni designaverat Arthurum, ex Gaufredo fratre nepotem adhuc puerum, sed postea Johannes Moritonii Comes Richardi frater largitionibus & potentiâ prævalens in Angliam trajecit & Londini coronam sumpsit, cœpitque regnare anno Christi 1200, per annos 17. Bellum exortum erat inter Richardum & Philippum Galliæ regem ex veteri odio ad Ptolemaïdis expugnationem concepto & captivitate Richardi sub Henrico Imp. Sopitum est hoc bellum factâ pace inter Johannem & Philippum per matrimonium quo Blancha Johannis ex sorore neptis, filia Alphonsi regis Castiliæ, in uxorem data est Ludovico Philippi filio. Sed mox bellum recruduit, eò quòd Johannes Arthurum regno exclusum, sed bello victum & in custo-

Richardi Angli obitus. *Johannes Moritonii Comes successor Richardi.* *Matrimonium inter Blancham Alphonsi regis Castiliæ filiam, & Ludovicum Philippi Galliæ regis filium.*

custodia asservatum necari jusserat. Gallus igitur nec hanc ulturus Johannem penè omni quam in Gallia habebat possessione depulit. Hic Johannes ab Innocentio III Papa anathemate percussus est, quòd neglecta Pontificis autoritate Stephanum Cardinalem ad Cantuariensem Archiepiscopatum recipere nollet.

Johannes Angliæ rex excommunicatur à Papa.

OTHO IV.

Otho illegitimè factus Imperator, arte Pontificis. Filius fuit Henrici Leonis ad imperium evectus operâ & studio Innocentii III Papæ, à quo tamen mox Imperio dejectus fuit. Injustis armis per ambitionem Pontificis impulsu Imperator factus est contra vocationem, unde parum felix fuit ejus gubernatio. Cœpit imperare anno Christi 1208, & imperavit annos 4. A Papa Innocentio Romæ fuit inauguratus, sed quum invito Pontifice Siciliam occupasset, & in Apulia etiam multa oppida cepisset, artibus Pontificum ab Imperio alienata, anathematis ictu profligatus est. *Pontifex infensissimus adversarius Othonis.* A nathematis formulam publicavit Sigefridus Archiepiscopus Moguntinus, cui sese opposuerunt quidam principes. unde novum bellum est conflatum, in quo Moguntina ditio direpta est, & ipse Archiepiscopus profligatus ad Hermannum Thuringiæ Landgravium confugit. *Papa anathema in Othonem, ex quo bellum Moguntinum.* Otho indicto Noribergæ conventu principum de Papæ injuriis conquestus, & ad tuendam contra Pontificem Imperatoriam dignitatem cohortatus, quibusdam in suas partes pertractis, bellum renovat, sed nullo successu. *Othonis fastus alienavit principes.* Propter fastum enim potentissimos Germaniæ principes sibi habebat adversarios, qui non tam studio Pontificis, quàm odio in Othonem ex Sicilia evocabant ad Imperium Fridericum Henrici VI Imp. filium, tanquam legitimum hæredem, & hactenus quasi impeditum. *Fridericus Henrici VI Imp. filius contra Othonem evocatur ad imperium.* Fridericus ex Italia venit in Germaniam, & Othonem sibi occursurum verùm à suis desertum repressit, ut in Saxoniam rediret. Interim Fridericus totam ad Rhenum Germaniam occupavit, & susceptâ Aquisgrani coronâ fedus cum Philippo Galliæ rege iniit, indeque in Sueviam se contulit, à Papa contra Othonem confirmatus. *Fedus inter Fridericum & Philippum Galliæ regem.* Fedus Friderici cum Galliæ rege iniquo animo tulit Johannes Angliæ rex, qui oderat Gallum, & promissione auxiliorum Othonem in Belgicam attraxit, unde prælium exortum est acerrimum inter Gallum &

Otho-

Othonem ad pagum Bovinas, ubi Otho cum federato Angliæ rege fuccubuit, & Gallus victor evasit. Tandem Otho à suis derelictus & belli sumptibus exhaustus sponte ab imperio discessit, & postea quinquennio exacto dysenteriâ rebus humanis est exemptus,& Brunswigæ sepultus, nullâ post se relictâ sobole. Fratrem habuit Henricum Palatinum ad Rhenum, cujus filia Agnes nupsit Othoni filio Ludovici Bavari, qui apud Fridericum Imp. effecit ut Palatinatus Bavariæ conjungeretur.

Otho à suis derelictus & imperio cedere coactus dysenteriâ moritur.

Synchronismus.

1. Romæ Pontifex est Innocentius III,de quo in superioribus.

2. Franciscus sumpto habitu monastico ordinem fratrum Minorum instituit anno Christi 1209.Vitam adeò sanctam egit, ut Christus ei apparuisse dicatur & vulnerum suorum stigmata impressisse. Qui vult credere, credat. Confirmatus deinde est hic ordo à Papa Honorio III circa annum Christi 1223, ipse verò Franciscus in numerum Sanctorum cooptatus est à Gregorio IX Papa anno 1228.Adeò fœcunda fuit Minoritarum progenies, ut plura quam 1743 Franciscanorum monasteria sint numerata, præterito ordine Virginum ordinis S. Claræ, quæ fuit Francisci soror.

Franciscus autor ordinis Minorum.

S. Clara.

FRIDERICUS II.

Fuit filius Henrici VI, nepos Friderici I seu Barbarossæ, ad imperium ex Sicilia evocatus, ut suprà meminimus, cui proceres imperii, postulante patre, imperium juramento promiserant, sed Pontificum, qui Friderici Barbarossæ posteritatem oderant, furore impediti non præstare poterant.Cœpit imperare anno Christi 1212,& imperavit annos 38,varias Pontificum fraudes & elusiones expertus. Othonem imperio motum adversarium habuit infensissimum, quem memorabili prælio Bovinensi (ad pagum Bovinas) vicit Philippus Galliæ rex anno 1214. Pacatâ hoc modò Germaniâ, Pontificis Innocentii III consilio decretum fit de expeditione in Syriam pro terra sancta recuperanda. Scopus Pontificis erat, ut Friderico in Asiam ablegato ipse interim domi majore

Fridericus quomodo ad imperium venerit.

Papæ decretum de expeditione in Syriam.

majore licentiâ uteretur, & omnem Friderici hæreditatem, quam habebat in Italia, ad se transferret, remque eò deduceret, ut Friderico reverso in Italia consistendi nullus relinqueretur locus. Ut autem omnia majore pietatis specie fierent, bellum hoc in Lateranensi concilio decretum est anno 1215, quo promulgato magna concitata est multitudo, quæ symbolo crucis religiosam militiam professa ad iter in Asiam sese accinxit. Interea Pontifex omnem Imperatoris potestatem ad se transferre studet, sed dum proficiscitur ad componenda bella inter Pisanos & Genuenses, Perusii in morbum incidit, quo victus exspiravit, anno Christi 1216, eique substitutus est Honorius III, qui pari fide Fridericum Imperatorem tractavit. Hujus enim persuasu quum proceres aliquot Thusci & Apuli contra datam fidem, quæ Imperii erant & Friderici hæreditaria invaderent, occuparent, diriperent, irritatus Cæsar debellatis hostibus Episcopos sacro ordine motos dejecit, aliis in locum surrogatis, alios ad perpetua exilia condemnavit, & hâc ratione imperatoriæ majestatis acerrimum vindicem ac defensorem exemplo avi & Henrici IV Imp. sese declaravit. Hinc lerna malorum extitit. Papa postulabat restitutionem in integrum. quam Cæsar gravissimâ oratione recusans & in Pontificum fraudes ac machinationes invectus ad insaniam ferè Papam adegit. unde horribilia odia, quæ in exitialia bella sese effuderunt, donec tandem allectis spe regni Neapolitani Gallis Andegavensibus tota Friderici posteritas deleretur, quod accidit circa annum Christi 1268. Verùm ut Honorius Pontifex suæ libidini satisfaceret, Fridericum propter seditiosos justè punitos anathemate percussit. Cæsar pontificiarum molitionum metu convocatis Wurtzburgum principibus Henricum filium natu maximum imperii consortem fecit, quem tamen mox, quòd absente patre impulsu Pontificum imperium affectasset, & Longobardicas urbes ad defectionem sollicitasset, de procerum consensu cum geminis liberis perpetuis carceribus addixit. Fuerunt ergò gravissima dissidia inter Fridericum & Honorium Papam, quæ tandem lenivit Johannes de Bregna rex Hierosolymitanus, Cæsari in matrimonium locatâ filiâ unicâ, eâ lege,

Papæ Innocentii III obitus, cui succedit Honorius III.

Papæ Honorii perfidia.

Friderici mascula virtus contra Papam.

Andegavensium attractio in Italiam.

Fridericus anathemate percutitur.

Friderici filius Henricus in patrem perfidus Pontificum instinctu.

Johannes de Bregna lenit dissidium inter Frid. & Honorium.

lege, ut Cæsar cum ea jus & hæreditatem regni Hierosolymitani acquireret, & mox à nuptiis dux belli sacri proficisceretur ad regnum contra Saracenos vindicandum. Hoc quum ratum haberet Pontifex, ira ejus nonnihil lenita est, & Sponsa ex Oriente Romam adducta, ubi nuptiæ peractæ sunt. Jam verò omnia credidisses in tuto esse. Lenita quidem est ira Pontificis, sed non planè sopita. Etenim Fridericus, ut omnia essent firmiora in Germania ac tutiora, antequam in Asiam abiret, Cremonam evocavit principes Germaniæ, quia Italiam tutò relinquere non poterat, ut de rebus Imperii tractaret. Indignè hoc tulit Pontifex Honorius, ideoque omnibus modis commotâ Longobardiâ congressum hunc impedivit. Mora allata est institutæ profectioni, ex quo Pontifex novam arripuit occasionem Imperatorem agitandi, quâ defuncto Honorio successor Gregorius IX mirificè est usus. Hic enim ægrè ferens Imperatorem perpetuò hærere in Italia ad cognoscendum machinationes pontificias, querelas movebat quòd negotium Asiaticum Cæsar segniùs tractaret. Cæsar institutum iter aggreditur, sed quum partim adversâ valetudine partim contrariis ventis impeditus Brundusii paulò diutiùs subsisteret, furere ac debacchari in ipsum cœpit Pontifex, eumque perjurii, adulterii & sævitiæ in uxorem accusare, ac tandem anathema denunciare. Socerum quoque Imperatoris Johannem Bregna Exarchi titulo in Romandiolam accivit. Imperator mendaciis Papæ scripto refutatis pergit in Asiam, & quòd Papam antea non salutasset, nec offensam expiasset, pessimam iniit gratiam, siquidem anathematis contemptum Pontifex ægerrimè ferebat. Quare exercitibus in Syria mandavit, ne Imperatorem sequerentur, quod tamen frustra fecit. In Asia enim Fridericus omnia feliciter & masculè peregit, factis honestissimis induciis cum Sultano ad decennium, posteaquam ex transactione recepisset Hierosolymam & omnes captivos suos precio impetrasset. Reversus est Imperator in Italiam & injurias à Papa Gregorio illatas prudenter dissimulavit pacis conservandæ caussâ, sed ne sic quidem placatum Pontificem habere potuit, donec ingenti pecuniarum vi animum ejus demulceret, atque ita ana-

Cremonensia Comitia, à Frid. instituta, sed Honorio odiosa.

Gregorius IX successor Honorii pertexit telam prædecessoris.

Papa calumniatur Fridericum.

Fridericus ex Asia reversus in Italiam Pontificem sentit adhuc iratum, sed pecuniâ fulmine anathematis se liberat.

anathematis fulmen à se averteret. Sed λυκοφιλία ἢ διαλλαγή. Rediit fermè post octennium Pontifex ad suum ingenium.

Recrudescunt contentiones ac dissidia inter Frid. & Pontificem.

Petierat Fridericus, ut post obitum filii Henrici, qui in carcere erat mortuus, filius Conradus rex Romanorum designaretur. Principes Papâ licet invito promittunt, & res succedit anno 1236. Mox Papa ad alia sese convertit consilia, quibus Imperatorem in discrimen adduceret. Repetebat Fridericus unà cum filio Conrado ea quæ in regno Siculo & Neapolitano Pontifex ad se rapuerat: Pontifex contrà Imperatori edicebat, ut à confederatis urbibus Longobardicis abstineret. Cæsare hoc recusante Pontifex summo studio tertium bellum meditatur, quod inceptum est anno 1238, & pene πανωλεθρίαν toti Italiæ attulit.

Italicarum urbium divisio, unde Gibellinorum & Guelphorum factiones.

Hinc enim facta est urbium Italicarum divisio, quâ aliæ sub titulo Gibellinorum Cæsari, aliæ sub titulo Guelphorum Pontifici adhærebant, tanto odio ut omni laude coronaretur qui alterum interficeret, duravitque hæc divisio usque ad Lutheri tempora, ubi Pontificia majestas imminuta est ac debilitata. Harum factionum primum incendium ex Hetruria sese effudit in totam Italiam. In hisce turbis Fridericus admodum anceps rapit consilium, & inopinatâ celeritate magno cum exercitu terraque marique invadit Italiam, omniaque adversa opprimit, diripit ac disjicit, adeò ut tantis successibus territus Pontifex nullum aliud nisi anathematis consilium inveniret, quod tertium in Fridericum emisit tantâ impudentiâ, ut multi ex Cardinalibus id improbarent, inprimis Petrus de Vineis, vir gravissimus & juris peritissimus. In hoc bello adeò exhaustus fuit Imperator ut stipendia militibus solveret coriaceo numismate, quod deinde argenteo mutavit & redemit. Moritur interea Gregorius IX Papa, cui successit Cœlestinus, quo mox defuncto Pontifex factus est Innocentius IV. qui quum antea Cæsari favisset, jam animo mutato infensissimum Cæsaris hostem sese declaravit. Quum enim videret Imperatorem à suo instituto non desistere, sed multas urbes occupare, & jam exercitum Parmæ admovere, præ metu in Galliam trajecit; & Lugduni coacto concilio Imperatori diem dixit anno 1245, scilicet ut se judice condemnaretur. Imperator aliis negotiis impeditus alium diem petiit. Sed frustra. Pergit interim Papa instare apud principes ut Fridericum imperio deturbarent, idque obtinuit.

Fridericus invadit Italiam.

Anathema tertium in Fridericum.

Petrus de Vineis.

Numisma coriaceum.

Gregorii IX obitus.

Innocentius IV.

Papa instinctu Fridericus movetur Imperio.

tinuit. Traditur imperium Henrico Landgravio Thuringiæ & Hassiæ, anno 1245, post hunc Wilhelmo Comiti Hollandiæ anno 1255, & secuta sunt deinceps atrocia principum dissidia usque ad imperium Rodolphi Habsburgensis circa annum Christi 1273. Tot igitur & tam variis fortunæ procellis jactatus Fridericus & ab amicis desertus, quum insidias sibi in Italia fieri intelligeret, constituit in Siciliam redire, sed in itinere ardentissimâ febre correptus ex propinato veneno vitam cum morte commutavit. Sunt qui putant, quum medicorum operâ spes esset convalescentiæ, à Manfredo filio notho pulvino in os injecto suffocatum periisse. Sepultus est Panormi cum hoc epitaphio: *Henricus Thuringiæ & Hassiæ Landgrav.* *Wilhelmus Hollandiæ Comes.* *Rod. Habsburg.* *Friderici obitus.*

Si probitas sensus, virtutum gratia, census,
Nobilitate orti possent obsistere morti,
Non foret extinctus Fridericus qui jacet intus.

Cæterum eximias principis hujus virtutes commemorat Peucerus fol. 982 & seqq. quibus etiam addit vitia. Uxores habuit plures: Prima fuit Constantia Arragoniæ regina, ex qua suscepit Henricum seniorem Sueviæ Ducem, qui Pontificum incitatione patrem deturbare conabatur in spem Imperii pellectus, sed à patre captus in carcere obiit relictis duobus filiis gemellis Friderico & Henrico ex Margareta Leopoldi Austriæ Ducis filia, quam deinde viduam duxit Ottocarus Bohemiæ regis filius. Sed hi gemelli à patruis Conrado & Manfredo interfecti snnt, ne essent æmuli in Imperio. Altera fuit Jole filia Johannis de Bregna regis Hierosolymitani, quæ dotis loco titulum Regis Hierosolymitani regibus Siculis & Neapolitanis attulit. Ex hac Jole natus est Conradus, cui pater testamento destinavit regna Siculum & Neapolitanum & hic patri in Imperio successit. Hisce duabus uxoribus adduntur tres aliæ, quarum alii scriptores non meminerunt. Filiam habuit Margaretam, quæ nupsit Alberto Landgravio Thuringiæ, cui peperit duos filios, *a* Fridericum & Ticemannum, de quorum mirabili historia lege Peuc. fol. 1049. Altera filia fuit Constantia uxor Ludovici Landgravii Hassiæ. Habuit etiam liberos nothos, Manfredum ex pellice Blanca Marchionissa Montisferrati, Eucium Sardiniæ regem, quem Bononienses ferreæ caveæ inclusum necarunt. *Friderici familia.* *a Fridericus cum admorsa gena.*

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX, Cœlestinus IV, & Innocentius IV. De hisce jam in superioribus dictum est. Videetiam Dresserum Millen. 6. pag. 114 & seqq. Gregorius IX contra Fridericum II excommunicatum crucem prædicavit, tanquam adversus infidelem, vitamque æternam omnibus contra Cæsarem pugnantibus promisit. Innocentius IV, qui ab anno Christi 1241 sedit annos 11, sedem pontificiam Lugdunum in Galliam, inde Genuam, inde Mediolanum transtulit, & Cardinalibus pileum rubrum dedit, signum fundendi sanguinis pro libertate Ecclesiastica. In Lugdunensi concilio Fridericum Imp. non solùm excommunicavit, sed etiam imperio privavit. Bonus ille Fridericus ternam sustinuit excommunicationem, primam ab Honorio, secundam à Gregorio; tertiam ab Innocentio IV. Gregorius IX Dt Franciscum cooptavit in numerum Sanctorum anno 1228.

Gregorii IX summa impudentia. *Innocentii IV furor.* *Pileus ruber Cardinalium.* *Frid. ter excommunicatus.* *Franciscus in numerum divorum cooptatus.*

2. Concilium Lateranense, quod vocatur maximum, habitum est Romæ autore Innocentio III, anno Christi 1215, cui interfuerunt duo Patriarchæ, Hierosolymitanus & Constantinopolitanus; Metropolitani 70, Episcopi 400, Græci & Romani imperii legati, & oratores regis Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ & Cypri. Inter alia acta approbata & confirmata est transsubstantiatio, hoc est, substantialis conversio panis & vini in S. Cœna in corpus & sanguinem Christi post consecrationem seu pronunciationem quinque verborum, Hoc est enim corpus meum, &c. Terreatur aliquis novi vocabuli absurditate, quo & res nova ac absurda indicatur. Veteres Ecclesiæ doctores simpliciter locuti sunt de mutatione seu conversione elementorum in Cœna Dominica, ut scilicet docerent, non esse ampliùs post sanctificationem panem communem aut poculum vulgare, sed esse mysticum quid in Eucharistia sacra, quæ duabus rebus constet, terrenâ & cœlesti, &c. Postea verò Damascenus, Theophylactus & alii magis hyperbolicè de transformatione elementorum in Cœna Domini concionati sunt. Qùum verò ad tempora Petri Lombardi magistri sententiarum circa annum Christi 1160 ventum est, tum pri-

Concilium Lateranense maximum. *Dogma transsubstantiationis.* *Johannes Damascenus primus transsubstantiationis faber.*

primùm à Scholasticis Theologis in Gallia de modo illius conversionis disputari cœptum est, cujus generis illa sit, an sit conversio formalis, an substantialis, an accidentalis, &c. quumque nihil certi definiretur, in immensum creverunt disputationes, quæ passim in scholis fervebant. Tandem consultum est visum Papæ Innocentio III, ut controversia hæc in concilio Lateranensi dirimeretur, ubi modus conversionis determinatus est novâ & antea inauditâ voce Transsubstantiationis, nempe transsubstantiari panem in corpus & vinum in sanguinem Christi, potestate divinâ. Postea Scholastici ad acuenda spinosa ingenia disputarunt, an post annihilationem substantiæ reliqua maneant accidentia, & an hæc innitantur corpori Christi an verò circumfuso aëri: atque ita dato uno absurdo infinita alia secuta sunt. Plura vide apud Martinum Chemnitium in Exam. Concilii Trid. parte 2. de transsubstantiatione, fol. 136 & seqq. Præterea in hoc concilio factus est Canon de confessione peccatorum semel in anno edenda, & de cura tegendi ea quæ in confessione dicuntur. Tum etiam de bello sacro & de recuperanda Hierosolyma decretum est, & ut hoc bellum alacrioribus animis susciperetur, missi sunt in omnes fines orbis Christiani doctores, qui non voce solùm excitarunt homines, sed signo etiam crucis notarunt omnes qui sacræ militiæ nomen dabant. *Confessio peccatorum semel in anno edenda.* *Hierosolymitani milites signo crucis notantur.*

3. Ordo Monachorum S. Trinitatis anno Christi 1213 institutus est autoribus anachoretis duobus, Johanne Matta & Felice, qui quum aliquandiu vitam solitariam in Gallia egissent, à Pontifice Innocentio III certum vivendi modum sibi præscribi petiverunt. Negotium illis datum est colligendi eleemosynas quibus capti ab hostibus Christiani nominis redimerentur. *Monachi S. Trinitatis.*

4. Prussia ad Christi agnitionem adducitur anno 1217, per milites ordinis Teutonici, quorum magister fuit Hermannus de Saltza. Bucholtz. *Borussi fiunt Christiani.*

5. In regno seu imperio Constantinopolitano Henrico fratri Balduini successit Petrus Antissiodoriensis anno Christi 1216, & imperavit annos 5. Hic Petrus uxorem habuit Jolantem Henrici antecessoris filiam, propter quam imperium quasi hæreditario jure adiit. Romam profectus est, ut ibi à Pontifice coronaretur, sed valde infeliciter. Nam Theodorus Lascares, qui Niceæ sese Impera- *Petrus Antissiodoriensis.* *Lascares*

Antisiodoriensem circumvenit.

peratorem fecerat, interea Epirum occupabat & Dyrrachium, inde Petro reditum ad urbem Constantinopolim intercluſurus. Petrus in nemoroſa Theſſaliæ loca delatus incidit in inſidias, & interceptus eſt: adductus ad Theodorum per calumniam condemnatur,& toto biennio in tetro ſqualidoque carcere fatigatus tandem enecatur. Alii ſcribunt quòd comiter invitatus in convivio obtruncatus ſit. Mellif. parte 3 fol. 316. Petri vidua imperium adminiſtravit uſque ad reditum ex Gallia Roberti filii, qui patri ſucceſſit anno Chriſti 1221, & imperavit annos 7, impenſeque coluit Venetorum amicitiam. Romam abiit inaugurationis cauſſâ, unde reverſus in Achaïa morbo extinctus eſt. Sufficitur ei filius Balduinus II, qui imperium tenuit annos 33. Quum verò puer adhuc ineptus eſſet ad gubernationem, & Laſcarini ad omnes occaſiones urbis recuperandæ eſſent intenti, ſuaſerunt Veneti,ut impuberi Imperatori uxor daretur filia Alexii Comneni: quod proceribus Gallicis non placuit, quòd à Græca affinitate periculum eſſet inſignis mutationis in gubernatione. Repudiato igitur hoc conſilio, ſuggeſtu Pontificis Gregorii adjunxerunt ei uxorem Martham, filiam Johannis Brennii, regis Hieroſolymitani, (qui aliàs dicitur Johannes de Bregna, fuitque nobilis Gallus, qui Americum Cypri regem per matrimonium Hieroſolymitani regni titulo decoratum dominatu exuerat, regnumque Hieroſolymorum cum filia Jole ad Fridericum II Imp. tanquam Siciliæ & Neapolis principem transtulerat. Peucer. fol. 874.) ſororem Joles conjugis Friderici II Imp. Extincto ſocero Joh. Brennio Balduinus potentiſſimos hoſtes ſuſtinuit Græcos, à quibus diu multumque vexatus adeò fuit, ut fugæ ſeſe dare & imperium Conſtantinopolitanum Græcis relinquere cogeretur Michaële Palæologo illud capeſſente, quod factum eſt poſt obitum Friderici II Imp. anno 1261.

Robertus filius Antiſiodorienſis.
Balduinus II Roberti filius.
Balduinus uxorem ducit Martham filiam Ioh. de Bregna.
Balduinus cogitur imperium relinquere Græcis.
Michaël Palæologus.

6. Nova expeditio in Aſiam contra Saracenos & Turcos pro terra S. recuperanda ſuſcepta eſt anno Chriſti 1227, à Friderico II Imp. Andrea rege Ungariæ & aliis, quibus ſeſe etiam ſocium præbuit Ludovicus Thuringiæ & Haſſiæ

Friderici II expeditio in Aſiam, cum Andrea Ungariæ rege & Ludovico Landgravio Thuringiæ.

& Hassiæ Landgravius S. Elisabethæ maritus. In hac expeditione Sultanus eò est adactus, ut pace factâ Hierosolymam, Nazaretham, Joppen & alia loca Friderico restituerit, & decennales inducias pactus sit. Ingressus est igitur Fridericus Hierosolymam cum copiis suis regio diademate ornatus, & bello sine sanguine confecto domum rediit. Postea tamen factum ut Christiani inter sese dissidentes à Saracenis è terra sancta fuerint expulsi anno Christi 1289. Porrò Ludovicus Landgravius Brundusii Imperatorem expectans obiit, & quadriennio pòst ejus uxor S. Elisabetha, quæ fuit filia Andreæ regis Ungariæ, matrona pia & calamitosa. Præterquam enim quòd matrem Gertrudem (quia Bancbacani uxorem fratri suo prostituerat) gladio amisit, maritum in locis externis propter navigationem nauseâ, & domi filium veneno, ab Henrico mariti fratre possessione expulsa est. Omnia tamen hæc virtute & patientiâ superavit. Filiam habuit Sophiam, quæ nupsit Henrico Duci Brabantiæ, quæ stirps est Landgraviorum Hassiæ. Dicitur fundasse hospitale Marpurgense in Hassia, ubi obiit anno Christi 1231, & postea anno 1235 à Gregorio IX Papa inter sanctas relata est.

Frid. Imp. occupat Hierosolymam. Ludovici Landgr. ejusque uxoris S. Elisabethæ obitus.

S. Elisabethæ filia Sophia uxor Henrici Ducis Brabantiæ, unde stirps Landgraviorum Hassiæ.

7. Tartarorum rex Hoccata filius Changii tres filios suos tantis copiis instructos emisit, ut unus ad occidentem, alter ad septentrionem, tertius ad meridiem loca munitissima invaderet. Ipse verò Hoccata Orientem adortus est. Hinc adeò factum est, ut Parthiam, Mediam & alia multa Tartari occuparint, & Turcis ipsis regnum ademerint. Dress. fol. 567. Porrò in Europam infusi sunt Tartari circa annum Christi 1240, & primùm in Græciam involarunt, sed inde pulsi ab Alexio Imp. in Russiam & Moscoviam belli impetum converterunt. Sequente anno agmine tripartito irruerunt in Ungariam, Moscoviam, Poloniam & Silesiam, ubi etiam Henricum Pium, filium Henrici Barbati & S. Hedwigis, Silesiæ Ducem, ad Lignicium occiderunt, aliosque plures fortissimos viros: ipsam urbem Lignicium incenderunt. Tanta Christianorum strages edita scribitur, ut illorum abscissæ auriculæ novem grandes saccos expleverint. Vide Bucholtz. in anno Christi 1241, & Dress. fol. 568. & seqq. Mellif. parte 3. fol. 282, &c.

Tartarorum ingens & immanis expeditio.

Horrenda Christianorum strages.

8. In Polonia anno Christi 1243 regnare cœpit Boles-

Boleslaus Pudicus. laus cognomento Pudicus à cœlibe vita. Erant tunc in Polonia 24 principes, ex quo facilè colligere est turbatissimum fuisse statum. Pugnandum ipsis fuit cum Tartaris, ut modò dictum est. Hoc tempore nobilis quædam mulier in terra Cracoviensi uno partu edidit 36 pueros. *Uno partu eduntur 36 pueri.*

Andreas II Hierosolymitanus, Ungariæ rex. Peuc. fol. 952. 9. In Ungaria regnum tenet Andreas II, cujus ex uxore Gertrude filia fuit S. Elisabetha, ut jam dictum est. Cognominatus est Hierosolymitanus propter expeditionem in terram sanctam. Dum in Palæstina est, domi uxor Gertrudis fratri suo, qui ex Germania advenerat, uxorem Bancbacani, cui vices suas rex in absentia commiserat, prostituit. Bancbacanus ergò dolore justo incensus reginam obtruncat, cædisque à rege absolutus est. *Bancbacanus interficit Gertrudem reginam Ungariæ, & absolvitur.* Andrea defuncto in regno successit filius Bela IV anno Christi 1238, regnavitque annos 46, pulsus à Tartaris, qui miserabiliter regnum vastabant. Sed post triennium ope Rhodiorum militum & Frangepanum comitum regnum recuperavit. *Bela IV Andreæ patri succedit in regno.*

Ludovicus VIII Philippo patri succedit in regno Galliæ. 10. In Gallia defuncto rege Philippo regnare cœpit filius Ludovicus VII, qui statim renovavit & confirmavit fedus & fraternitatem cum Romano Imperatore & Germanis anno 1223. Successorem habuit filium Ludovicum cognomento Divum, qui regnare cœpit anno Christi 1226, & regnavit annos 44. Mortuus est in expeditione in Africam contra infideles, postquam Carthaginem cepisset, & peste à Tuneti obsidione depulsus esset. Tunetum verò paulò pòst frater ipsius Carolus Siciliæ rex occupat, & tributariam facit, ac insuper Euangelii præconium per Africam liberum fecit. *Ludovicus Divus Ludovici VIII filius successor patris.*

Mira confusio in regno Angliæ. 11. In Anglia Johannes rex quum jam in sacra & profana multùm diuque sæviisset ab Innocentio III Papa per Pandulphum gravi denunciatione regni administratione submovetur. Rex à suis desertus redit ad meliorem mentem, sed invitus, Pontificem agnoscit, & gravi jurejurando sponsionem facit, se cum posteris regibus Pontificis imperata facturum regnumque beneficii loco ab illo accepturum. Regni proceres sumptis contra regem armis Ludovicum Philippi Gallorum regis filium in spem regni evocant. Rex Johannes suis omnibus invisus *Johannes Angliæ rex veneno necatur, cui succedit filius Henricus III.*

visus in monasterium divertens à quodam Monacho veneno necatur anno 1216. Principes verò neglecto Ludovico Gallo regem salutant filium Johannis III defuncti Henricum III, qui ab anno Christi 1217 regnavit annos 56. Hujus regis soror Isabella, quam alii Mechtilden vocant, Friderico II Imp. nuptui data est, ex qua natus est Henricus junior, cui pater testamento Siciliam decreverat si ad justam ætatem pervenisset. Peucer. fol. 985. Fratrem habuit Richardum, qui cum classe ad Christianorum auxilium in Syriam profectus est anno Christi 1240.

12. Docti viri hoc tempore celebres fuerunt.

1. S Bonaventura, dictus Doctor Seraphicus, qui anno Christi 1243 religionem S. Francisci ingressus est, & postea scripsit commentarium in librum sententiarum. Cardinalis fuit doctissimus. *Bonaventura.*

2. Albertus Magnus natione Suevus de familia nobili, Monachus ordinis Prædicatorum, ex cujus schola prodierunt discipuli qui doctrinam Scholasticam latè disseminarunt. *Albertus M.*

3. Thomas Aquinas in oppido Latii Aquino natus anno Christi 1223. Fuit Alberti Magni discipulus, & horrido ac barbarico dicendi genere cum Theologia confudit Philosophiam, & utramque turpiter plurimis in locis depravavit. Dictus fuit Doctor irrefragabilis & Angelicus. *Thomas Aquinas.*

4. Johannes de sacro busto Monachus minorita & mathematum professor in Academia Parisiensi. Scripsit tractatum de Sphæra & computum Ecclesiasticum.. *Joh. de sacro busto.*

5. Accursius Florentinus, primus universi juris glossator. *Accursius.*

6 Petrus de Vineis jurisconsultus doctissimus, qui crimina à Gregorio IX Papa Friderico II Imp. objecta gravissimis argumentis refutavit, & anathematis fulmen tanquam fatuum elisit. Fuit Friderici Imp. magister Epistolarum & Cancellarius. *Petrus de Vineis.*

CONRADUS. IV.

Filius fuit Friderici II Imp. ex altera conjuge Jole filia Johannis de Bregna regis Hierosolymitani, quæ do- *Imperii competito-*

res Conradus filius Friderici & Henricus Thuringiæ Landgravius. Bellum inter Conradum & Henricum Landgr.

tis loco titulum Regis Hierosolym. Siculis & Neapolitanis regibus attulit. Contra hunc Conradum ut & contra Patrem Fridericum astutiâ Papæ Innocentii IV Imperator electus fuit Henricus Landgravius Thuringiæ, Ludovici mariti S. Elisabethæ frater. Conradus igitur ut hanc electionem impediret, cum exercitu accessit ad urbem Francofurtum Bavaricis auxiliis adjutus, quam ad rem Bavari principis filiam uxorem duxerat. Sed repulsus ac profligatus ab Henrico, quem maxima pars principum sequebatur, fugit Ratisbonam, ubi noctu fraude Episcopi Ratisbonensis oppressus, cæteris suis sociis trucidatis, ipse sub scamno delitescens divinâ protectione hostes fefellit & evasit. Repulsus hoc modo quum patrem decessisse intellexisset, in Italiam protinus abiit occupaturus regna Siculum & Neapolitanum, ubi urbes quæ à morte patris ad Pontificem desciverant recepit auxilio Tancredi, à quo persuasus fuit imperium vi quod fit stabilius esse eo quod benevolentiâ adjungitur. Interea Henricus in Germania progressus, dum Ulmam, quæ adhuc Conrado adhærebat, obsidet, sagittâ lethaliter ictus occubuit eodem anno quo imperium accepit, nempè anno 1246. Pergit interim in Italia Conradus quasi furere. Neapolim octavo mense vi expugnatam recepit, ubi nonnullas publicas ac privatas ædes ac muros solo æquavit, Capuam direptam muris & propugnaculis nudavit, Aquinum incendiis devastavit. Quumque jam potitus esset omni Siciliâ in Germaniam rediit, ubi quum omnia sibi adversa & infesta offendisset, filio Conradino Bavariæ principi spe successionis commendato iterum sese in Italiam contulit, ut occupata regna magis firmaret. Hoc dum ageret, à Manfredo fratre spurio veneno tollitur, quum ab anno Christi 1251 imperasset annos 3 & menses 5. Uxorem habuit Elisabetham Bavaricam, ex qua susceperat filium Conradinum. Ergò de posteris Friderici Imp. reliqui jam sunt, hic Conradinus legitimus hæres, Conradus Caputus princeps Antiochiæ nepos ex notho filio Friderici, & Manfredus filius nothus.

Henrici Landgr. obitus. Conradi furor in Italia. Conradi exitus. Conradinus Conradi filius.

Synchronismus.

Alphonsus

Hoc tempore in Hispania regnavit Alphonsus IX, qui

qui astronomus & mathematicus fuit insignis, tabulasque mathematicas seu astronomicas conscripsit, quæ Alphonsinæ dicuntur & hodie in usu sunt. Hinc Epocha Alphonsi incipit anno Christi 1252. Ordinem equitum S. Jacobi in Hispania olim ab Alexandro III Papa anno 1158 confirmatum, & crucis loco concham pectinis supra ventriculum gestantem alio signo decoravit, videlicet gladio sanguinolento. Caussa fuit quòd in prælio cum Mauris ipsi apparuisset Jacobus Apostolus equo candido vectus per aërem cum gladio cruento & sanguine Maurorum stillante. Hinc D. Jacobus tutelaris Deus Hispanorum habetur. Fuit Alphonsus admodum diligens observator institutionis ac disciplinæ scholasticæ per classes & academias sui regni. Cæterùm de Hispania teneatur fuisse olim provinciam imperii Romani usque ad Honorium Imp. qui circa annum Christi 410 imperavit & Hispaniam Gothis habitandam assignavit. Hinc Gothi Hispaniam tenuerunt usque ad Rodericum postremum suum regem, quo regnante Mauri Hispaniam invaserunt, miserè vastarunt ac diripuerunt circa annum Christi. 713. In hac calamitate Christianorum reliquiæ apud Astures collectæ regem fecerunt Pelagium, qui omisso Gothorum titulo Asturum & Legionis rex dici voluit. Zwing. in theatro fol. 1349. Ab illo igitur tempore rursum numerantur reges Legionis & Castellæ à S. rege Pelagio usque ad Carolum v & cæteros sequentes. Anno Christi 1006 Castellæ adjunctum est etiam Navarræ regnum. Dress. fol. 719. Postea anno Christi 1492 Ferdinandus Caroli v. Imp. avus maternus pulsis Mauris & Saracenis Granatam partem Beticæ recepit, & Mahometicâ superstitione deletâ templa Christianæ religioni condidit, unde Rex Catholicus est dictus.

IX rex Hispaniæ, & mathematicus eximius.

D. Iacobus Apostolus quomodo Hispanorum patronus factus.

Hispania olim Romanorum provincia.

Hispania ad Gothos translata.

Hispaniam invadunt Mauri.

De regibus Hispanicis vide Peucerum fol. 1008. &c.

Mauros ex Hispania ejicit Ferdinandus Caroli v. Imper. avus maternus.

Rex Hispaniæ unde Catholicus dictus.

INTERREGNUM vel potiùs ἀναρχία in Imperio.

Posteaquam urgente Pontifice Innocentio IV Fridericus imperio est amotus, variæ in Imperio obortæ sunt confusiones, tristesque mutationes, quum contra Fridericum

Imperii confusiones tristissimæ

ſimæ, anno 1256.

ricum ejuſque poſteros exteri quoque principes poſcerentur, ut Wilhelmus Hollandiæ Comes, Alphonſus Hiſpanus ſeu Arragonius, & Richardus Anglus, ex quo interregnum natum eſt, quod ab anno Chriſti 1256 duravit annos 17.

Hiſtoriæ ordo.

Ac primò quidem hic conſiderandum quid inter Friderici Imp. poſteros acciderit, deinde quid inter exteros principes.

Conradinus.

Legitimus hæres imperii jam ſuperat Friderici Imp. ex filio Conrado nepos Conradinus, qui aberat in Germania.

Manfredus Friderici Imp. filius νόθ☉. dolosè agit.

Huic ſeſe tutorem offerebat Manfredus, Friderici Imp. filius nothus, ſed callidè & dolosè. Occupabat Neapolin, & ut Innocentius Papa quieſceret, ſubmiſſionem promittebat. Interim ſubornabat, qui Conradinum in Germania veneno tollerent. Hoc ſcelere nondum patrato literas commentitias oſtendit de Conradini obitu, jure ſucceſſionis regna Siculum ac Neapolitanum ad ſe pertinere prætendens. Magnis igitur copiis coactis præſidia Pontificis ex improviſo opprimit, & quæ à regno Neapolitano erant avulſa recipit, regiumque nomen uſurpat. Ut autem contra Pontificem tutior eſſet, filiam ſuam Conſtantiam deſpondet Petro, filio Jacobi Arragonum regis. Hàc affinitate ſeſe muniebat Manfredus.

Urbanus IV Papa contra Manfredum excitat Carolum Andegavenſem, qui Manfredum acie vincit.

Quid verò Pontifex? Deceſſerant jam Innocentius IV, & hujus ſucceſſor Alexander IV, ſedebat autem Urbanus IV, qui edito in Manfredum anathemate attraxit ex Gallia Carolum Andegavenſem, Ludovici Galliarum regis fratrem, qui cum Manfredo acie congreſſus victoriam cum utroque regno obtinuit. Dimicatum eſt in agro Beneventano menſe Februar. anno 1265. Adjutus fuit Andegavenſis conſilio Johannis Ratæ, cujus conjugi ſtuprum obtulerat Manfredus.

Manfredus adulter.

Manfredi mors.

Hoc modo Manfredus duo regna Siculum & Neapolitanum, quæ parricidiis acquiſiverat, unà cum vita amiſit.

Conradinus infeliciter pugnat contra Carolum Andegav.

Quid verò Conradinus legitimus Friderici Imp. hæres? Ut avita regna à Carolo Andegavenſi repeteret, adduxit ex Germania inſignem exercitum, eique ſocium ſeſe adjunxit Fridericus Auſtriæ Dux, aliique plures. Committitur prælium in Marſis anno 1268, in quo Conradinus unà cum Friderico Auſtriaco vincitur & capitur. Ambo adducuntur ad Carolum Andegav. victorem. qui accepto reſponſo à Clemente IV Pontifice:

Clemens IV Papa.

Vita Conradini eſt Caroli mors, & mors Conradini eſt Caroli vita, ut miniſtrum & quaſi carnificem Pontificis ſe decla-

declararet, ambos securi percussit, pro clementia, quæ maximè generosum victorem commendat, crudelitatem ostendens. Quin etiam Conradino mortuo insultatum est sarcastico hoc epitaphio:

Conradinus securi percussus.

Asturis ungue Leo pullum rapiens Aquilinum,
Hic deplumavit, acephalumque dedit.

Jam ergò ex Suevico sanguine supererat solus Conradus Antiochenus, qui cognomento dictus fuit Caputus. Sed & hunc Carolus Andegav. per Guidonem Comitem Montisfortis classe persequutus fuit in Siciliam, ubi à Siculis proditus, & vivus captus, oculis privatus, & deinde suspendio enecatus est. Hoc modo vetustissima & nobilissima stirps Ducum Sueviæ, rebus sapienter & fortiter gestis clarissima, Pontificum artibus deleta est, quum imperasset annos 115, & regna Siculum ac Neapolitanum tenuissent annos 76. Carolus igitur Andegavensis factus est dominus utriusque regni Siculi & Neapolitani, & Siciliam Gallico præsidio munivit, quod ibi permansit usque dum Siculi insolentiæ Gallorum pertæsi Duce Johanne Prochyta occultâ consultatione per totam Siciliam quasi uno momento omnes Gallos oppresserunt & trucidarunt, quod factum est anno Christi 1282, de quo infrà dicetur. Atque hæc acta sunt inter Conradinum, Manfredum & Carolum Andegavensem, fraude ac technis Pontificum; nunc ad Germaniam redeo. Henrico Thuringiæ Landgravio ad Ulmam sagittâ trajecto principes imperii rerum summam, Pontifice ita disponente, detulerunt ad Wilhelmum Hollandiæ Comitem, neglectis Friderici Imp. posteris, quod factum est anno 1247, eique anno sequenti solenni ritu & inauguratione Aquisgrani imperium est traditum, quod in magna rerum conturbatione administravit à morte Henrici Thuringi septennium, & vix usque ad annum Christi 1255, à quo numeratur interregnum usque ad Rodolphum Habsburgensem. In Imperio quidem Wilhelmus hic nihil memorabile perfecit, suis magis privatis rebus intentus, & bello quod contra Frisios gerebat; in quo à dispositis insidiis circumventus & in glacie hastis confossus periit. Quum igitur Imperii facies bellorum assiduitate admodum esset luctuosa, omnisque dignitas ex quarundam familiarum interitu, & quod quædam regiones

Conradus Caputus suspendio enecatus.

Imperatorum Suevicorum periodus.

Carolus Andegavens. occupat regnum Siculum & Neapolitanum.

Wilhelmus Hollandiæ Comes.

Wilhelmi Hollandi interitus.

nes possessoribus carerent, nutaret, principes ad Rhenum facto tanquam συγχρήματι καὶ ἀμνηστίᾳ omnia privata odia deposuerunt, & majore studio de imperii salute consultationes instituerunt. Disceptatio fuit utrùm alicui ex Germanis, an verò ex exteris potentioribus imperii summa sit committenda. Post longam deliberationem σύῤῥαξιν obtinuit sententia illorum, qui volebant exterum aliquem esse quærendum. Ex exteris duo in electionem venerunt, alter ex Anglia, alter ex Hispania. Ex Anglia Richardus Cornubiæ comes filius Johannis Anglorum regis. Ex Hispania Alphonsus Castellæ rex. Ambo magnâ contentione petiti & ambitione ardentes imperium auro quasi licitari videbantur. Sed utrique res infeliciter cessit. Nam Richardus præsens accepto à Moguntino, Coloniense, & Palatino (quorum suffragia multâ pecuniâ emerat) imperio, ut se magis confirmaret, turbatâ publicâ pace grassare ac sævire cœpit in eos, quos in electione habuerat adversarios. Sed ob nimias largitiones pecuniâ exhaustus & à suis desertus, ex desperatione rediit in Angliam ad Henricum fratrem, bella cum subditis gerentem, ubi in obsidione cujusdam oppidi telo trajectus obiit. Alphonsus aberat, & in Gallia, regis Galliæ consensu, quid principes imperii de se statuerent, expectabat. Venerunt principum legati, qui in Germaniam illum abducerent, sed dum discordias Germaniæ & Italiæ reformidat, suisque magis speculationibus Philosophicis operam dat, cunctando cum imperio suum quoque regnum amisit, exutus eo domi à filio Sancio. Reversus igitur Hispalim, mœrore contabuit, beatior futurus si in regno suo mansisset & disciplinas mathematicas ac medicas coluisset, in quarum restitutione æternam laudem meruit. Interim ex familiarum quarundam interitu (inprimis Ducum Sueviæ, Ducum Austriæ, & Landgraviorum Thuringiæ) magnæ oriebantur contentiones ac lites de successionibus. quæ etiam in bella sese effundebant, de quibus Peucer. fol. 996, &c. Quum ergò omnia jam essent in afflictissimo statu, & ad certissimam Imperii ruinam spectarent, non sine singulari Dei providentia accidit, ut principum consilia flecterentur ad Rodolphum Comitem Habsburgensem absentem, & tunc Basileam obsidentem, cujus bellica fortitudo tum temporis erat notissima. Hujus

Richardus Anglus & Alphonsus Hispanus contendunt de imperio, ambo infeliciter.

Richardi interitus.

Alphonsus cum imperio amitit regnum suum, & vitam.

Rodolphus Comes Habsburgensis

jus posteri adhuc imperium tenent. Porrò quum durante interregno contentio esset de Austriæ hæreditate, eamque partim Ungari partim Bavari invaderent, Wenceslaus Bohemiæ rex Ottocaro filio despondit Margaretam, viduam Henrici filii Frid. Imp. quæ gemellos pepererat. Ex hoc conjugio Ottocarus juris prætextum nactus contra Ungaros & Bavaros in Austriam irrupit, eamque occupavit. sed quum fœdera cum Ungaris pepigisset contra imperium, à Rodolpho deinde ejectus est: qui Austriam bello captam tradidit filio Alberto circa annum Christi 1282. Hinc liquet quomodo Austriaci Duces originem ducant ex domo Habsburgica.

Contentiones de hæreditate Austriæ. *Rod. Habsburg. bello sibi acquirit Austriam.* *Austriaci Duces ex domo Habsburgica.*

Synchronismus.

1. Pontifices Romæ fuerunt Alexander IV, Urbanus IV, Clemens IV, & Gregorius X. Urbanus IV autor est horrendæ illius idololatriæ quæ in festo corporis Christi, ut vocatur, committi solet, ubi in ἀρτολατρείᾳ magna cum pompa circumgestatur corpus Christi, ut prætenditur, & à procumbentibus adoratur. Theatrica pompa & planè Persica, quam Papa Urbanus instituit monente quâdam fœminâ Leodiensi Evâ, Pontifici ante Papatum familiariter notâ, quæ in insomniis tale quid vidisset. Vide Baleum lib. 6. cap. Urbanus quartus. Peucerus addit, fol. 182, instinctu Thomæ Aquinatis hanc πανήγυρον inventam esse. Vide etiam Chemnitium in exam. Concilii Trid. parte 2. fol. 155. Sedit Urbanus ab anno Christi 1261 annos 3. Clemens IV sedit ab anno Christi 1265 annos 3 & menses 9, qui autor fuit Carolo Andegavensi, ut contra regium morem Conradinum & Fridericum Austriacum capitis supplicio afficeret. Gregorius X sedit ab anno Christi 1271 annos 4 & menses 4, & in Concilio Lugdunensi deliberationem suscepit de recuperanda terra sancta. Accivit quoque Michaëlem Palæologum Imperatorem Byzantinum, qui facilè paruit non tam adductus religione quàm spe auxiliorum, quibus fore sibi opus intelligebat ad tuendum imperium quod parricidio sibi pepererat. Disputatum quoque est in illa Synodo de processione Spiritus S. ut scilicet dissidiis inter Latinas & Græcas Ecclesias diremptis Græcæ Ecclesiæ subjicerentur Pontifici. Sed decretum hoc repudia-

Festum corporis Christi. *Thomas Aquinas autor ἀρτολατρείας in festo corporis Christi.* *Concilium Lugdunense.* *Processio Spiritus S.*

Græcæ Ecclesiæ nolunt Pontifici Romano subjici. pudiarunt cæteri Episcopi in Græcia tantâ vehementiâ, ut iis qui consensissent à societate suarum Ecclesiarum exclusis officia & honorem sepulturæ denegarint. Præcipuè verò de bello sacro actum est, cujus persequendi prætextu Pontifex ab ordine sacro decimas universorum redituum in annos quinque exegit.

Thomas Aquinas defensor primatus Papæ & idololatriæ. 2. Thomas Aquinas abusus in Ecclesiam invectos non solùm probavit, sed etiam stabilivit & cumulavit. Ἀρτολατρείαν sive cultum panis & circumgestationem in die corporis Christi confirmavit & pro primatu Pontificis strenuè pugnavit.

Flagellatorum ordo. 3. Ordo Flagellatorum natus est anno Christi 1260. Ex Thuscia confertim venerunt in Germaniam seminudi, & scuticis sese ad sanguinem usque verberarunt, singularem religionem & sanctitatem præ se ferentes. Adeò crevit hæc secta, ut à Carolo IV Imp. & Papa Clemente VI eam comprimi & coërceri oportuerit.

Michaël Palæologus. 4. In Oriente Constantinopoli Imperator factus est Michaël Palæologus anno Christi 1261, & imperavit annos 22. Filius fuit Andronici Palæologi & Irenes filiæ Alexii Angeli. A Theodoro Lascare juniore dignitate Despotæ fuit ornatus, & tutor filii Johannis constitutus, quem deinde nefariè occidit. Bellum ipsi fuit cum Michaëlo Angelo, Despota Ætoliæ & Epiri. quo per ignominiosam pacem & matrimonium reconciliato, Imperator est salutatus, & ut tutior esset, æmulos imperii sustulit, & Johanni pupillo legitimo successori oculos eruit, ejusque sorores mercatoribus nubere coëgit. *Cometa in Græcia.* Apparuit in Græcia Cometes à solstitio æstivo usque ad æquinoctium autumnale, nec multò pòst Sol obscuratus tantas terris tenebras offudit, ut interdiu stellæ effulserint. Hæc signa mox secutæ sunt Turcicæ eruptiones. *Turci in Asia recipiunt vires.* Etenim hoc Michaëlo Imperatore Turci in Asia, qui à Tartaris domiti aliquandiu quieverant, receptis viribus reliquias Imperii Græci in Asia valdè comminuerunt, terrasque potentiores subactas in Satrapias partiti sunt. Interfuit Michaëlus Lugdunensi Concilio vocatus à Papa Gregorio X, cui spem fecerat de componendis controversiis quæ Græcas Ecclesias à Romana divulserant, deque illis Romanæ subjiciendis. Sed quòd concordiæ leges à Pontifice Romano sine suorum assensu in detrimentum Græcarum Ecclesiarum accepisset, tantam sibi *Michaëlus odiosus factus* con-

conflavit invidiam, ut mortuo sepulturæ honos fuerit negatus. Reliquit filios Andronicum successorem & Constantinum Porphyrogenitum. Fuit homo inexhaustæ ambitionis & fidei incertæ, interim expediti consilii. A Patriarcha Arsenio fuit excommunicatus; quem deinde officio movit, aliumque surrogavit. Peuc. f. 1016 & 1076. Dress. fol. 528.

Clus Græcis ecclesiis.

5. Tertius Tartarorum Imperator in regno Cathayno fuit Magius Canis, qui persuasu regis Armeniorum ab idolis patriis ad fidem Christianam se contulit, & baptizatus fuit circa annum Christi 1253. Suscepit quoque defensionem Christianorum in Asia contra Saracenos, misso fratre Hyelono, qui in Persia oppressis Saracenis Christianorum templa instauravit, indeque bello in Mesopotamiam translato urbem Edessam, quæ olim Rages dicebatur, cepit, & in Syriam profectus, expugnato Alepo, Sultano illius loci Melecmaser regnum ademit, & Antiochiam eripuit anno Christi 1260. Contendebat jam Hyelon ad urbem Hierosolymam, sed fama de obitu fratris Magii ipsum ex medio victoriarum cursu retrahebat. Frustra adspirabat ad summum Tartarorum imperium, partim præventus à fratre Cobelo, partim Barchino Batti filio provincias jam occupatas novo bello urgente, cui necessariò erat occurrendum. Hyelo hoc modo distractus Syriacarum rerum curam commendavit Virboco, uni ex præfectis, homini crudeli & à fide Christiana alieno, quem Melecmaser Ægypti Sultanus bello vicit, & Tartaros totâ Syriâ expulit. Vide Peucer. fol. 1022, &c. Dresserus hanc Tartarorum ex Syria ejectionem refert ad annum Christi 1268, f. 569. Vide etiam Mellific. p. 3. fol. 284.

Magius Can. qui Christianam religionem recepit.

Tartari totâ Syriâ expelluntur.

6. In Gallia anno Christi 1270 Philippus Ludovici filius rex designatus in castris regnavit annos 15. Hujus Philippi patruus fuit Carolus Andegavensis, de quo suprà meminimus.

Philippus.

7. In Anglia proceres regni decernunt Oxonii, ut Pictones omnes cum cæteris alienis exterminarentur, & ut rex ipse leges quasdam antiquatas in pristinam formam restituerunt. Quum autem rex consilii hujus decretis stare nollet, civile bellum ab optimatibus excitatur anno 1259. Committitur prælium juxta Levisium oppidum in Cantio, in quo rex cum Richardo fratre & Eduar-

Bellum inter Angliæ regem Henricum III, & regni proceres.

do filio à nobilibus capitur. Eduardus ex hostium manibus elapsus recollectis viribus vincit nobiles & patrem liberat. Tandem Urbanus IV Pontifex misso Cardinale Othobono tumultus sedat conciliatione inter regem & proceres factâ. Moritur rex Henricus III Londini anno 1272, 16 Calend. Decemb. relictis duobus filiis Eduardo Walliæ Principe, & Edmundo Lancastriæ Comite, qui factionum suarum insignia rosæ albæ & rubeæ post se reliquerunt. Dresser. fol. 666. sed Peucerus fol 954 refert hoc ad filios & nepotes Eduardi III.

Albertus Magnus quur Magnus dictus.

8. Albertus Magnus natus patre carpentario seu plaustrario in vico Sueviæ Lauginga, Monachus ordinis Prædicatorum factus est Episcopus Ratisbonensis anno 1259. Quum verò admodum appetens esset lectionum, Episcopatu sese abdicavit, & privatus Coloniæ vivens publicis prælectionibus vacavit. Hinc cognomentum Magni adeptus est, quòd docendi labores Episcopali dignitati prætulisset. Reliquit discipulos plurimos, ex quibus maximè excelluit Thomas de Aquino.

Sorbona Parisiensis.

9. Collegium Sorbonæ Parisiis institutum est à D. Ludovico rege, qui obiit anno 1270.

Durandus.

10. Gulielmus Durandus, vulgò dictus Speculator, vir exercitationis forensis peritissimus & ideò pater practicæ vocatus, condidit eximium opus quod Speculum juris inscribitur. Autor est etiam libri cujus titulus est Rationale divinorum.

RODOLPHUS HABSBURGENSIS.

Ανακεφαλαίωσις superiorum de tristi facie imperii.

Quantis cum difficultatibus hactenus inde à temporibus Henrici IV Imp. per annos 200 artibus Pontificum conflictatum sit imperium, ex superioribus facilè cognoscitur. Summa autem difficultas accidit post imperium Friderici II, ubi locum habuit illud quod in libro judicum legitur: Tunc temporis non erat rex in Israël. Ex principum enim interitu qui potentior erat relictas hæreditates invadebat, ut nullâ sive juris sive justitiæ ratione habitâ raperentur quæ cupiebantur. Italia flagrabat intestinis dissidiis, & Germaniæ res novis subinde motibus fluctuantes ad tristem spectabant ruinam. Accessit difficultas deliberationum de idoneo Imperatore qui

qui hisce malis mederi commodè posset. Affectabat imperium non sine minis Ottocarus Bohemiæ rex nonnullis inter ordines pecuniâ expugnatis. Sed non sine singulari Dei providentia ac gubernatione principum animi in electione flexi sunt ad Rodolphum Comitem Habsburgensem, Alsatiæ Landgravium, qui tum temporis hærebat in castris ad Basileam, ubi contra Episcopum Basiliensem bellum gerebat. Conspecta fuit singularis ejus prudentia & fortitudo tempore interregni in bellis contra vicinos Comites Sueviæ & Alsatiæ, quos nihil non in aliena bona molientes auxiliis Tigurinorum, Basiliensium & Argentinensium, à quibus ad defensionem armis præstandam mercede conductus erat, fortiter represserat, & antea quoque in militia sacra, ut & bellis Italicis Friderici laudatissimam sibi famam conciliaverat. Hinc licet opibus esset inferior, idoneus tamen inventus ac judicatus est, qui bellicâ virtute afflictissimis Imperii rebus remedium adferret. Nec procerum spes elusa est. Cœpit imperare anno Christi 1273, & imperavit annos 17, menses 9. Princeps omni laude dignissimus, qui totus in eam incubuit curam, ut tutam & tranquillam redderet Germaniam, ita tamen ne cum Imperii incommodo hoc fieret. Quare quum videret in omnium rerum petrurbatione & quòd multa ab imperio privatâ vi & cupiditate essent alienata, ut ἀμνηστία nullum inveniret locum, rectè censuit ante omnia necesse esse, ut qui privatâ potestate aliena bona ad se rapuissent, illis cederent, & cognitionem atque sententiam Imperatori ac Senatui principum permitterent. In hunc finem Comitia indixit Norибergæ habenda anno 1274 Quò quum cæteri principes magnâ frequentiâ convenissent, non comparuerunt Ottocarus Bohemus, & Henricus Bavarus, Marchio Badensis & Comes Wirtenbergensis. Hi enim fœdere inito quæ occuparant contra Imperatorem tueri conabantur, & Ottocarus quòd antè Rodolpho curiæ Magistro in aula sua mercede usus fuerat, despicatus ipsum haberet. Rodolphus contumeliâ affectus, ne quid immoderatè ageret, per legatos ab Ottocaro repetivit Austriam, & ab aliis alia. Sed quum ne sic quidem aliquid proficeret, & jam ad tertia comitia contumaces frustra evocasset, ad arma deveniendum fuit. Devicto igitur Marchione Badensi & hujus confederatis in Suevia

Electio Rodolphi.

Rodolphi fortitudo.

Anno Christi 1273.

Rodolphus urget restitutionem bonorum privatâ vi alienatorum.

Comitia Noribergæ habita.

Rodolphi adversarii.

Bellum.

Ottocarus Boëmus violat jus legatorum.

& Alsatia, qui occupata reddiderunt, in Austriam bellum transtulit adversus Ottocarum, qui jam in annum Austriâ potiebatur, & legatos Rodolphi contra omne jus ad portas suspenderat. In hoc bello, devicto Henrico Bavaro Ottocari socio, quum Rodolphus Austriam omnem in deditionem accepisset, & Ottocarus cum vicino rege Ungariæ amicitiam junxisset, amicorum intercessione factum est, ut Ottocarus in gratiam repositus feuda Bohemiæ & Moraviæ impetrarit, eâ conditione, ut ab Austria abstineret, quod matrimonio est confirmatum, dum Wenceslao Ottocari filio nuptiæ filiæ Rodolphi sunt promissæ. His pactis quum non staret Ottocarus, sed aliquantò pôst bellum redintegraret, à Rodolpho acie victus & interfectus est anno 1278, & filio Wenceslao regnum Bohemiæ relictum datâ ei in uxorem Juttâ filiâ Rodolphi antea desponsatâ. Austriam verò Rodolphus filio Alberto tradidit, à quo deinde Duces Austriaci ortum suum traxerunt. Erphordiæ conventu instituto supra 70 munitas arces in Thuringia latrociniis infames delevit, & latronum duces supplicio affecit. Albertum verò Thuringiæ Landgravium optimi patris Henrici degenerem filium, & hujus filios Fridericum & Ticemannum vehementer inter se dissidentes, quòd pater à filiis legitimis Thuringiam alienare conaretur, in gratiam redire jussit, sed evasit hoc malum post obitum Rodolphi in luctuosissimum bellum; sub Imperio Adolphi Nassoviensis, ut dicetur. Peucer. fol. 1049, &c. Italiam Rodolphus ingredi noluit, sæpè usurpans illud Horatii, Quia me vestigia terrent, &c. Ut tamen æquiores haberet civitates Italiæ quæ erant in fide Imperatoris, contra molitiones Nicolaï Pontificis, qui cognatos suos Italiæ reges creare conabatur, civitatibus illis quædam imperii jura vendidit, deinde verò ut Pontificem placaret, & communi tranquillitati consuleret, Romandiolâ seu Exarchatu cessit, id quod valdè improbatum & culpatum est, siquidem ex hoc tempore Pontificum autoritas ac potentia in Italia eò accrevit, ut imperatoria dignitas fermè exspirarit, præsertim Gibellinorum & Guelphorum odiis horrendum

Ottocari perfidia & obitus, cui in regno Boëmiæ succedit filius Wenceslaus.

Rodolphi filio Alberto traditur Austria, unde Duces Austriaci.

Latrocinia per Germaniam tolluntur.

Dissidium inter Albertum Thuring. Landgr. & hujus filios.

Rodolphus εἰρήνην voluit cudere, cudit ἔριν.

Rodolphus Italiam attingere noluit, unde Pontifices ferociores facti. Rodolphus quadam jura imperii vendit civitatibus Italiæ.

dum augeſcentibus. Peuc. fol. 1041. Præter Italiæ neglectionem in Rodolpho culpatur etiam πλεονεξία, non ſolùm quòd jura Imperii Italicis civitatibus vendidiſſet, ſed etiam quòd in diviſione provinciarum Germaniæ more Leonis Æſopici partes pinguiores & opulentiores ſibi vendicaſſet. Tandem quum ætatem ſentiret ingraveſcentem, peractis Erphordiæ Comitiis, à principibus petiit, ut filium Albertum crearent Imperatorem. quod quum fruſtrà petiiſſet Francofurti, ægritudine correptus Spiram deferri voluit, ſed in itinere deceſſit in oppido Germersheim. Habsburgenſis arx in agro Tigurino ſita eſt, extructa à Rapotone nepote Guntrani *a* Aldenburgenſis Comitis. Sextus ab hoc Rapotone numeratur Albertus filius Rodolphi Imperatoris. Vide Peucer. fol. 1044. Porrò conjugem habuit Rodolphus Annam Comitem Hohenbergenſem, ex qua ſuſcepit inter alios filios Albertum Auſtriæ Ducem, qui poſt Adolphum Naſſovienſem Imperator factus eſt, & Rodolphum Ducem Sueviæ, cui ex filia Ottocari Boëmi natus eſt filius Johannes, qui Albertum patruum interfecit. Plures etiam filias habuit, ex quibus Jutta nupſit Wenceſlao Boëmo Ottocari filio.

Rodolphi πλεονεξία.

Rodolphus filio Alberto fruſtrà petit imperium.

Rod. obitus.

a Hic Guntranus vixit circa annum Chriſti 950.

Rodolphi familia.

Synchroniſmus.

1. Romæ ſucceſſivo ordine octo fuerunt Pontifices: Gregorius x, Innocentius v, Adrianus v, Johannes xxi, Nicolaus III, Martinus IV, Honorius IV, & Nicolaus IV. Interregni tempore Gregorius x hortatus eſt Germaniæ principes, ut Imperatorem eligerent, quod niſi facerent, ſe caput idoneum eſſe procuraturum. Innocentius ſedit menſes 5, Adrianus menſem unum, Johannes menſes 8. Nicolaus III creſcentem Rodolphi Imp. potentiam valdè habuit ſuſpectam, idcirco quo maturè illam retunderet, renovavit decretum de recuperanda armis terra ſancta, quæ tunc in eo erat diſcrimine, ut poſtea, nempè anno Chriſti 1290, univerſa in poteſtatem Ægyptiorum venerit. Romandiolam, Ravennam & Exarchatum ab Imperatore accepit eâ conditione, ut ſumptus ad bellum ſacrum contra Saracenos præberet: Romam ipſam in ſuam poteſtatem redegit. Martinus IV, qui ab anno Chriſti 1281 ſedit annos 4, excommunicavit

Octo Papæ.

Gregorii x inſolentia.

Nicolai III decretum de bello ſacro.

Martinus IV excommunicat regem Arragonia.

& Alsatia, qui occupata reddiderunt, in Au[illegible] lum transtulit adversus Ottocarum, qui jam in an[illegible] Austriâ potiebatur, & legatos Rodolphi con[illegible] jus ad portas suspenderat. In hoc bello, devicto [illegible] co Bavaro Ottocari socio, quum Rodolphus A[illegible] omnem in deditionem accepisset, & Ottocarus cum [illegible] no rege Ungariæ amicitiam junxisset, amicorum [illegible] cessione factum est, ut Ottocarus in gratiam [illegible] feuda Bohemiæ & Moraviæ impetrarit, eâ con[illegible] ut ab Austria abstineret, quod matrimonio est confir-matum, dum Wenceslao Ottocari filio nuptæ filiæ Rodolphi sunt promissæ. His pactis quum non staret Ottocarus, sed aliquantò pòst bellum redintegraret, à Rodolpho acie victus & interfectus est anno 1278, & filio Wenceslao regnum Bohemiæ relictum datâ ei in uxorem Juttâ filiâ Rodolphi antea desponsatâ. Austriam verò Rodolphus filio Alberto tradidit, à quo deinde Duces Austriaci ortum suum traxerunt. Erphordiæ conventu instituto supra 70 munitas arces in Thuringia latrociniis infames delevit, & latronum duces supplicio affecit. Albertum verò Thuringiæ Landgravium optimi patris Henrici degenerem filium, & hujus filios Fridericum & Ticemannum vehementer inter se diffidentes, quòd pater à filiis legitimis Thuringiam alienare conaretur, in gratiam redire jussit, sed evasit hoc malum post obitum Rodolphi in luctuosissimum bellum; sub Imperio Adolphi Nassoviensis, ut dicetur. Peucer. fol. 1049, &c. Italiam Rodolphus ingredi noluit, sæpè usurpans illud Horatii, Quia me vestigia terrent, &c. Ut tamen æquiores haberet civitates Italiæ quæ erant in fide Imperatoris, contra molitiones Nicolaï Pontificis, qui cognatos suos Italiæ reges creare conabatur, civitatibus illis quædam imperii jura vendidit, deinde verò ut Pontificem placaret, & communi tranquillitati consuleret, Romandiolâ seu Exarchatu cessit, id quod valdè improbatum & culpatum est, siquidem ex hoc tempore Pontificum autoritas ac potentia in Italia eò accrevit, ut imperatoria dignitas fermè exspirarit, præsertim Gibellinorum & Guelphorum odiis horren-dum

Ottocarus Boëmus violat jus legatorum.

Ottocari perfidia & obitus, cui in regno Boëmiæ succedit filius Wenceslaus.

Rodolphi filio Alberto traditur Austria, unde Duces Austriaci.

Latrocinia per Germaniam tolluntur.

Dissidium inter Albertum Thuring. Landgr. & hujus filios.

Rodolphus εἰρήνην voluit cudere, cudit ἔριν.

Rodolphus Italiam attingere noluit, unde Pontifices ferociores facti. Rodolphus quædam jura imperii vendit civitatibus Italiæ.

dum augescentibus. Peuc. fol. 1041. Præter Italiæ neglectionem in Rodolpho culpatur etiam πλεονεξία, non solùm quòd jura Imperii Italicis civitatibus vendidisset, sed etiam quòd in divisione provinciarum Germaniæ more Leonis Æsopici partes pinguiores & opulentiores sibi vendicasset. Tandem quum ætatem sentiret ingravescentem, peractis Erphordiæ Comitiis, à principibus petiit, ut filium Albertum crearent Imperatorem. quod quum frustrà petiisset Francofurti, ægritudine correptus Spiram deferri voluit, sed in itinere decessit in oppido Germersheim. Habsburgensis arx in agro Tigurino sita est, extructa à Rapotone nepote Guntrani *a* Aldenburgensis Comitis. Sextus ab hoc Rapotone numeratur Albertus filius Rodolphi Imperatoris. Vide Peucer. fol. 1044. Porrò conjugem habuit Rodolphus Annam Comitem Hohenbergensem, ex qua suscepit inter alios filios Albertum Austriæ Ducem, qui post Adolphum Nassoviensem Imperator factus est, & Rodolphum Ducem Sueviæ, cui ex filia Ottocari Boëmi natus est filius Johannes, qui Albertum patruum interfecit. Plures etiam filias habuit, ex quibus Jutta nupsit Wenceslao Boëmo Ottocari filio.

Rodolphi πλεονεξία.

Rodolphus filio Alberto frustrà petit imperium.

Rod. obitus.

a Hic Guntranus vixit circa annum Christi 950.

Rodolphi familia.

Synchronismus.

1. Romæ successivo ordine octo fuerunt Pontifices: Gregorius x, Innocentius v, Adrianus v, Johannes xxi, Nicolaus iii, Martinus iv, Honorius iv, & Nicolaus iv. Interregni tempore Gregorius x hortatus est Germaniæ principes, ut Imperatorem eligerent, quod nisi facerent, se caput idoneum esse procuraturum. Innocentius sedit menses 5, Adrianus mensem unum, Johannes menses 8. Nicolaus iii crescentem Rodolphi Imp. potentiam valdè habuit suspectam, idcirco quo maturè illam retunderet, renovavit decretum de recuperanda armis terra sancta, quæ tunc in eo erat discrimine, ut postea, nempè anno Christi 1290, universa in potestatem Ægyptiorum venerit. Romandiolam, Ravennam & Exarchatum ab Imperatore accepit eâ conditione, ut sumptus ad bellum sacrum contra Saracenos præberet: Romam ipsam in suam potestatem redegit. Martinus iv, qui ab anno Christi 1281 sedit annos 4, excommunicavit Petrum.

Octo Papæ.

Gregorii x insolentia.

Nicolai iii decretum de bello sacro.

Martinus iv excommunicat regem Arragoniæ.

PetrumArragoniæ &Siciliæ regem,regnumque ejus tradidit Valesio regi Galliæ & sororis Petri filio, ut ex Palmerio refert Dresserus fol. 120. Honorius IV legatum misit in Germaniam ad conventum Imperii Wurtzburgensem,& flagitavit nervos belli sacri,videlicet quartam partem omnium redituum in Germania ad annos 4. Legatus Pontificius fuit Episcopus Tusculanus, cui Tulensis Episcopus præsente Imperatore respondisse fertur, Germaniam deinceps Pontifices in sui perniciem non esse armaturam, & præterea tragicâ, verissimâ tamen oratione scelera, fraudes, tyrannidem, avaritiam,superbiam & sævitiam aulæ Romanæ ostendisse ac exaggerasse. Peuc. fol. 1040. Habita est hæc Synodus Wurtzburgi anno 1287.

Conventus Herbipolensis. Honorius IV petit quartam partem redituum in Germania, sed frustrà.

2. Obierunt anno Christi 1274 S. Bonaventura in concilio Lugdunensi, & Thomas Aquinas Dominicanus quum ad concilium Lugdunense proficisceretur. Hic ad extremum Eucharistiam sumpturus Dominum Jesum flendo rogavit, ut si minùs recta fuissent quæ de universa Ecclesia scripsisset, veniam daret. Bonaventura canonizatus est anno 1482,Thomas verò anno 1323.

Obitus Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis.

3. In Oriente Constantinopolitanus Imperator post Michaëlum Palæologum factus est filius Andronicus Palæologus, qui cœpit imperare anno Christi 1283,& imperavit annos 48. Imperator fuit ignavus & infelix, & propter domestica dissidia, quum negligeret res Asiaticas, Turcis commodissimam occasionem suas res agendi ac promovendi dedit. Horum enim potentia continuo progressu in omnem sese Asiam anteriorem incredibilibus successibus extendit, adeò ut partas armis provincias septem principes inter se dividerent, quos universos paulò pòst Ottomannidæ oppresserunt, ut dicetur. Conduxit Andronicus adversus Turcos primò Alanos,(quos Massagetas seu potiùs Getarum reliquias esse Gotticus sermo ostendit) quibus oppressis Scythæ Tartari tristem servitutem imposuerant, cujus illi impatientes magno numero se contulerunt ad Andronicum, ut hujus permissu obtinerent novas sedes, sed Andronicus armavit eos contra Turcos, sed infelici eventu. Attraxit quoque Andronicus contra Turcos Rogerium Lauriam, qui in Sicilia Arragonicæ classi contra Gallos Andegavenses præerat. Hic Rogerius sibi adjungebat collegam

Andronicus Palæologus.

Turcorum successus.

Alani.

Rogerius Lauria.

Pirin-

Piringerium Tenzam. Hi profecti in Asiam aliquot secundis præliis contriverunt Turcos, sed quum justo tempore eis non solverentur stipendia, ex amicis hostes facti sunt, & provincias Græcorum horribiliter vastare cœperunt. Interfectus est Rogerius à Gregorio Alano, cujus filiam interfecerat. Piringerius à Genuensibus captus & trucidatus est. Ex prima conjuge quæ Pannonia fuit genuit filios Micaëlum Imperatorem & Constantinum Despotam; ex altera Irene, quæ fuit filia Marchionis Montisferrati, genuit filios Johannem, Theodorum & Demetrium, quos ambitiosa mater conatu omni Micaëlo anteferre studebat, sed frustrà. Fecit enim Andronicus filium Micaëlum imperii consortem, qui ex conjuge Maria Armeniaca filios duos suscepit, Andronicum juniorem & Manuelem Despotam. In hunc Andronicum nepotem avus fuit indulgentissimus magno cum suo malo. Licentiâ enim efferatus auxiliis Genuensium per seditionem imperium invasit occupatâ Thraciâ & urbe Constantinopoli. Multos annos varium & anceps bellum cum avo gessit, donec junior seniorem ætatis vitio cæcutientem in monasterium compulit, in quo reliquum vitæ exegit. Plura apud Peuc. fol. 1078 & seqq. Item apud Dress. fol. 528.

Andronici familia.

Andronici filius Micaëlus patris socius in imperio.

Andronicus nepos Andronicum avum compellit in monasterium.

4. Regni Hierosolymitani reliquias in Palæstina, Phœnicia & Syria Christiani amiserunt. Nam Sultanus Ægypti expugnarat Tripolim, Sidonem, Berytum, Tyrum & alia aliquot oppida. Restabat Christianis sola Ptolemaïs arx belli, de cujus imperio dum intempestivè inter sese certabant Patriarcha Hierosolymitanus, Reges Cyprius & Siculus, Milites familiæ Templi, Hospitales & Teutonici, opprimuntur in ipsa urbe obsidione, quam quum duos menses sustinuissent, clam navibus conscensis aufugerunt. Desertam urbem Sultanus Melech Sapherates (id est, rex illustris) funditùs delevit anno à victoria Godefridi Bulionei 196. Christiani qui urbem reliquerant in Cretam fugientes naufragio perierunt. In Asia sola Armenia minor, quæ olim Cilicia dicta fuit, retinuit professionem Christianæ religionis; reliqua Asia ad Mahometicas blasphemias redit ut canis ad vomitum. Ita ignaviâ, perfidiâ & diffidiis perditum est quod virtute & concordiâ majorum fuerat acquisitum. Bucholtzerus hanc calamitatem refert ad annum Christi 1290.

Christianis eripitur regnum Hierosolymitanum, & ad Mahometicas blasphemias transfertur.

1290. Vide Peucer. fol. 1045.

5. In Tartarorum regno Magio Cani successit Gobellus, aliàs Cobila Can, quo imperante Benedcclar, aliàs Bendocader, Ægypti Sultanus, absente in Tartaria rege cœptum bellum pertexuit, & Antiochiâ receptâ subitâ impressione Armenios & Turcos, qui Tartaris serviebant, tentavit. Sed Absaga, aliàs Abaga, Dux feliciter arma Ægyptia ab utrisque depulit, excisis oppidis Turcicis quæ ad Saracenos defecerant. Idem Absaga reversus ad bellum Syriacum præmisit in Syriam Mundogamorem fratrem, Armeniacis subsidiis auctum, qui congressum secum Melecsaitem Sultanum difficili prælio repressit. Sed nondum confecto bello ob animi imbecillitatem imperfectâ non contentus victoriâ reduxit exercitum. Cedenti instabat Sultanus, in quem moturus Absaga consilio Sultani veneno tollitur, anno Christi 1282. Obtinuit deinde principatum frater Tanogadorus, homo infensus ac invisus Christianis, quod abjectâ Christianâ religione ad Mahometem desciviſſet, & sese Mahomet Can appellari jussisset. Hic cum Sultano Ægyptio fœdere inito, quum Christianos crudelissimo odio, disjectis eorum templis, persequutus esset, nondum expleto biennio à nepote suo Argone captus, & mox per medium dissectus suæ impietatis ac sævitiæ justissimas pœnas persolvit. Argon statim ab initio sui principatus Christianorum templa denuò instaurari jussit, eosque mirificè dilexit, sed vix quadriennium superstes in fratrem Regaytum regnum transtulit, hominem Epicureum, cui subditi propter ignaviam chordâ arcus guttur eliserunt, & in locum ejus surrogarunt Baydonem, aliàs Battum, ob curam & amorem religionis charum, Saracenis verò exosum, qui propter duorum superiorum regum studia plurimùm creverant. Factum est hoc anno Christi 1240. Peucer. fol. 1024. & Mellif. parte 3. fol. 284.

Cobila Can. Ægyptii contra Tartaros. Tanogadorus. Argon Tanogadori nepos. Christianorum amicus. Regaytus. Baydon.

6. In Polonia post Boleslaum Pudicum regnavit anno Christi 1279 Lescus Niger, frater Boleslai. Hic Lescus primùm multa passus est à Tartaris Russiam & Poloniam miserabilem in modum vastantibus; deinde Russiæ principis Leonis superbiam fregit, & Lituanos magna cum internecione delevit. Dress. fol. 618.

Lescus Niger.

7. In Ungaria post Belam IV regnat filius Stephanus annis duobus. Ottocarum Bohemorum regem domuit,

Stephanus.

muit, & Bulgarorum regem cum Mysia universa tributarium fecit. Huic successit anno Christi 1277 filius Ladislaus IV, qui regnavit annos 13, interfectus deinde in quodam castello. Post hunc regnavit Andreas III, nepos Andreæ II, annos 11, & Austriam in potestatem suam redegit. *Ladislaus IV.* *Andreas III.*

8. In Gallia regnare cœpit anno Christi 1285 Philippus cognomento Pulcer, & regnavit annos 29. Fuit filius Philippi III. Ab hoc Philippo Pulcro historiam suam Gallicam auspicatur Froissardus. *Philippus Pulcer.*

9. In Angla post Henricum III magno populi applausu rex coronatus est filius Eduardus I, anno Christi 1273, & regnavit annos 35. *Eduardus I.*

10. In Sicilia memorabilis accidit historia anno Christi 1282. Urbanus IV Pontifex, ut suprà est commemoratum, contra Manfredum tempore interregni in Italiam attraxerat Carolum Andegavensem, quâ occasione in Siciliam introducti sunt Galli, qui jam per annos 14 præsidiarii ibi hærebant. Horum tandem petulantia, crudelitas ac scortationum ac adulteriorum immoderatio Siculis cœpit esse gravis ac intolerabilis. Fuit quidam Johannes Prochyta, insulæ Prochytæ dominus, cujus uxorem Galli vitiaverant, & facultates eripuerant. Hoc igitur duce proceres regni Siciliæ communicatis consiliis cum Nicolao IV Papa, qui Carolo Andegavensi erat infensus, cum Johanne Palæologo Imp. orientali, & cum Petro Arragoniæ rege, Manfredi genero, conveniunt de Gallorum imperio excutiendo, & Siciliæ regno in Arragonios transferendo. Res agitata est totum biennium callidè & occultè, usque ad eum diem quo consilium effectui dederunt. Ita convenerat, ut die 30 Martii, quum signum campanâ daretur ad preces Vespertinas, omnes Siculi per totam Siciliam Gallos nihil tale suspicantes invaderent, & ad unum omnes trucidarent, quod ita peractum est. Nam intra duarum horarum spacium omnes Galli ad internecionem trucidati sunt, infantibus etiam, quos Siculas uxores è Gallorum compressione concepisse suspicabantur, ex utero materno exsectis & ad saxa allisis, ne quid scilicet Gallici sanguinis superesset. Cæde hâc confectâ Carolus Andegavensis ex Sicilia ejectus, & Petrus Arragonius, qui in Africa ad Hipponem eventum Siculæ conspirationis præstolabatur, accersitus *In Sicila Gallorum petulantia miro consilio vindicatur. Johannes Prochyta.* *Vespera Sicula.*

Sicilia pervenit ad Hispanum. cersitus insulam deditione procerum occupabat. Eo modo regnum Siciliæ ad Hispanum pervenit. Scribitur 8000 Gallorum hâc clade perempta.

ADOLPHUS NASSOVIENSIS.

Fuit hic Adolphus Comes Nassovicus, qui sub Rodolpho Imp. ordines duxit, & patrem habuit ὁμώνυμον. Alii patri nomen fuisse dicunt Walrabo, qui fuit filius Henrici Divitis. Com. in Nassau. qui apud eundem Rodolphum Imper. præfectum egit prætorii qui nunc est judex Cameræ. *Adolphus quâ occasione Imperator factus.* Ob nobilitatem generis & bellicæ virtutis specimen sub Rodolpho editum Imperio non fuit indignus, nisi deinde per avaritiam à pristina virtute degenerasset. Post obitum Rodolphi Imp. magnam successionis spem conceperat Albertus filius, Austriæ Dux, sed Moguntinus Archiepiscopus Gerhardus ab Eppenstein propter cognationis vinculum, & quòd videret sine suo consilio Adolphum nihil in Imperio acturum, suffragandi jure per fraudem ad se tracto Imperatorem renunciavit hunc Nassoviensem comitem, refragante uno Ludovico Palatino, qui ad Albertum Austriacum inclinabat. Cœpit imperare anno Christi 1292, & imperavit annos 6 & aliquot menses. *Anno Christi 1292.* Æmulum quum infensissimum haberet Albertum Austriacum, hujusque potentiam metueret, gratiam aliquam tentavit, filiam ejus filio suo in matrimonium petendo, quâ tamen spe excidit, unde odia aucta & magis exasperata tandem in apertum bellum sese effuderunt. *Bellum inter Adolphum & Albertum Austriacum.* Exosus quoque factus est Adolphus toti imperio, quòd contra Imperatoriam dignitatem Eduardo Angliæ regi contra Galliæ regem bella gerenti operam mercenariam stipendio 100000 aureorum condixisset, & quidem malâ fide. *Adolphi αἰσχροκέρδεια καὶ πολυπραγμοσύνη.* Hoc enim πολυπραγμοσύνη variis adversationibus implicatus, & ab Alberto Thuringiæ Landgravio, qui contra filios Fridericum & Ticemannum bellum gerebat, spe potiundæ Thuringiæ accitus, pecuniâ quam ab Anglo acceperat in bellum Thuringicum collatâ, principum odia ita in se concitavit, ut tandem Imperio exueretur. Etenim & dictu & auditu erat turpissimum, quòd Anglicanâ illâ pecuniâ ad Thuringiæ emptionem contra datam fidem abuti voluit, & contra

omne

omne jus legitimos hæredes expellere, atque ita iniquissimum patrem Albertum in sua ἀστοργία juvare. Quod certè nihil erat aliud quàm publicam pacem turbare. Historiam hujus Thuringici belli vide apud Peucerum fol. 1049 & seqq. Porrò quum jam Adolphus in odio esset omnium, Moguntinus, cujus astutâ fraude ad imperium erat evectus, impulsο ad capessendum imperium Alberto Austriaco, ipsum Imperio dejicit. Dejectus omni studio ultionem meditatur & Alberto bellum minatur. Res ad arma devenit. Committitur in agro Spirensi acre prælium, in quo Adolphus occubuit Alberti manu confossus, quod accidit mense Julio anno Christi 1298.

Adolphus publicæ pacis turbator incurrit in odium omnium, & imperio dejicitur.

Adolphus in prælio ab Alberto interficitur.

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt Cœlestinus V, & Bonifacius VIII. Cœlestinus ab anno Christi 1294 sedit menses quinque, & postea, ut fuit homo simplex & religiosus, fraude ac deceptione Bonifacii VIII Pontificatu discessit, eique Bonifacius hic successit eodem anno, seditque annos 9. Homo bipedum nequissimus, & in flagitiis ornamentum Antichristici regni. Ut Pontificatum consequeretur, subornavit quendam, qui noctu ad Cœlestini cubiculum accederet, & per foramen parietis insertâ arundine aliquoties hæc verba dormienti insusurraret. Cœlestine, si vis beatus esse Pontificatum depone. Bonus ille Cœlestinus religione ductus Pontificatu sese abdicavit, & locum Bonifacio concessit.

Bonifacius VIII Papa nequissimus. O elegantem Petri successorem.

2. In Polonia Primislaus majoris Poloniæ Dux electus est Polonorum rex anno Christi 1295, & septimo mense pòst à Marchionibus Brandeburgensibus Othone longo & Johanne ex insidiis oppressus in convivio occisus est. Successorem habuit Vladislaum Locticum, qui fuit ex stirpe illius Boleslai, qui Stanislaum interfecit. Primò principis titulo contentus coronatus est anno 1320. Nam adversus eum electus fuerat ab aliquibus Wenceslaus Boëmiæ rex, qui Cracoviam munivit. Hoc mortuo iterum æmulus regni à quibusdam designatus est Henricus Glogaviensis Dux, quo defuncto solus rerum potitus est Vladislaus, qui non tam bonus bellator fuit quàm paterfamilias. Dresf. fol. 619.

Primislaus.

Vladislaus Locticus.

3. Inter Eduardum I Angliæ & Philippum Pulchrum Galliæ

Bellum.

inter Eduardum I Anglum & Philippum Pulcrum Gallum. Bellum componitur & pax matrimonio firmatur. Galliæ regem bellum exortum est anno 1293 propter naves aliquot in Normannico littore interceptas. Anno sequente Eduardus Adolpho Germanorum Imperatore in suas partes pertracto expeditionem in Galliam parans Wallorum & Scotorum rebellione impeditur. Postea anno 1295. Eduardus in Flandriam trajicit, ubi cum Philippo Gallorum rege biennii inducias componit Fit tandem pax inter hosce reges, ubi Aquitania Anglo est restituta, & Margareta Philippi soror Eduardo desponsata, anno 1298. Jovius.

ALBERTUS AUSTRIACUS.

Fuit filius Rodolphi Habsburgensis, qui Moguntini impulsu sese opposuit Adolpho, eumque in prælio victum manu confodit. *Alberti infelicitas.* Parum felix in Imperio fuit, & referunt scriptores, quòd socii ejus, qui unà contra Adolphum conspirarunt, omnes miserabiliter perierunt, scilicet memorabili exemplo divinæ justitiæ ac vindictæ defendentis magistratum contra eos qui magistratum violant. Utut enim Adolphus sua habuerit vitia, fuit tamen unctus Domini. Ad arma igitur injusta impulsus mox à victoria insignem fortunæ mutationem est expertus. *Anno Christi 1298.* Cœpit imperare anno Christi 1298, & imperavit annos 10. *Pompa inauguralis.* Solenni festivitate ab universis VII viris imperium sibi tradi voluit, quod etiam adiit eodem mense quo Adolphus cecidit, & quidem in tanto hominum concursu, ut Saxoniæ Dux fuerit oppressus. *Otho Bavarus reconciliatur Alberto.* Prima Comitia Noribergæ pro more celebravit, ubi conjugis intercessione in gratiam rediit cum Ottone Bavarorum Duce, qui avunculum illius Comitem de Hairla interfecerat. *Αὐχεφιλία.* Sed fuit λυχοφιλία. Otto enim evocatus ad regnum Ungariæ impetum fecit in Stiriam armatâ manu in Ungariam descensurus. Hoc quum prohibere vellet Albertus, recruduerunt bella inter Austriacos & Bavaros, & quæ Alberto fuerunt cum Ottone Bavaro, quem Conradus Salisburgensis Episcopus de accessu ad regnum Ungariæ adjuvabat, ea induciis quandoque interrupta fuerunt, sed sopita nunquam utrique magna damna dederunt. *Et armis & veneno pugnatur.* Neque armis tantùm inter hos, sed & veneno pugnatum fuit, ausu & exemplo nomine Germanico indigno. Alberto venenum paratum ac propinatum esse constat artibus, ut fama

ma erat, Salisburgensis Episcopi, cujus partem aliquam licet medicorum curâ per vomitum ejecisset, reliquiæ tamen eum ita afflixerunt, ut alterum oculum corruperint, ipsumque totum corpus pallore & macie deforme effecerint. Plura bella domi gessit, & duodecies acie conflixisse traditur, sed impari fortunâ, nec semper justas bellorum caussas habuit, ut qui non tam publicam pacem quàm privatas opes quærebat. In bello Thuringico, in quo Adolphus ad partes Alberti Landgravii contra filios Fridericum & Ticemannum accesserat, Friderico spem fecerat pacis cum patre Alberto, sed fallaci consilio. Quum enim videret Mysorum regionem opportunam esse gerenti bellum cum Boëmis, satis ostendit se cum exercitu ex Suevis, Bavaris & Boëmis collecto cupiditatem & spem adferre occupandæ Mysiæ & Thuringiæ. Nam Fridericum in convivium ab Imperatore accersitum miles quidam stricto gladio petivit, cujus ictum sui corporis objectu impediverat civis quidam Fribergensis, ut Fridericus sese subducere posset, ac licet Imperator sese purgabat, suspicio tamen erat fuisse sicarium subornatum. Excidit igitur spe suâ Imperator, cujus exercitus ad oppidum Luccam à fratribus Friderico & Ticemanno partim trucidatus, partim profligatus est, ut proverbium factum sit de clade alicujus Superbi: Accidit eis quod Suevis ad Luccam. Tentavit etiam Albertus Ungariæ & Boëmiæ regna, quorum illo excidit, hoc filio Rodolpho obtinuit, quum Wenceslaus VII per seditionem in Moravia esset trucidatus. Sed Rodolphus mox quasi in primo limine regni fraude in cubili obtruncatus est, & Boëmiæ regnum arripuit Carinthiæ Dux Henricus, gener Wenceslai VI, excluso Friderico Alberti Imp. filio, unde novum bellum extitit, quod quidem inchoavit Albertus, sed non confecit, violentâ morte præventus, interfectus scilicet à fratris Rodolphi filio Johanne, Sueviæ Duce, cui tanquam prodigo Sueviæ administrationem ademerat. Factum est hoc parricidium non sine consilio & opera quorundam Baronum. Sed Johannes Dux initium cædis fecit sicâ in jugulum Imperatoris adactâ: cæteri secuti caput dissecuerunt, medium & pectus confoderunt. Acciderunt hæc Alberto, quum jam Rhenum trajicere vellet, ingressurus in Bohemiam cum exercitu 3000 equitum & 50000 peditum. Parricidæ profugi partim

Alberti bella non semper justa.

Alberti dolosum consilium in bello Thuringico.

Albertus tentat etiam regna Ungariæ & Bohemiæ.

Novum bellum ex translatione regni Boëmici.

Alberti interitus.

Pœna in-

ferfectorum Alberti. tim perpetui carceris pœnâ, partim suppliciis gravissimis mulctati sunt. Johannes Dux, primarius parricida habitu eremitarum ceu quodam reatus signo ad perpetuos carceres in Pisano eremitarum cœnobio condemnatus est, ut scilicet culpam usitato illius seculi errore vitâ monasticâ expiaret. *Duorum Impp. tragici exitus.* Habuerunt ergò tragicos exitus duo Imperatores Adolphus & Albertus, quos avaritia ad injusta arma impulit, ut occasione auxiliorum sublatis è medio justis hæredibus ipsi regionibus illis potirentur, more vulpeculæ Archilochi. *Fridericus Pulcher Alberti filius.* Reliquit Albertus numerosam sobolem, & inter alios Fridericum cognomento Pulchrum, qui deinde cum Ludovico Bavaro de imperio graviter certavit.

Synchronismus.

Bonifacius VIII bipedum sceleratissimus. 1. Pontifices Romæ fuerunt, Bonifacius VIII, Benedictus XI, & Clemens V. Quomodo Bonifacius ad papalem cathedram pervenerit, suprà dictum est. Sedit in ea usque ad annum Christi 1303, quo obiit. Alberto Imperatori solennem renunciationem petenti, furens ambitione, & gladio femur accinctus, barbaricâque jactantiâ se & Imperatorem & Pontificem esse ratus, ostensis duobus gladiis cum acclamatione: *Ecce hic duo gladii.* Ecce hic duo gladii, professus initio denegavit, mox conversâ voluntate sponte obtulit, idque odio Philippi Pulchri Galliarum regis. *Odium inter Bonifacium P. & Philippum Pulchrum Galliæ regem.* Odii caussa fuit, quòd Philippus Pontificis vasallus esse nollet, ejusque imperata detrectaret. Hoc enim moliebatur Papa, ut Galliæ reges, quoties liberet, Pontificibus præstò essent pecuniis & armis, & nulli eligerentur reges nisi Pontificum calculo approbati. Obstitit Philippus huic conatui omni studio, quocirca à Papa excommunicatus est, quod anathematis fulmen quum Philippus rideret, novum invenit Pontifex consilium. *Papa frustra sollicitat Imperatorem contra Gallum.* Albertum Imperatorem, quem antea diris devoverat, amplexus, Apostolicâ potestate (miram potestatem) donat insignibus ac titulo regum Franciæ, eumque ad bellum quo regnum assereret contra Gallos incitat. Quid fit? Philippus dolum Pontificis animadvertens jungit sibi affinitate Albertum Imp. cujus filio Rodolpho filiam Blancam collocavit, atque ita non solùm elisit brutum anathematis fulmen, sed etiam omnes reditus intercepit

ne ex

ne ex Gallia Romam deferrentur. Insuper indicto concilio Papam hæreticum pronunciavit, &, quum Papa Anagniæ esset, per Sarram Columnensem exulem & Longarretium equitem Francum comprehendi jussit & in carcere necari, exemplo vindictæ in Pontificem novo sed justissimo, quo cupiditas Pontificum fuit sic restincta, ut Galliam appetere desierint. Parentatum ferunt Papæ Bonifacio VIII hoc modo: Intravit ut vulpes, regnavit ut lupus, mortuus est ut canis. Primus fuit ex Papis qui instituit celebrationem Jubilæi anno Christi 1300, ubi plenam delictorum omnium indulgentiam & remissionem præstabat visitantibus Romæ limina Apostolorum Petri & Pauli, & eandem indulgentiam statuit inposterum omni anno centesimo. Scilicet solennitas fuit quæstuosissima. Vide Dress. fol. 121. Peucer. fol. 961. & 1059. Mellific. parte 3. fol. 341. Bonifacio VIII successit Benedictus XI, qui ab anno Christi 1303 sedit menses 9, & mox successorem habuit Clementem V, qui ab anno Christi 1305 sedit annos 8 & menses 10. Ejus coronationi interfuit Philippus Galliæ rex, Carolus Philippi frater, & Johannes Britanniæ Dux, ubi in circumductione pompæ per urbem, quum pinna muri ob populi incumbentis pressuram corruisset, Dux Britanniæ oppressus interiit, Carolus regis frater debilitatus est, & ipse Pontifex in turbam adeò est deturbatus ut mitrâ ex capite excussâ jaspidem preciosissimum amiserit. Fuit hic Pontifex natione Gallus Vasco, & quia operâ & studio Philippi Gallorum regis Pontificatum adeptus erat, sedem pontificiam transtulit in urbem Galliæ Avenionem, ubi mansit per annos continuos 70 usque ad Gregorium XI, à quo Romam reducta est anno Christi 1377. Hæc est continua illa successio Romanæ sedis, scilicet. Interea temporis Pontifex Romam per tres Cardinales tanquam per consules gubernavit.

2. Ex scholasticis Doctoribus hoc tempore celeberrimus fuit Johannes Duns Scotus, ordinis S. Francisci Monachus, Doctor subtilis appellatus. Inprimis curam & stu-

Gallus Papam Bonifacium in carcere enecat. Bonifacii VIII parentatio. Primus annus jubilæus mirâ arte quæstum faciendi à Bonifacio VIII excogitatus. In veteri Testam. anni jubilæi usus erat planè politicus, quo fiebant redemptiones oppignoratorum bonorum, sed Papa usum instituit ecclesiasticum in redimendis per indulgentias certâ pecuniâ peccatis. Peucer. fol. 1153.

Benedictus XI. Clemens V. Tragica solennitas in coronatione Papæ Clementis V. Clemens V transfert sedem Papalem Avenionem urbem Galliæ. Johannes Duns Scotus, unde Scotistæ.

& studium adhibuit ad illustrandum P.Lombardum [Sen]tentiarum magistrum. In hoc enim uno, tanqua[m ca]none & norma fidei, explicando Scholastici Dd. ita [se ge]runt occupati, ut Romana decreta divinis senten[tiis] regulis præferentes, & sacram Scripturam ad Ponti[ficum] decreta inflectentes magnum Pontificiæ tyrannidi [att]lerint adjumentum. Ex una enim hac hypothesi o[mnia] detexunt: Nullum dogma est recipiendum inter a[rticu]los fidei, nisi sit approbatum ab Ecclesia. quo no[mine] Romanam seu Papisticam intelligunt. Sanè quanq[uam] Ecclesiæ commendata sunt judicia de dogmatibus, [ta]men alligata est ad normam Prophetarum & Aposto[lo]rum scriptis comprehensam. Nec enim concessum est Ecclesiæ interpretationes pro suo arbitratu cudere, aut politicorum judiciorum κανονζηλία nova dogmata, præter Scripturæ sacræ autoritatem comminisci. Porrò hic Johannes Duns opposuit sese Thomæ Aquinati, unde postea inter Dominicanos & Franciscanos perpetuæ fuerunt rixæ, ut illi Thomistæ, hi Scotistæ dicerentur, & quum Thomas vocabula, Scotus verò res in prædicamentis collocaret, factum est ut Thomistæ Nominales, Scotistæ verò Reales appellarentur. De morte Scoti variant scriptores. Alii narrant ipsum apoplexiâ subitò extinctum, alii à discipulis, qui in mortem ipsius conspirarant γραφείοις confossum esse. Mortuus autem est Coloniæ anno Christi 1308, anno à morte Thomæ Aquinatis 34.

Scholastici Dd. ex Petro Lombardo Pontificum decreta extollunt supra sacram Scripturam. Hypothesis contra autoritatem S. Scripturæ. Scotus opponit sese Thomæ, unde Monachorum secta, Scotistæ & Thomistæ; illi Franciscani, hi Dominicani; illi Reales, hi Nominales. Scoti mors.

3. In Tartarico regno contra Battum Christianæ religioni addictum à Saracenis accersitur Casanus Argoni filius, quod crederetur adhærere Mahometico dogmati, Batto sive deserto sive interempto à Saracenis. Hic Casanus mox abjectâ, quam simularat, Mahometis doctrinâ, Christi nomen amplexus & professus est, bellumque Syriacum instauravit non sine singulari felicitate, ejecto è Syria & profligato Ægyptio Sultano Melecmaser. Peuc. fol. 1024. & Mellif. parte 3. fol. 285.

Casanus Tartarorum rex.

4. Turcici regni initium à plerisque scriptoribus sumitur ab anno Christi 1300. Tunc enim Turcarum nomen atque imperium frequentari & usurpari cœpit, duce vel autore Osmanno vel Ottomanno, qui primus, quum per annos 10 rapinis & prædationibus ditatus esset, occupatâ Bithyniæ parte & locis Ponto Euxino adjacentibus,

Turcici regni initium & incrementum. Ottomennus, unde Ottomanidæ.

Tur-

Turcorum rex est appellatus anno Christi 1300, & imperavit annos 28. Inter nobilioris Scythici sanguinis familias, quæ sese adversus finitimos conjunxerunt, celebrati etiam sunt Ogucii, ex quibus Orthogules seu Ertugules pater & hujus filius Ottomannus armis penè invictis, & conatibus stupendis tantum autoritatis & potentiæ consecuti sunt, ut, cæteris citra contentionem principatu cedentibus, soli deinceps imperarint, & patre defuncto filius Ottomannus primus regium titulum seu Imperatoriam dignitatem assumpserit. Hoc Ottomanno imperante 8000 Turcorum in Europam irruperunt. Hinc Turcici Imperatores Ottomannidæ dicti sunt. Reliquit tres filios, quorum minimus natu Orchanes occupatis militum animis regnum obtinuit, reliquis duobus cæsis, qui inter se quoque discordes erant. Plura apud Peuc. fol. 1099, &c. Mellif. parte. 3 fol. 326 & seqq. *Turcorum in Europam irruptio. Orchanes Ottomanni filius.*

5. Ungaria magnum sui mutationem sustinet hoc tempore. Vix enim ab exagitationibus Tartarorum respirarat, quum extinctâ Beati Stephani posteritate, quæ jam per annos ferè 332 regno præfuerat, in Andrea III, Ungari divisi in factiones exteros reges & quidem plures simul accersiverunt. Alii ad Carolum Neapolitanum regem, qui sanguine materno veteres reges attingebat; alii ad Wenceslaum Boëmum; alii ad Ottonem Bavariæ Ducem se contulerunt. Inter hos vario marte pugnatum est, sed Neapolitanus regnum obtinuit, quod post filium devenit ad alienos Nec deinceps quisquam ad regnum pervenit præter Matthiam Huniadem, de quo videre licet sub anno Christi 1458. Teneatur igitur anno Christi 1301 regnasse in Ungaria Wenceslaum (vel Ladislaum) regis Bohemiæ filium, quem pater non multò pôst propter dissensionem Ungarorum cum exercitu in Boëmiam unà cum corona Ungariæ reduxit, in cujus locum Ungari regem sibi delegerunt Othonem Bavariæ Ducem, qui annos penè quatuor regnavit, & deinde captus à Vladislao Transsylvaniæ Waywoda in carcerem est detrusus, eique subrogatus anno Christi 1310 Carolus I rex Neapolitanus, (scil. hujus nominis in regno Ungariæ) qui regnum mirificè amplificavit, ut Dalmatiam, Croatiam, Serviam, Russiam, Bulgariam, Bosnam & alias regiones complexus sit. Dress. fol. 579. *Ungarici status mutatio. In Ungaria exteri reges poscuntur.*

Boëmici status mutatio. 6. In Boëmico etiam regno mutationes acciderunt. Nam ultimus ex ea gente Wenceslaus VII Ottocari nepos imperabat, quo obtruncato Austriaci & Carinthii de regni possessione contendebant. Sed utrisque exclusis regnum filio suo Johanni acquisivit Henricus Lucelburgensis factus Imperator. Hujus Johannis posteritas deinde cum Sigismundo Imperatore extincta est, & Boëmia ex diversis gentibus reges accepit crebris mutationibus, nullo ex suis ad fastigium admisso præter Georgium Bojebracium, qui Rex Boëmiæ factus est anno Christi 1441. Rediit tandem ad Austriacos. Sed de his infrà.

Henricus VII Imp. filium suum Johannem facit regem Boëmiæ.

Eduardo I succedit filius Eduardus II. 7. In Anglia Eduardus Walliæ princeps uxorem ducit Isabellam Philippi Pulchri Galliarum regis filiam, & quòd Scoti in libertatem sese vendicantes regem sibi dixissent Robertum Brusium, à patre in Scotiam mittitur, Scotosque fundit & fugat. Rex verò Eduardus Carleoli in Scotorum finibus moritur anno 1307, eique succedit filius Walliæ princeps Eduardus II, qui ab anno Christi 1308 regnavit annos 19, homo ingenio minùs honesto, propensus ad omnem luctum, auscultans delatoribus, maximè Spensoriis nobilibus. Vide Frossardum lib. 1.

8. In Gallia regnat Philippus Pulcher, de quo suprà meminimus. Ejus filia Isabella nubit Eduardo filio Eduardi regis Angliæ. Ex hoc conjugio natus est Eduardus III rex Angliæ, de quo multa apud Frossardum.

HENRICUS VII LUCELBURGENSIS.

Henrici VII familia. Fuit Comes Lucelburgensis, cujus genealogia ducitur à Lothario rege Austrasiæ & Lotharingiæ, fratre Lotharii I Imp. Est autem Comitatus Lucelburgensis portio Trevirorum. Post Alberti Imp. obitum in septimum mensem dilata fuit novi Imperatoris electio, sed interea temporis magnam de Imperio spem conceperat Philippus Pulcher Galliæ rex, eò quòd jam Pontificia sedes ad Gallos esset translata, unde factum ut Carolus Valesius Philippi Pulchri frater de hujus consilio adducto exercitu Pontifici vel invito imperium extorquere constituerit. Pontifex verò intelligens hanc mutationem tum Italiæ tum suæ hierarchiæ fore exitiosam, literis clam ad principes

Philippus Pulcher Galliæ rex affectat imperium.

cipes

cipes Germaniæ missis solennis electionis maturationem suasit. Eligitur ergò Francofurti hic Henricus VII, idque de commendatione Balduini Archiepiscopi Trevirensis fratris, quòd ejusmodi dotes ac virtutes in ipso conspicerentur, quæ ad vulnera Imperii sananda essent maximè idoneæ. Cœpit imperare anno Christi 1308, & imperavit annos 4 & menses 8. Ejus res partim in Germania partim in Italia gestæ maximè celebrantur. Germaniam pacatam reddidit, dum Wirtenbergensem comitem nova bella molientem armis coëgit ad quiescendum, & Fridericum Austriacum Alberti Imp. filium in Austriæ possessione eâ lege confirmavit, ut jure regni Bohemici cederet. Hoc ita peracto ex regno Boëmiæ ejecit procerum consensu Henricum Carinthium, & filium suum Johannem Boëmiæ regem creat desponsatâ ei Elisabethâ filiâ Wenceslai senioris, nepte Rodolphi Imperatoris. Hoc modo Boëmia Lucelburgensibus est subjecta. Thuringica quoque & Misnica bella sustulit hisce legibus, ut Fridericus (is scilicet qui dictus est cum admorsa gena, Peuc. fol. 1049.) Thuringicâ & Misnicâ possessione contentus inferiorem Lusatiam relinqueret Boëmis. Sic regnum Boëmiæ auctum est accessione utriusque Lusatiæ; & Misniæ ac Thuringiæ pax est restituta. Convertit sese deinde Imperator in Italiam, cujus status propter Gibellinorum & Guelphorum factiones & mutuas cædes erat turbulentissimus. Multa ibi feliciter licèt non sine discrimine egit. Longobardicas urbes, quarum aliæ à Guelphis aliæ à Gibellinis tenebantur, in deditionem accepit. Mediolani Guelphorum principes erant Turriani, qui ejecerant Vicecomites principes Gibellinorum. Ex Turrianis tum temporis principatum tenebat Guido, homo superbus & propterea civibus exosus. Ex Vicecomitibus exulem tunc agebat Matthæus. Hic quum ingredienti in urbem Imperatori dextrum cingeret latus & Guido ad sinistrum hærere juberetur, turbæ sunt concitatæ. Nam Guido Imperatorem sentiens à se alieniorem ac proinde dejectionem metuens concitato acri tumultu ipsum etiam Imperatorem in discrimen adduxit. Matthæus Vicecomes pro defensione Imperatoris cum equitum globo discurrens veteres clientes ad arma vocavit. In hoc tumultu plebs in Turrianos nihil tale metuentes convertit, eorumque domos

Henrici electio.

Henrici res gestæ per Germaniam.

Henricus filium Johannem creat regem Boëmiæ.

Thuringica bella composita.

Lusatia utraque adjicitur Bohemiæ regno.

Henrici res gestæ per Italiam.

Guelphi & Gibellini.

Mediolanum.

Contentio inter Guidonem Guelphorum & Matthæum Vicecomitem Gibellinorum

rum principem. *Matthæus Vicecomes primas tenet, & Henricus Imp. favet Gibellinis.* temporis momento expugnatus diripuit. Turrianis hoc modo urbe pulsis Imperator summæ rerum præfecit Matthæum Vicecomitem, & deinceps contra Guelphos semper favit Gibellinis. Postea Turrianorum socios, uti Cremonenses, Placentinos, Parmenses, Papienses & Brixienses compescuit. Lombardiæ administrationem commisit Wernero Comiti de Hohenberg, qui Guelphos ad arma reversos multis victoriis contudit. Porrò *Guelphi rebelles refelluntur* Florentini in Hetruria & Robertus Apuliæ Dux studebant partibus Gibellinorum; & Romæ Ursini per Robertum Apulum instigabantur contra Columnios, qui à Cæsare stabant, inter quos tanta erant odia, ut per tres *Ursinorum & Columniorum prælia horrenda intra urbem Romam.* menses quotidianis præliis decertantes plateas cæsorum sanguine compleverint, quod Imperator urbem ingrediens suis oculis magna cum commiseratione vidit. Sed succubuerunt tandem Ursini, & effecit Stephanus Columnius, ut solennis renunciatio Imperatoris, quæ fraude Cardinalium protrahebatur, maturaretur, quod factum est anno Christi 1312. Erat deinde Henrico ne- *Ursini succumbunt.* gotium cum Roberto Apulo & Florentinis. Illum Apulo & Campano regnis privavit, sed per sententiam. Hos, *Henricus Imp vindicat injuriam Apuli & Florentinorum.* ut & horum socios, qui erant Lucenses, Senenses, Bononienses & Ferrarienses, graviter afflixit, & graviùs afflixisset nisi morte fuisset præventus, & quidem morte plusquam luctuosâ. Etenim quum Roberto Apulo, quem proscripserat, cum exercitu obviam iret, horrendus casus consilium ejus impedivit. Nefariè necatur à Bern- *Henricus Imp. pane eucharistico veneno tincto necatur.* hardino quodam Monacho ordinis Prædicatorum per panem Eucharistiæ veneno infectum, quod factum est Beneconventi operâ & studio Senensium, vel, ut alii volunt, Florentinorum, à quibus Monachus ille ad hoc scelus fuit conductus. Uxorem habuit Margaretham Hen- *Henrici uxor & liberi.* rici Ducis Brabantini filiam, ex qua suscepit unum filium Johannem Boëmiæ regem & tres filias, quarum maxima *Papalis Cathedra in Gallia hæret.* natu Beatrix Carolo Ungariæ regi, altera Maria Carolo Pulcro Franciæ regi, tertia Rodolpho Palatino ad Rhenum nupsit.

Synchronismus.

1. In Gallia Pontifex fuit Clemens V, qui jam Româ discesserat Avenionem, ut suprà meminimus. Papa igitur

tur quum jam in Gallia hæreret, Viennæ indixit concilium anno Christi 1311, quòd biennium duravit. In hoc concilio probatæ & editæ sunt constitutiones Clementinæ, & confirmatum est festum corporis Christi ante annos 49 ab Urbano IV institutum, sancitumque ut feriâ quintâ post Pentecosten celebretur, & indulgentias habeant quotquot huic festivitati & panegyri intersunt. Est & memorabilis in hoc concilio constitutio de discendis linguis Græca, Hebræa & Chaldæa, necnon de comprobatis gradibus in Academiis. Postremò Templariorum ordo condemnatus est, qui jam ad annum Christi 1312 duravit ferme annos 184. Hunc ordinem in privato consistorio annihilasse scribitur Clemens V, & horum bona ac reditus hospitalariis D. Johannis, qui tunc vocabantur Equites Rhodii, tribuisse. Uno itaque die per universum orbem hic ordo deletus & exstirpatus est, & scribit Tritthemius, Templarios petente Philippo Pulchro Franciæ rege extinctos esse, eosque fuisse valdè divites, quorum possessiones ut Philippus sibi acquireret, crimen hæreseos imposuisse. Conspirarant in Templariorum interitum Philippus Pulcher & Papa, scilicet quòd magnitudinem potentiæ & opum illorum metuerent. Peuc. fol. 1063.

Concilium Viennense. Clementinæ constitutiones. Festum corporis Christi confirmatum per indulgentias. Græcæ & Hebraicæ linguæ studium. Gradus in Academiis. Templarii condemnantur.

2. In Tartarica historia legimus, Melecmaserem Ægyptium Sultanum à Casano in fugam conjectum, insequente ipsum Duce Molaine cum rege Armenio, venisse in deserta Ægypti, indeque revertentem ad obsidionem Hierosolymæ revocatum esse in Syriam propter defectionem Capeci, cui Casanus in Persiam regressus gubernationem Syriæ commendaverat. Infelix deinde fuit Casanus in suis expeditionibus, tum propter subitam de morbo suo famam, tum quòd aquarum inopiâ exercitus premeretur. Non multò pòst Casanus vitâ excessit relicto filio Carbagado imperii hærede, qui ex Christiano factus est Mahometanus, & suo exemplo multos ad defectionem à Christianismo abduxit. Peuc. fol. 1025. & Mellif. parte 3. fol. 285.

Casano patri in regno Tartarico succedit Carbagadus filius ex Christiano Mahometanus factus.

3. In Turcico imperio imperante Ottomanno clarissimæ urbes edomantur & occupantur in Asia, quibus successibus Ottomannus principibus cognatæ gentis & Græcis ingentem terrorem incutit. Per Orchanem filium Prusia Bithyniæ metropolis & Asiatici imperii ad Olym-

Turcici imperii amplificatio.

 pum

pum montem caput fame expugnatur. Mellif. parte 3. f.285. & Peuc. fol. 1101.

Ludovicus x Galliæ rex.

4. In Gallia Philippus Pulcher rex moritur anno Christi 1313, eique succedit filius Ludovicus x, cognomento Utinus, qui regnavit annos 2.


Franciscus Petrarcha.

5. Floruit hoc tempore Franciscus Petrarcha, philosophus, rhetor & poëta celeberrimus, literarum humaniorum instaurator.

LUDOVICUS BAVARUS.

Æmulatio inter Ludovicum Bavarum & Frid. Austriacum.

Post Henrici VII obitum in Imperio fuit interregnum in mensem usque 14. Moram hanc attulit duorum principum Ludovici Bavari & Friderici Austriaci vehementissima æmulatio de imperio. Ille Rodolphum Imp. habuit avum maternum; hic verò eundem avum paternum. Tabula hæc esto:



Mira dissensiones in electione Ludovici.

Inter Fridericum ergò & Ludovicum gravissima erat contentio, quæ in apertum bellum abiit, & quod erat deplorandum magis, ad electionem allati sunt ab Electoribus præoccupati animi, ut alii partibus Friderici, alii Ludovici partibus adhærerent. Quin & Rodolphus Palatinus Elector præterito fratre Ludovico suffragium tulit Friderico, id quod iniquissimè accepit Ludovicus, qui deinde Imperator factus Rodolphum fratrem patriâ expulit, qui post aliquot annos in Anglia obiit. Vicit tandem suffragiorum numero Ludovicus, & cœpit imperare anno Christi 1314, & imperavit annos 32. Creatus est nihilominus ab altera parte Imperator Fridericus, & quidem eodem die. Quumque Ludovicus coronaretur

Distractione sententiarum

tur Aquisgrani, in loco usitato; Fridericus coronationem accepit Bonnæ à Coloniense, minore tamen cum pompa & solennitate. Hoc igitur modo etiam Fridericus imperare cœpit eodem anno quo Ludovicus, & imperavit annos 5. Sic Germania in duas partes distracta est, quarum altera Ludovico studuit, altera Friderico. Præterea acciti quoque sunt exteri, ut Ungari, qui Fridericum defendebant, & Johannes Boëmiæ rex, qui odio Austriaci juvabat Ludovicum. Dimicatum est quinquies justis præliis. Quumque dolerent quidam principes, inter cognatos cognatum sanguinem sitiri, consilium pro publica pace ac tranquillitate invenerunt, ut Ludovicus & Fridericus veteri more collegæ essent paris autoritatis. Sed interturbavit hoc consilium Pontifex Johannes XXII, prætendens ad sese pertinere hoc negotium, & se esse judicem hujus controversiæ. Nulla igitur fieri potuit pacificatio. Abiit biennium post electionem sine dimicatione. Committitur prælium ad Essingam Sueviæ oppidum anno 1316, in quo tamen æquo Marte discessum est, utrinque partim captis partim interfectis multis nobilibus viris. Tandem anno 1323 Austriacus cum 10000 Ungarorum & 20000 Austriacorum Bavariam invadit, ubi quum peregrinæ gentes horrendum in modum vastationibus agrorum, direptionibus oppidorum, virginum ac matronarum raptibus grassarentur, Bavarus summâ celeritate contrahit vicina auxilia, suosque armat. Magna fit cædes utrinque, donec Ungari pulsi & dissipati sunt. Capitur Fridericus unà cum fratre Henrico, & Fridericus quidém dedidit sese Friderico Burggravio Noribergensi, Henricus verò traditus est Johanni Boëmiæ regi. Hinc major pars Germaniæ ad Ludovicum sese inflexit, qui bello hoc confecto moderatè usus est victoriâ, & quos habuit hostes veniâ donavit, omniumque injuriarum ἀμνηςίαν sancivit. Triennalis fuit Friderici custodia, ex qua dimissus fertur his conditionibus, ut liceret ei nomen Imperatoris usurpare, sed neque jus neque potestatem. Decessit Fridericus philtro extinctus anno 1330. Hâc victoriâ Ludovici potentia valdè fuit aucta, id quod Papam Johannem pessimè habuit, qui ut caussam haberet adversus Ludovicum, duo ei objicit crimina: 1. quòd Galeacio Mediolanensi contra Pontificios opem tulisset, ut Guelphi totâ Longobardiâ fue-

duo Impp. eliguntur, unde gravissimum bellum.

Factiones in Germania.

Papa Johannes XXII turbat consilium pacis ex arrogantia.

Prælium ad Essingam.

Ludovicus evadit victor & adversarii capiuntur.

Ludovici summa clementia & ἀμνησία.

Papa Ludovico invidet felicitatem, & quærit criminandi ansam.

Ludovicus respondet ad objecta crimina Papa.

fuerint ejecti. 2. quòd nondum confirmatus à Pontifice Imperatoris munus obeat. Respondet Imperator, se in electione jurasse defensionem justitiæ, ideoque se justam Galeacii caussam in se suscepisse, deinde se jam electum fecisse quod Imperatoris munus flagitat.

Papa impudens mendacium.

Pontifex impudenter rescribit Petro datam esse summam autoritatem etiam in politica gubernatione.

An Petro Apostolo data sit politica gubernatio.

De hac quæstione deinde passim motæ fuerunt disceptationes, & editus est tunc temporis liber à Marsilio Patavino ad Ludovicum Imp. cum hac inscriptione: Defensor pacis, ubi autor gravissimis rationibus probat, Papam esse sub Imperatore.

Marsilius Patavinus.

Ludovicus Imp. & Wilhelmus Occam anathemate feriuntur.

Hæc dum ita disputantur, Pontifex Ludovicum atrocissimè damnat, eumque hæreticum nominat & anathemate notat. Damnat etiam Wilhelmum Occam Anglum, quòd quædam pro Ludovico adversus Papam scripsisset. Dissidium hoc duravit post captum Austriacum annos 24, quo tempore perpetuæ fuerunt lites inter Imperatorem & Pontificem.

Ludovici res gestæ in Italia.

Deletis hostibus & Germaniâ pacatâ Ludovicus anno à victoria quarto proficiscitur in Italiam, quæ propter Gibellinas & Guelphicas factiones miserè vexabatur, ut latè hoc exponit Peucer. fol. 1113 & seqq.

Ludovicus coronatur Mediolani ferreo diademate.

Mediolani consilio Galeacii in templo D. Ambrosii ferreo diademate coronatus est, insignia tradente Guidone Tarlato Aretinorum Antistite, qui in Italia Gibellinarum partium principem agebat, deinde Romæ, posteaquam injurias à Johanne Papa sibi illatas exposuisset, & Cardinales Papæ caussam improbare cognovisset, à Cardinalibus coronam accepit, & quidem unà cum conjuge Margaretha, quæ Frisiæ & Hollandiæ fuit domina.

Ludovicus coronatur Romæ à Cardinalibus.

Solennis ritus coronationis hujus factus est anno Christi 1328 in Vaticano. Tradente diadema Stephano Columnio, qui & princeps & Cardinalis erat.

Ludovicus contra Johannem XXII creat Papam Nicolaum IV.

Acceptâ coronatione contra Papam Johannem XXII, qui propter injustam ac sceleratam tyrannidem non audebat ingredi Italiam, Pontificem creavit Nicolaum IV, ubi rursus exorta est disputatio, an jus deponendi Pontificem ad Imperatorem pertineat, quòd olim quoque Otho I idem fecisset, caussâ in Synodo cognitâ. Sed in eo Ludovicus graviter peccavit, quòd hunc Papam

Nicolaus IV. Papa desertus à Ludovico miserè perit.

Papam à se creatum deinde non defendit. Etenim miser ille Nicolaus mox à discessu Ludovici Avenione in carcere vitam finivit. Mediolani rerum summa erat penes Galeacium filium Matthæi Vicecomitis, de quo suprà. Hic Galeacius fratrem habuit Marcum, qui quòd per invidiam fraterni imperii impatiens esset, calumniis deformavit fratrem Galeacium apud Imperatorem, quasi contra libertatem superbè regnaret, & quòd interceptis Galeacii literis de fœdere cum Papa Johanne inito cognitum fuisset. Imperator indignabundus Galeacium cum cæteris suis fratribus custodiæ tradit, & Wilhelmum Monfortium Mediolani præsidem constituit. Postea verò quum se Pontificum fraudibus ac insidiosis molitionibus deseri intelligeret, ut se Gibellinorum studio muniret, Vicecomitibus carcere eductis ut patriæ præsides vicarii essent & appellarentur concessit, & Castrutium, quem ob strenuè popugnatas Gibellinorum partes in Hetruria Pistorensium, Lucensium & Lunensium Ducem creaverat, jam Senatorem urbis Romæ, Comitem Lateranum & Cæsareæ Aquilæ vexilliferum constituit. Postea quum sibi molitionibus Pontificum insidias fieri videret, in Germaniam rediit, & convocatis Francofurtum principibus de Pontificum tyrannide conquestus, ne à fide & obedientia deficerent, eos monuit. Absolutionem ab anathemate, quum jam defunctus esset Johannes Papa, petiit ab hujus successore Benedicto XII, qui, ob metum Philippi Galliæ regis Italiæ dominium affectantis, ne tumultus fierent, exemptionem è vinculis excommunicationis denegavit. Hinc magnam animi ægritudinem concepit Ludovicus, adeò ut in consiliis minùs sapere videretur. Imprudenter enim sese immiscebat bello duorum regum, Philippi Valesii & Eduardi III Angli, quorum ille, extincto jam Philippo Pulchro ejusque tribus filiis Ludovico, Philippo & Carolo sine masculo hærede, tanquam patruelis regnum invaserat idque ex lege Salica; hic verò, quòd ex filia Philippi Pulchri natus esset, ad se regnum pertinere contendebat. Uterque rex Ludovicum Imp. ad se trahere studebat. Promittit Ludovicus primò operam suam Anglo; sed mox fraude Galli, qui amplissima munera conjugi Imperatoris obtulerat ut mariti animum mutaret, ab Anglo secessit & ad Gallum se convertit, quem utrum-

Galeacius filius Matthæi Vicecomitis Mediolanensis à Marco fratre traducitur apud Imp.

Ludovici Imp. temeritas.

Wilhelmus Monfortius.

Ludovicus restituit Vicecomites.

Castrutius.

Ludovicus principum fidem contra Pontifices poscit.

Benedictus XII solutionem anathematis Ludovico negat.

Ludovicus in consiliis incipit desipere, & bello Galli & Angli se immiscet.

Ludovici inconstantia.

Ludovicus à Philippo Valesio Galliæ rege fallitur. Contra Ludovicum concitatur Johannes Boëmiæ rex. Clemens VI P. excommunicationem Ludovici renovat, & hujus electionem obtinet. Carolus Johannis Boëmiæ regis filius contra Ludovicum eligitur Imp. Ludovici autoritas potior. Ludovici obitus. Ludovici relicti liberi.

que deinde sibi fecit inimicum. Promiserat V[illegible] Ludovico à Papa impetraturum absolutionem, d[illegible] præstando ne cogitavit quidem, ut qui videret ha[illegible] solutionem sibi fore detrimentosam. Quinetiam J[illegible] nem Boëmiæ regem contra Ludovicum Imp. co[illegible] vit, inter quos tamen arctissima erat amicitia. H[illegible] tè maximum contemptum attulerunt Ludovico. A[illegible] sit aliud malum: Mortuo Benedicto Pontifice succ[illegible] Clemens VI renovavit decreta Papæ Johannis XXII [illegible] anathemate excommunicationis, & graviter mo[illegible] Principes Imperii, ut de alio Imperatore deligendo co[illegible] silium caperent. Nec destitit Papa donec id perfe[illegible] Disjunxit sese à Ludovico etiam Trevirensis Elector, q[illegible] intimus erat Cæsaris, & Carolo Johannis Boëmiæ re[illegible] filio ut imperium peteret incitator extitit. Miram am[illegible] corum inconstantiam. Eò deducta tandem res est, ut Electores Pontificis Clementis VI instinctu vivo adhuc Ludovico Imp. elegerint & coronarint Carolum Johannis Boëmici regis filium, qui deinde dictus est Carolus IV. Interim Ludovici autoritas tanta adhuc fuit, ut Carolus nihil neque auderet neque posset. Obiit in venatione saltu equi excussus, vel potiùs corporis convulsione ex veneni vehementia propinati à vidua Alberti Austriaci, quicum familiariùs consueverat. Ex priore conjuge Beatrice Polonica filios habuit Ludovicum & Stephanum cognomento Fibulatum, ex altera Margareta Hollandica Wilhelmum, Albertum, Ludovicum cognomento Romanum, quòd Romæ natus fuerat, & Othonem. Inter hos quomodo ditiones novas ex familiarum interitu relictas distribuerit, narrat Peucer. fol. 1123 & seqq.

Synchronismus.

Johannes XXII Papa. Papa statuit, animam simul cum corpore mori.

1. Pontifices in Gallia fuerunt Johannes XXII, Nicolaus V, Benedictus XII & Clemens VI. Johannes ab anno Christi 1316 sedit annos 18. Fuit natione Gallus & publicationem Clementinarum, quæ sunt septima pars juris Canonici, confirmavit. Hæreticus fuit in doctrina de anima humana, quam dixit simul cum corpore mori usque ad tempus resurrectionis. Errorem hunc refutavit Scho-

Schola Parisiensis refutat Papæ hæresin.

Schola Parisiensis, & impetravit à rege Galliæ, ut voce præconis omnibus suis interdiceret usu & consuetudine hujus Pontificis, nisi ab hoc errore destiterit. Acerbissimum odium habuit in Ludovicum Imp. quòd Gibellinos in Italia contra Guelphos defenderet, unde publico scripto Cæsarem citavit, & ut intra tres menses Avinionæ se sisteret, facti sui rationem redderet, & interim imperium deponeret, præcepit. Imperator verò adhibitis in consilium Academiis ad generale concilium provocavit, quam ob caussam Pontifex quasi in rabiem actus Imperatorem fulmine anathematis percussit. Quum autem Itali in summis essent angustiis, propter mutuas Gibellinorum & Guelphorum cædes, & Papa in Italiam redire nollet, Imperatorem, cujus præsentiam antè fastidiebant, postulant, qui anno Christi 1327 cum exercitu accessit & ab Italis honorificè acceptus est, ac insuper coronationem, quam pontifex Johannes denegaverat, unà cum conjuge à Stephano Columnio Cardinale accepit invito Pontifice. Quum ergò anathemate esset notatus, de consilio Cardinalium Pontificem Johannem citavit, & Romæ coram sententiam dicere jussit, quod quum Papa recusaret, ab Imperatore condemnatus & pontificatu dejectus est, & substitutus Nicolaus IV, qui triennio post Avinionæ in carcere periit. Benedictus XII ab anno Christi 1334 sedit Avinionæ annos 7, & Ludovico Imperatori impulsu Philippi Pulchri Galliarum regis absolutionem denegavit, persuasitque Romanis, ut excusso Cæsaris imperio per annuos senatores, qui sese Pontifici subjicerent, rempublicam administrarent. Quam injuriam Imp. Francofurti in conventu exposuit, ubi decretum est factum pro dignitate Imperatoria, quòd ea non detur à Papa, & quòd politica jurisdictio nullo modo Papæ conveniat, generale quoque concilium Papæ judicio esse anteferendum. Clemens VI ab anno Christi 1342 sedit annos 10, & jubilæum instituit quinquagesimo quoque anno celebrandum, eò quod hominis ætas centesimum vel vix vel nunquam attingat. Erga Ludovicum Imp. iniquissimus fuit, cui absolutionem ab anathemate concedere noluit nisi tribus hisce conditionibus acceptis: 1. ut omnium

Papa citat Cæsarem.
Cæsar quod ad concilium provocasset excommunicatur.
Cæsaris adventus in Italiam ab Italis petitur.
Cæsaris coronatio in Italia.
Cæsar citat Papam.
Papa Papatu dejicitur.
Nicolaus IV.
Benedictus XII.
Decretum pro Imperatore contra Papam.
Concilium generale esse suprà Papam.
Clemens VI.
Annus jubilæus instituitur quinquagesimo quoque anno.
Papa iniquissima postulata contra Ludov. Imp. & à principibus imperii rejecta.

nium criminum quorum accusatus esset reum se profiteretur. 2. ut imperio deposito ad id non nisi Pontificis gratiâ accedat. 3. ut se suosque liberos in manus Papæ tradat. Has conditiones Imperator Francofurti ad principum conventum retulit, qui eas ut superbas & iniquissimas rejecerunt. Pontifex furore percitus anno 1346 in die Cœnæ Domini Imperatorem execratur & hæreticum pronunciat, hortaturque Electores, ut alium eligant Imperatorem, quod nisi fecerint, se suo officio non defuturum. A quibusdam principibus mercede conductis eligitur Imperator Carolus filius Johannis Boëmiæ regis, Marchio Moraviæ, sed à quibusdam hæc electio non fuit approbata, qui apertè testati sunt se Ludovicum Imp. non agnoscere hæreticum, nec curare Pontificis sive approbationem sive improbationem.

Papa Clemens VI furibundus excommunicat Cæsarem, & suadet electionem Caroli Johannis Boëmiæ regis filii.

Andronicus junior.

2. In Orientali imperio parricidii scelere Imperator factus est Andronicus junior, qui cœpit imperare anno Christi 1328, & imperavit annos 13, alii tribuunt ei annos 20. Adjunctis sibi Turcis Mitylenæos & Phocenses oppugnavit, quumque recuperandæ Thessaliæ magis quàm arcendis aditu Europæ Turcis esset intentus, hi in derelicta Asia sese confirmarunt, & ad Hellespontum usque imperium suum protulerunt. Ex Anna conjuge Alemanna reliquit duos filios, Johannem & Manuelem, quorum curam commendavit Johanni Cantacuzeno.

Orchanes.

3. In Turcico regno Ottomannus I, qui regnum Turcicum constituit, moritur anno Christi 1327, eique succedit filius Orchanes, qui rebus Turcicis præfuit annos 22. Parricidio regnum est auspicatus in fratribus patrato. Mirâ celeritate ac felicitate regnum suum ad Hellespontum usque & Euxini littora propagavit. In Bithynia Prusiam, Nicéam & Nicomediam expugnavit. Cantacuzeno contra Johannem Palæologum duce Solimanno filio auxilia misit. Scribitur enim filiam Cantacuzeni uxorem habuisse. Hinc apparent prima initia mutationis in imperio orientali, quâ hoc tandem ad Turcicam tyrannidem est translatum.

Prima initia translationis imperii orientalis ad Turcicam tyrannidem.

Vladislaus Locticus Poloniæ rex. Silesia à Polonis

4. In Polonia regnavit Vladislaus Locticus, qui Marchiam vastavit & Crucigeros edomuit. Hoc regnante Silesia à Polonis defecit ad Boëmos hâc occasione: Circa annum Christi 1322 Johannes Boëmiæ rex vir astutus, & Carolus filius quum viderent odia inter Silesiæ principes indies

[...]dies augeri, non magno negotio perfecerunt, ut aliqui sponte, aliqui vel precio vel minis expugnati, plurimi splendidis pollicitationibus inducti libera colla obvio jugo subsiderint, atque ita Silesia tota in fidem Bohemiæ regis sese dederit, qui deinde civitates Silesiæ amplissimis honoribus ornavit circa annum Christi 1330. Ex principum Silesiæ ruina gentis metropolis Vratislavia autoritate, opibus & potentiâ crevit, multum juvante Carolo IV. Porro anno Christi 1331 Vladislaus Polonos Crucigeros in prælio fudit. Dress. 620. Peuc. 1030.

deficit ad Boëmos.

Vratislavia Silesiæ metropolis.

Crucigeri à Polono fusi.

5. In Ungaria regnare cœpit anno Christi 1342 Ludovicus I, Caroli I filius, Caroli Martelli nepos, & regnavit annos 40. Muldavos & Rutenos domuit, Comanos ad fidem Christianam convertit, & Apuliam ejecto Ludovico Tarentino occupavit, de qua tamen petentibus legatis Pontificiis iterum recessit. Fuit hic Ludovicus vir magni atque excelsi animi, bellicosus & fortunatus, quibus de caussis etiam ad regnum Poloniæ fuit expetitus. Fratrem habuit Andream, cui Robertus rex Neapolitanus & Apulus Johannam neptem ex Carolo filio desponderat, sed quum procax & libidinosa mulier ab hoc Andrea esset alienior, familiarior verò Ludovico Tarentino Philippi filio, effecit ut Andreas à conjuratis strangularetur, & ipsa postea Ludovico Tarentino nupsit. Hoc indignum facinus Ludovicus Ungarus ulturus magno cum exercitu in Apuliam ingressus est, & Ludovicum Tarentinum cum incesta conjuge regno Neapolitano expulit. Sed paulò pòst Ludovico Ungaro domum reverso Ludovicus Tarentinus per auxilium & intercessionem Pontificis Romani amissa recuperat & paulò pòst moritur. Peuc. fol. 1128. Vide etiam Mellif. parte 3. fol. 363. in genealogia.

Ludovicus I Ungariæ rex.

Ludovici magnanimitas.

Andreas Ludovici frater perfidiâ conjugis strangulatur.

6. In Gallia mortuo Ludovico Hutino succedit anno 1316 filius Johannes Hutinus, & huic eodem anno Philippus cognomento Longus; huic deinde anno 1321 succedit frater Carolus IV, cognomento dictus Pulcher. Hic Carolus filium quidem sustulit, sed orbatus eo fuit multùm adhuc adolescente. Sororem habuit Isabellam, quæ matrimonio juncta Eduardo II Angliæ regi peperit Eduardum III. Defuncto Carolo quum nullus esset hæres masculus hæreditatem regni adiit Philippus Valesius, repudiato Eduardo propter legem Salicam, per quam

Johannes Hutinus Philippus Longus. Carolus IV cognomento Pulcher.

Regnum Galliæ transit ad aliam familiam.

Philippus Valesius.

Bellum inter Valesium Gallum & Eduardum III Anglum.

quam non conceditur fœminis in regno succeſſio. Hinc graviſſimum ortum eſt bellum inter Eduardum ſucceſſionis jus propter matrem ſibi arrogantem,& Philippum Valeſium. Totam rem narrat Froſſardus ſatis copioſè. Fuit autem Philippus Valeſius patruelis Caroli IV.

Eduardus II regno Angliæ dejicitur justo zelo conjugis.

7. In Anglia Iſabella Eduardi II conjux à marito ſuo unà cum filio Eduardo è regno ejecta, ſed amicorum fide & operâ in regnum cum filio reducta delatores ſuos Spenſerios atrociſſimis punivit ſuppliciis,& regem maritum regno inutilem ex populi & Senatus autoritate cuſtodiâ continuit. Quo facto Eduardus III nobiliſſimus heros peſſimi patris optimus filius, qui cum matre exulaverat, Londini coronatus eſt Angliæ Rex anno ætatis 16, Chriſti 1326, & regnavit annos 51. Primò adverſarium habuit Edmondum patruum Cantii Comitem, qui abdicato Eduardo fratre quum de ejus reſtitutione conſpiraſſet, capite truncatus eſt. Bellum geſſit Eduardus III graviſſimum cum Philippo Valeſio Gallo, duravitque hoc per plures annos. Aſcitis in belli ſocietatem Flandris, & à Ludovico Bavaro Imp. imperii vicarius conſtitutus cum ingenti claſſe anno 1338 in Flandriam trajecit, atque ad Somam fluvium in finibus Galliæ contra Philippum copias eduxit: ſed prælium detrectante Philippo Eduardus Flandriam repetit, indeque Jacobi Artevillæ Flandriæ præfecti conſilio liliorum inſigni & regis Franciæ titulo aſſumptis in Angliam redit. Deinde anno 1340 atrox pugna navalis ad Cluſas committitur, in qua Eduardus rex vento ſecundo adjutus captis ac fractis omnibus ferè Gallorum navibus victor evaſit.

Eduardus III coronatur rex Angliæ.

Eduardus III vincit Philippum Valesium.

Eduardus III titulo redit in Angliam.

Helvetica confederatio, vulgò Eidtgenoſſen, unde & quomodo orta.

8. Helveticarum civitatum confederatio in hæc tempora incidit. Quum enim harum civitatum admodum diſſimilis eſſet conditio, ut aliæ certis pactionibus ſubditæ Abbatibus ſuâ tamen quâdam libertate gaudentes ab imperio acciperent Voitos, hoc eſt, præfectos, penes quos ſumma judiciorum publicorum & vitæ neciſque poteſtas erat; aliæ inter municipia imperii & liberas civitates numerarentur; aliæ Auſtriacorum terris eſſent adjectæ,qui jam dudum magnum principatum animis conceperant: accederet quoque magna petulantia & ὕβρις præfectorum,quâ plurimi vehementer laceſſebantur:accidit per occaſionem belli illius civilis, quod fuit inter Ludovicum Bavarum Imp. & Fridericum Pulchrum Au-

Austriacum, ut Uri, Unterwaldenses & Suitenses adhærerent Ludovico Bavaro, idque magis odio vicinæ nobilitatis, & metu potentiæ Austriacorum, quàm studio & fide erga Imperatorem, cæteræ verò urbes starent à partibus Austriaci. Bavarus Imperator videns feliciter sese usum auxilo trium civitatum modò dictorum, & quòd Leopoldum Austriacum prosperè devicissent, loco remunerationis eis concessit αὐτονομίαν plurimis immunitatibus cumulatam, & potestatem fecit sese perpetuo fœdere πρὸς συμμαχίαν ϗ ἐπιμαχίαν defensionis caussâ conjungendi. Hoc exemplo deinde reliquæ civitates, quòd à vicinis potentioribus multùm vexarentur, irritatæ idem fecerunt, & tribus illis prioribus sese conjunxerunt, atque ita arctissimis fœderum legibus devinctæ potentiam confecerunt vicinæ facilè parem, quæ deinde victoriis & sociorum accessione aucta vicinis etiam formidabilis evasit. Peuc. fol. 1132 & seqq. ubi plura de Helveticis motibus.

9. Floruerunt hoc tempore viri in Ecclesia celebres, *Nicolaus*
Nicolaus Lyranus, Gulielmus Occam, & Johannes *Lyranus.*
Taulerus. Nicolaus Lyranus natus Judæus & postea *Gulielmus Occam.*
amplexus Christianismum factus est Monachus Franciscanus, & Biblia sacra scholiis illustrare aggressus est, ad *Joh. Taulerus.*
quam rem magnum ei adjumentum attulit literarum Hebraicarum, Græcarum & Latinarum scientia, quod fa- *Lyranus*
ctum est anno Christi 1322. Gulielmus Occam natione *Occam.*
fuit Anglus, ex Scoti disciplina profectus, & ordinis Franciscani Monachus, scripta præceptoris sui Scoti acriter impugnavit. Quumque quædam pro Ludovico Imp. contra Papam scripsisset, & inde ipse quoque excommunicaretur, profugiens ad Imperatorem: O Imperator, inquit, tu me gladio defende, & ego te verbis ac scriptis defendam. quod factum est anno Christi 1324. Johan- *Taulerus.*
nes Taulerus Dominicanus Coloniæ primùm, deinde Argentinæ conciones crebras ad populum habuit, quibus Dei misericordiam commendavit & fiduciam propriorum meritorum reprobavit, abusus & superstitiones reprehendit, invocationem cultumque Sanctorum rejecit, & verum Dei cultum Christique Salvatoris unici meritum inculcavit, anno Christi 1340. Vides igitur, Lector, à Thomæ & Scoti paradoxis hoc tempore recentiores doctores discessisse, & ad veritatem cælestem

ftem relictis Romanis commentis propiùs acceffiffe.

CAROLUS IV.

Filius fuit Johannis Boëmiæ regis, nepos Henrici VII Imp. & primò ad imperium arte Clementis VI Papæ per dejectionem Ludovici v evectus eft, quibufdam principibus diffentientibus. Jam verò poft obitum Ludovici majores ortæ funt diffenfiones inter Electores, quorum major numerus electionem tanquam illegitimam & ex Papæ odio in Ludovicum factam declaravit irritam. Quare Francofurti in conventu anno Chrifti 1348. Moguntinus, Palatinus, Saxo & Brandeburgenfis, qui Ludovici Bavari filius erat, decretum fecerunt de Eduardo III Angliæ rege, cujus mirabiles victoriæ de Philippo Valefio Gallo jam per totum orbem erant celebratiffimæ, ad imperium advocando. Sed vocatus Eduardus parere noluit, ne majoribus difficultatibus fefe implicaret. Renovatâ igitur deliberatione decernunt Electores, ut peteretur Fridericus Mifniæ Marchio & Thuringiæ Landgravius. fed & hic recufat. Interim Carolus ambitione ardens omni conatu inftabat, fed fruftrà. Nam anno Chrifti 1349. Electores ad imperium fuftulerunt Gunterum Comitem Schwartzenburgicum in Thuringia, qui tamen confentire noluit, nifi priùs certior effet de vacatione fedis Imperialis. Perfuafus ab Electoribus fedem vacuam effe, exercitum duxit ad Francofurtum, ubi poft duorum menfium obfidionem regio more intra urbem eft receptus. Carolus videns fe armis nihil efficere poffe ad alias fefe convertit artes. Reconciliatis Ludovici Bavari filiis uxorem duxit Rodolphi Palatini filiam, ut fcilicet disjunctis Electoribus Guntero æmulo auxilia fubtraheret. Sed quum ne fic quidem Schwartzenburgico noceret, cœpit Acheronta movere, & fubornavit medicum pecuniâ corruptum, qui Guntero leviter ægrotanti venenum propinavit, cujus vim quum fenfiffet Gunterus, & medicum prægustare coëgiffet, hic collapfus & exanimatus eft, ille verò ita enervatus ac debilitatus, ut fpes vitæ fupereffet nulla. Guntero indignè perempto ac regio apparatu Francofurti in æde D. Bartholomæi fepulto, imperio tandem multis largitionibus potitus eft Carolus

Diffenfiones in electione.

Eduardus III Angliæ rex oblatum imperium recufat.

Fridericus Mifniæ Marchio oblatum imperium recufat.

Gunterus Comes Schwartzenburgicus ad imperium follicitatus veneno tollitur.

Caroli callidæ artes.

Carolus artibus &

rolus

rolus solus anno Christi 1350. Sed post abdicationem Ludovici Bavari cœpit imperare anno Christi 1346, & imperavit annos 32. Adolescens in Gallia apud Carolum regem Francorum educatus est, unde multas consuetudines & instituta regni Gallici in imperium importavit, &, quod maximè culpatur, nimius Gallorum fautor jura regni Arelatensis ab imperio alienata Franciscis regibus concessit, atque ita imperii splendorem non auxit sed minuit. Vitio πλεονεξίας supra modum laborabat, quo ductus à patris obitu quum Silesiæ principes inter se dissiderent summo studio hoc effecit ut Silesiam omnem & huic cohærentem Lusatiam Boëmiæ adjungeret, civitates verò immunitatibus ornatas ita muniret, ut principes contra eas moliri quicquam non auderent. In eo quoque privati commodi studium ostendit, quo Marchiam Brandeburgensem & Bavariæ Ducatum emptionibus aut dotaliciis pactis ex parte ad se & ad regnum Bohemiæ traduxit. Henetorum principes ad littus Balticum Johannem & Albertum novâ dignitate ornavit, ut inter Duces Imperii locum tenerent, quod factum est anno Christi 1349, Noribergæ Senatum & cives dissentientes in concordiam pristinam reduxit, abdicatis tribunis, quibus propter plebis furorem Senatus cesserat, & potestate omni in Senatum translatâ. In Italiam profectus est Carolus Imp. unà cum conjuge anno Christi 1354, multorum literis, inter quas etiam Francisci Petrarchæ fuerunt, invitatus, ad sopienda bella quibus tota passim Italia flagrabat. Multa dicitur sic principibus indulgendo ab imperio venditionibus alienasse. Rebus Longobardicis constitutis Mediolani ferreâ coronâ insignitus est & deinde Romæ solenniter coronatus: mox rediit in Hetruriam, ubi Florentiæ exulantes Gibellinos restituit. Mediolani Vicecomites Galeacium & Barnabam in Cisalpina Gallia & Liguria imperii vicarios constituit, quamvis sine dignitate Ducali. Valdè commendatur hujus Galeacii studium ac munificentia erga viros doctos & præcipuè erga Franciscum Petrarcham. Peuc. fol. 1140. Reversus in Germaniam in conventu Metensi ad tuendam firmandamque Imperii dignitatem condidit legem Carolinam, quæ alio nomine dicitur Aurea bulla Caroli IV, in qua ostenditur, quo pacto eligi Imperatorem oporteat & quomodo cujusque ordinis dignitas

largitionibus fit Imperator.

Carolus imperii splendorem minuit.

Caroli πλεονεξία.

Henetorum principes creantur Duces Imperii.

Caroli res in Italia.

Carolus Vicecomites Mediolani constituit Imperii vicarios.

Aurea bulla.

nitas in Imperio conservanda sit, ut scilicet publicè [...]cis nervus esset firmissimus. Pragensem Academi[am] constituit anno 1361, quam Papa Innocentius VI co[n]firmavit. Interfuit ipse disputationibus tanto studio, [ut] Purpurato, à quo ex disputatione ad cœnam vocabatur, responderit, disputationem illam sibi cœnam esse. Quomodo ambitionem & fastum clericorum Moguntiæ reprehenderit, in quodam Canonico Cunone à Falckenstern refert Dresf. fol. 402. Postremis annis summo conatu & multo auro effecit, ut filius Wenceslaus ad imperium extolleretur, quod factum est anno Christi 1376, quo eodem anno coronato Wenceslao desponsata est Joanna filia Alberti Ducis Bavariæ, Comitis Hollandiæ, Hannoniæ & Seelandiæ. Obiit Carolus Pragæ anno 1378. Filios reliquit Wenceslaum, Sigismundum & Iohannem. Wenceslaus natus est ex tertia conjuge Anna filia Bulconis Ducis Suidnicensis, quæ ad Carolum dotis loco attulit Silesiæ partem Boëmicis montibus conterminam. Sigismundus natus est ex quarta conjuge Elisabetha filia Bugislai Ducis Stetinensium, quæ fuit consobrina Ludovici regis Ungariæ, neptis Casimiri regis Poloniæ. Quum autem in divisione Wenceslao obveniret regnum Boëmiæ, Sigismundo verò Marchia Brandeburgensis, confecit Sigismundo mater nuptias Elisabethæ filiæ Ludovici regis Ungariæ, impetrato in dotem regno, ne scilicet opibus & potentiâ Wenceslao esset inferior.

Academia Pragensis à Carolo constituitur. Carolus amator exercitiorum Academicorum. Carolus filium Wenceslaum ad Imperium evehit largitionibus. Wenceslai conjux. Caroli obitus & liberi.

Synchronismus.

1. Pontifices Avinione in Gallia fuerunt, Clemens VI, Innocentius V, Urbanus V, & Gregorius XI. De Clemente suprà dictum. Innocentius ab anno Christi 1352, sedit annos 9 & menses 8, & mandavit Cardinalibus qui Romæ erant, ut Imperatorem recens coronatum in urbe Roma non tolerarent, sed mox à coronatione ex urbe excedere juberent, scilicet ne pontificia tyrannis aliquam sui faceret jacturam ex Cæsaris præsentia. Urbanus V ab anno Christi 1362 sedit annos 8, & in quarto pontificatus anno cum Cardinalibus unà Romam veniens obsoleta templa ad idololatricam pompam refici curavit, & Apostolorum calvarias diu quæsitas ac tandem

Innocentius VI non potest tolerare Cæsaris præsentiam in Italia. Urbanus V calvarias Apostolorum auro obducit.

dem inventas capsis aureis & argenteis operuit ad valorem 30000 florenorum, teste Baleo lib. 6. fol. 374. Gregorius XI ab anno Christi 1370 sedit annos 7, & quum secum expenderet varia illa mala quæ in Italia per absentiam Pontificis contigissent, reducere sedem pontificiam in urbem Romam constituit. Quare Avinione relictâ Romam rediit anno Christi 1377, hoc est, anno 71 postquam sedes Romana ex Italia in Gallias fuerat translata per Pontificem Clementem V. Hic est celebris ille reditus Curiæ Romanæ ex Avinione in urbem Romam, quem deinde secuta sunt horrenda schismata inter Gallos & Italos, qui singuli suos elegerunt Papas, ut essent Papæ & Antipapæ Duravitque hoc schisma per annos 40 usque ad Constantiense Concilium. Interea temporis dum odia inter Gibellinos & Guelphos exacerbarentur, & deinde Pontificum dissidia totum orbem Christianum miris modis turbarent, ut bella contra Turcas negligerentur, adeò Turcarum potentia crevit, ut ex Asia per Hellespontum sese effuderint in Europam, & Thraciam ingressi sunt anno 1360.

Gregorius XI sedem Pontificiam ex Gallia reducit in Italiam.

Schismata inter Gallos & Italos ob pontificiam dignitatem.

Pontificum schismata augent Turcicam potentiam in Europa.

2. Annus jubileus, quem Bonifacius VIII centesimo quoque anno celebrari jusserat, à Clemente VI transfertur in annum 50, & hoc anno Christi 1350, magna pompa habetur. Rationem mutationis attulit Clemens, quòd ætas hominis non attingeret centesimum annum. Si verò credas quæstus gratiâ hoc factum esse, meo judicio non erraveris.

Clemens VI jubileum transfert in annum quinquagesimum.

3. Johannes Wiclefus Anglus circa annum Christi 1370 mores Pontificis & Pontificiæ ecclesiæ dogmata graviter reprehendit, atque adeò ipsum Pontificem Antichristum appellare ausus est. Quamobrem publicè in Schola Oxoniensi hæresiarcha est proclamatus. Dogma ejus præcipuum fuit: Extra biblia in rebus spiritualibus non esse quærendam veritatem. Quis hic non videt in medio Papatu fuisse orthodoxos, qui Pontificias absurditates improbârunt? Hujus Wiclefi discipulus fuit Johannes Huss, qui Wiclefi libros & dogmata in Boëmiam postea intulit.

Ioh. Wiclefus.

Ioh. Huss. discipulus Wiclefi.

4. Brigitta princeps vidua ex Suecia Romam venit anno Christi 1363, & prophetico Spiritu prædita à Papa Urbano V ordinis sui confirmationem impetravit. Est autem hic ordo utrique sexui communis, ita tamen ut

Brigitta.

cœnobii partem superiorem mulieres, inferiorem viri teneant. Regitur autem totus ordo ab una Abbatissa cum confessore, qui prior fratrum appellatur.

Jesuatæ. 5. Jesuatarum ordo In Italia Senis ortus est anno Christi 1368, autoribus Johanne Columbano & Francisco Vincentio. Hanc sectam comprobavit Pontifex Urbanus v, eique tunicam albam dedit cum capitio quadrato à cervice ad humeros pendente. Dicti sunt Jesuatæ à nomine Jesu, quod in ore eorum frequens erat.

Cantacuzenus. 6. In orientali imperio Cantacuzenus Imperatoriam potestatem ac dignitatem usurpavit quum tutor esset constitutus Johannis Palæologi, sed tamen hunc Palæologum consortem fecit, & ut firmior esset benevolentia filiam suam ei matrimonio junxit. Verùm Palæologus impatiens soceri sui potentiæ, bellum contra socerum movit. Post multam contentionem Johannes Palæologus regno potitus Itáliam adiit comparaturus auxilia, sed contumeliosè acceptus, quum rediisset Byzantium & insuper urgeretur bellis Bulgaricis & Servianis, amicitiam iniit ac fedus cum Amurathe, ita ut & sese & regnum in fidem illius traderet promisso tributo, & filium natu minimum Theodorum obsidem dederit qui castra sequeretur. Hæc initia sunt tristissimæ servitutis, quâ deinde Constantinopolitani Imperatores in Turcorum potestate fuerunt, illorumque imperata facere coacti sunt. Habuit Johannes Palæologus præter Theodorum duos filios, Andronicum primogenitum & Emanuelem, quorum illi commendavit imperium, quod jam porrò nomine duntaxat erat imperium, huic Thessalonicam tradidit. Peuc. fol. 1085 & 1104.

Johannis Palæologi infelix fedus cum Amurathe Turcico Imp. Initia Turcicæ servitutis.

Tartarici regni destructio. 7 Tartaricum regnum hoc tempore unà cum Christiana religione sub Carbagado in Asia concidit. Syriam enim Ægyptii retinuerunt, & Turcorum potentia in reliqua Asia ad Pontum usque sese recolligens ad veterem formam, Ottomannorum auspiciis ac virtute Tartaricam potentiam elisit. A tergo in Persiam involarunt Parthi, qui depulso Saracenorum jugo novum regnum inchoarunt. In Europa Rossi receptis viribus Tartaros ultra Borysthenem & Tanaim rejecerunt. Plura apud Peuc. fol. 1025.

Orchanis Turcæ obitus. 8. Turcarum rex secundus Orchanes mortuus est anno Christi 1358, sed quo genere mortis, apud autores incertum est. Alii in oppugnatione Prusiæ sagittâ ictum inde-

indeque exortâ febre periisse, alii in conflictu cum Tartaris occubuisse tradunt. Successit filius Amurathes hujus nominis I, tertius Turcarum rex, qui in Europa bellum gerens obtruncatus est. Etenim anno Christi 1360 omnium primus ex Turcica gente exercitu per Hellespontum trajecto Seston & Callipolim juxtaque sitas Chersonesi urbes cepit, quæ prima ei occupandæ Thraciæ auspicia fuerunt. Occasionem huic malo præbuit Johannes Palæologus Constantinopolitanus Imp. qui in societatem belli contra Bulgaros vocabat Amurathem, idque vi federis antè initi. Amurathes promptus in auxilium suum quærebat commodum, & 12000 delectorum Turcorum mittit in Græciam, quibus Palæologus suos hostes repressit. Nec ita multò pòst Amurathes cum 60000 Turcorum in Europam transiit, & Palæologi ditiones hostiliter invadit. Peuc. fol. 1103 & seqq. Imperavit Amurathes annos 23, alii 31.

Amurathes.

Palæologi & Amurathis fedus.

9. In Polonia regnat Casimirus Magnus Vladislai Loctici filius. Magnus inde fuit cognominatus, quòd regnum non tam muris & propugnaculis quàm jure & legibus munivit & auxit. Cum Crucigeris pacem fecit iniquis conditionibus, cedens illis possessionem terrarum Pomeraniæ, Culmensis, & Michaloviensis. Jura verò ea constituit quibus in hunc usque diem Poloniæ regnum continetur. Lapsus de equo in venatione mortem obiit absque hærede masculo. Electus igitur est rex externus Ludovicus Ungarus, nepos Casimiri ex sorore, anno Christi 1370, quum jam Poloniæ regnum annis amplius 900 non nisi à Polonis esset administratum. Rex fuit fortis, pius & felix. Atque ita sub uno Rege Poloniæ & Ungariæ facta est conjunctio. Anno 28 regni Ungarici Ludovici factus est rex Poloniæ, & regnavit in Polonia anno 12.

Casimirus M.

Casimiro M. extero succedit Ludovicus Ungariæ rex.

Poloniæ & Ungariæ conjunctio.

10 In Gallia post Philippum Valesium rex constituitur Johannes Valesius filius anno Christi 1350, qui deinde anno 1356 in conflictu cum Richardo rege Anglorum captus & Burdegalam cum Philippi filio perductus est, & post sexennium dimissus datis obsidibus: de quibus liberandis ut transigeret in Angliam rediit anno 1364, ubi morbo præventus Londini obiit. Successit ei Carolus V filius, dictus Sapiens, & regnavit annos 16.

Joh. Valesius.

Carolus V cognomento Sapiens.

 Phi-

Philippus Valesius.

Johannes filius.

Carolus v fil. dictus Sapiens. | Philippus filius minimus dux Burgund.

Carolus vI. | Carolus Audax, de quo Cominæus.

Eduardus III. 11. Angliæ rex Eduardus III anno 1346 grave bellum cum Gallis suscepit. Commissa est post multos conflictus pugna ad Cressiacum, 26 Augusti ad vesperam, omnium famosissima & luctuosissima, in qua omnis ferè nobilitas Gallica cecidit. *Johannes Boëmiæ rex cæcus pugnat.* Perierunt in hoc prælio Johannes Boëmiæ rex, qui licèt cæcus, in hostem tamen pugnavit, & per suum ductorem eò abduci voluit ubi hostes erant confertissimi; item Carolus Philippi Valesii frater germanus, Dux Alençonii, & Rodolphus Lotharingiæ Dux, aliique plures. Ex omni numero desiderati sunt 30000. Eduardus rex cum victore exercitu ad expugnandum Caletum contendit, *Caletum occupatur ab Eduardo.* quæ urbs præsidiis destituta ab Anglis occupata est undecimo obsidionis mense, & mansit in Anglorum potestate in annos 212, nempe usque ad annum Christi 1558, quo à rege Gallorum Henrico II recuperata est Fuerunt interim variæ pugnæ, intervenientibus nonnunquam induciis. *Eduardus filium Eduardum creat principem Aquitaniæ.* Eduardus rex filium suum Eduardum Walliæ principem Aquitaniæ Ducem creat, qui etiam cum uxore sua Edmundi Cantiæ comitis filia in Aquitaniam se contulit, ubi quum Aquitanos nimio tributo premeret, hi rupto federe ad Carolum Galliæ regem provocant, unde recruduit bellum anno 1367 Vide Jovium. *Eduardi III obitus, Ordo Garteriorum equitum.* Porrò Eduardus rex expeditionem jam parans in Galliam, morbo præventus obiit anno Christi 1377, ætatis 65. Hic est ille Eduardus qui ordinem Equitum Garteriorum instituit anno 1350. Nimirum Garterii fuerunt viri bellicâ virtute & natalium splendore florentissimi, qui solenni sacramento ad mutuam perpetuamque amicitiam obligabantur, additâ Sym-

Symboli loco Periscelide, scilicet ut sinistri cruris suram fibulatâ fasciolâ vinctam gestarent. Præterea ex hoc Eduardo III nati filii & nepotes divulsione regiæ stirpis in familias Eboracensem & Lancastriam, funestis albæ rubræque rosæ nominibus & insignibus distinctas, regnum in contraria disciderunt studia, donec Henricus VII matre Lancastriâ natus, ductâ Elisabethâ Eduardi IV Eboracensis filiâ, utramque familiam sanguinis commixtione copulavit circa annum Christi 1486. Vide Peuc. fol. 954. Successit autem Eduardo III Richardus, ex filio Eduardo Walliæ principe, qui anno proximo ante patrem tabe confectus obierat, nepos, puer undecim annorum, & coacto principum concilio Westmonasterii rex coronatus est, cujus patrui Lancastrius & Eboracensis Duces regni gubernatores constituti sunt. Cœpit igitur Richardus II regnare anno Christi 1378, & regnavit annos 22.

Periscelis. Regni stirps distincta in Eboracensem & Lancastriam funestis nominibus albæ rubræque rosæ. Richardus Eduardi III nepos & successor.

12. Academia Heidelbergensis fundatur à Ruperto II Comite Palatino Rheni & Duce Bavariæ anno Christi 1346, & annis 15 pòst Academia Pragensis constituitur à Carolo IV Imp.

13. Viri docti claruerunt, Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis sanctis scriptis clarissimus, qui deinde in Concilio Constantiensi acriter contendit Papam esse infra concilium. Item Bartolus de Saxo ferrato Jurisconsultus eximius; Item Johannes Bocacius Florentinus poëta & astronomus celebris. Vixit etiam adhuc Franciscus Petrarcha.

14. Hoc tempore vixit Johannes de Rupe scissa monachus, cujus historiam vide apud Antimachiavellum lib. 2. de relig. theor. 6. fol. 255.

WENCESLAUS.

Filius fuit Caroli IV Imp. ex Anna filia Bulconis Ducis Suidnicensis in Silesia. Multis largitionibus Patris successionem in imperio obtinuit anno 1376, nempe biennio ante obitum patris. Ut igitur non per libera sed per extorta suffragia ad imperium pervenit, ita deinde hoc malè administravit, homo luxuriosus, ignavus, libidinosus & crudelis, imò imperio planè dedecorosus, vino perpetuo madens, dormiendo ac stertendo diem

Wenceslaus bipedum flagitiosissimus.

nocti conjungens. Ob hanc turpitudinem magna cum ignominia ab Electoribus imperio est dejectus. Nec caruit suis ominibus flagitiosa hæc vita. Nam quum in lucem nasceretur, mater partus doloribus extincta est, & ipse quum baptizaretur baptismi aquam suo cœno polluit, ut verè κοπρώνυμος dicendus fuisset. Quin & quum jam bimus diademate regio cingeretur aram suo inquinamento fœdavit. Additur præterea & hoc omen, quòd dum aqua, quæ in baptismi usum erat adhibenda, calefieret, domus pastoralis inde exarserit. Hinc sapientes judicarunt fore hunc hominem imperio dedecori & exitio, quæ conjectura non fefellit. Cœpit imperare anno Christi 1378, & imperavit annos 22. Thersiti quàm principi similior; nulla enim neque in corpore neque in animo fuit honestas. Adeò fuit helluationibus deditus, ut omnem non solùm regni paterni, verùm etiam Imperii curam abjecerit. Hinc varia in Imperio incommoda extiterunt, itinera latrociniis infesta, Boëmia grassatoribus impleta, seditiones in civitatibus exortæ, ipso interim Wenceslao altum somnum dormiente, vel crapulâ laborante. Ad ignaviam hanc accessit crudelitas, maximè quum se in odio apud Sapientes esse intelligeret. Qui enim metuit, crudelis sit necesse est. Eò autem crudelitatis abiit, ut vel ad mensam quasi per ludum multos jugularit. Quare in hac tam intolerabili ἀταξίᾳ ab Ordinibus Boëmici regni captus & in custodiam datus est anno 1393, ex qua tamen post 4 septimanas dimissus ut in balneo sordes ablueret, operâ ambubajæ conscensâ cymbâ evasit. Sed quum ne sic quidem emendationis spes affulgeret, irritati tandem subditi Sigismundum fratrem, qui jam recens, extruso æmulo Carolo Neapolitano, in regno Ungariæ sese confirmaverat, accersiverunt ut rex Boëmiæ esset. Paruit Sigismundus, & præproperè Boëmiam ingressus regno occupato fratrem abductum custodiendum dedit Alberto Austriaco. Indignè hoc tulerunt Johannes frater & Procopius patruelis, sed irrita fuit indignatio. Hærebat enim Wenceslaus Viennæ captivus; qui tandem cujusdam Piscatoris operâ elapsus & Pragam reversus, & mendici habitu arcem ingressus consi-

Omina flagitiosi hujus Imperatoris.

Wenceslai deformitas.

Wenceslaus multorum malorum causa.

Wenceslai crudelitas.

Wenceslaus ab Ordinibus Boëmiæ in custodiam traditus.

Sigismundus contra fratrem Wenceslaum eligitur Boemiæ rex.

Wenceslaus custodiendus traditur Alberto Austriaco.

Wenceslaus regno Boëmiæ dolosè recuperato crudeliter interfecit proceres.

consilio custodibus patefacto præfectum oppressit, eumque ut literis annulo suo obsignatis proceres in arcem evocaret coëgit, quos ille apprehensos crudelibus suppliciis interemit, atque ita regnum recepit. Sed in Imperio nullus ei fuit relictus locus. Quum enim usus ejus in gubernatione esset nullus, Electores communi consensu ei imperium abrogarunt, ipse verò reliquum ætatis consuetis moribus in regno exegit. Interiit tandem apoplexiâ correptus ortâ ex consternatione & iracundia. Uxor Johanna filia Alberti Ducis Bavariæ sexto post nuptias anno propter flagitiosos mariti mores dolore ac mœrore consumpta est.

Wenceslao Electorum communi consensu abrogatur imperium. Wenceslai obitus.

Synchronismus.


1. Pontifices immanes inter sese aluerunt discordias & horrendas confusiones. Alii enim fuerunt Romæ in Italia, alii Avinione in Gallia. Suprà audivimus de Gregorio XI, quòd Pontificiam sedem ex Gallia transtulerit Romam, ad pristinam & quasi postliminio revocatam cathedram. Huic in Gallia successit Clemens VII, qui ab anno Christi 1378 Avinione sedit annos 16. Romæ verò in locum mortui Gregorii XI designatus est Urbanus VI, qui ab anno Christi 1378 sedit annos 11. Certatum est inter Clementem & Urbanum diris execrationibus, redituum interceptione, sævitiâ in adversæ partis studiosos. Peuc. fol. 1157. Fuit igitur Papa cum suo Antipapa, & sic Ecclesia Romana magnam vidit in Papali successione atque adeò in toto corpore deformitatem. Ubi quæso jam fuit caput Ecclesiæ? ubi illa unitas? ubi ille consensus? Clemens à sua parte habuit Gallos, Hispanos & Scotos, Urbano favebant Itali, Germani, Ungari & Angli. Duravit hæc deformitas annos 40 usque ad Constantiense Concilium. Urbano VI in Italia defuncto successit Bonifacius IX anno Christi 1381, seditque annos 15; In Gallia verò Clementi VII defuncto successit Benedictus XIII, qui sedit annos fermè 30, scilicet usque ad annum Christi 1424 vel circiter, quamvis in magna conturbatione. Hi enim & qui hos secuti sunt suo loco nihilo mitiores inimicitias exercebant, donec Cardinales tandem tempore Sigismundi Alexandrum V, & post hunc, citò defunctum, Johannem XXIII crearent,

Pontificum Italorum ac Gallorum dissidia. Peuc. fol. 1156, &c.

Annatæ à Bonifacio IX promulgatæ. ut infrà dicetur. Bonifacius IX Romæ promulgavit & publicavit constitutionem Annatarum, ut scilicet qui quis beneficium aut Sacerdotium consequeretur, dimidiam partem annui proventus fisco Ecclesiæ Romanæ penderet. Quod onus licet admodum grave admissum tamen est ab omnibus præterquam ab Anglis, qui hoc onus solis Episcopatibus imponendum censuerunt, Germani verò ad ea beneficia quæ immediatè à Pontificibus conferuntur, restrinxerunt. Peuc. fol. 1158.

Albatorum ordo. 2. Albatorum secta mirabilis extitit anno Christi 1399, autore quodam presbytero, qui ex Alpibus in Italiam descendit cum magna hominum multitudine, tantâ modestiæ & sanctitatis specie, ut ingentem virorum & mulierum turbam secum traheret linteis albis sine sexus discrimine amictam. Quum autem presbyter Romam ad visenda loca sancta tenderet, Papa insidias metuens emissis militibus eum comprehendi jussit, & sceleris condemnatum exussit. Sic igitur dissipata est turba hæc & secta evanuit. Polydor. Virg. libr. 7. cap. 5. circa finem Dress. fol. 289.

Joh. Palæologus. 3. In Oriente Imperium Romanum gubernat Johannes Palæologus Andronici IV filius, qui ab anno Christi 1357, imperavit annos 30. Hic Johannes filium habuit primogenitum Andronicum, cui absens imperium commendavit; alterum filium habuit Emanuelem, quem Thessalonicæ præfecit, ut suprà etiam indicatum est. *Odia consanguineorum acerbissima sunt.* Quum autem Andronicus ad patrem deferretur, quòd cum Amurathis filio in patris necem conspiraret, pater ei visum



ademit fervido aceto in oculos infuso, Andronicus

quanquam cæcutiens ad Bajazetem profectus per hunc patri regnum eripuit, eumque cum fratre Emanuele in tetrum carcerem inclusit, unde tertio anno Emanuel elapsus fratrem rursus Bajazetis consensu exturbavit, ac cum Johanne filio vinctum in curiam misit. Submiserat autem sese Andronicus Bajazeti adeò, ut tanquam vasallus ab ipso imperium possideret. Fratre Andronico hoc modo expulso Emanuel regnum obtinuit à Bajazete, promisso ingenti tributo, & tradito insuper vico civitatis integro. Jurejurando etiam fidem suam Bajazeti obstrinxit datis obsidibus, ut auxiliares copias Turcicis ubicunque bellum esset gerendum adjungeret. Sed non multò post Bajazetes (ut tyranni sunt instabiles) instigatus à Johanne Andronici filio, & atrocibus calumniis inductus, adversus hunc Emanuelem Palæologum Byzantium obsedit, sed improvisâ irruptionis Tamerlanis Scythæ ab urbe discedere coactus fuit. Uxorem habuit Emanuel Turcicam, viduam regis Trapezuntini, ex qua suscepit septem filios, de quibus Peuc. fol. 1087,&c.

Andronici ignominiosum fœdus cum Bajazete Turca.

Emanuelis fœdus cum Bajazete itidem ignominiosum.

Bajazetis inconstantia.

Bajazetes bello lacessitur à Tamerlane Scytha.

4. Ex Tartarorum reliquiis diversæ sed amplæ & præpotentes prodierunt Tartarorum gentes, quæ sedibus vagæ sed bello illustres. Asiæ Europæque non rarò terrorem intulerunt. Dividuntur in Hordas, quæ vox multitudinem populi in unum consentientis seu congregationem ad effigiem civitatis significat. Singulis autem hordis præsunt principes, & sese extendunt usque ad Cathaynam celeberrimam in extremo ad orientem Oceano civitatem, quæ regno Cathayno nomen dedit, cui præest magnus Can, quem supremum regem cæteri agnoscunt. Plura apud Peuc. fol. 1026.

Diversæ & bellicosæ gentes ex Tartarorum reliquiis.

Hordæ.

Cathayna.

Magnus Can.

5. Turcicus Imperator Amurathes in auxilium vocatus à Johanne Palæologo contra Proceres Græciæ, Marcum Crajovicium Bulgariæ & Lazarum Bulcum Serviæ Despotas, missis 12000 delectorum Turcorum in Græciam facilè Palæologi hostes repressit. Postea summis invitatus occasionibus obtinendæ regionis opulentæ cum 60000 Turcorum transiit in Europam sub specie amicitiæ tanquam socius Palæologi vel inviti. Hæ copiæ mox aliquot vicina Hellesponti oppida vi expugnarunt, & assiduis excursionibus Thraciam pervagatæ Philippopolin occuparunt, indeque conversæ in Marcum Bulgarum & Lazarum Serviæ Despotas reliquosque proceres

Amurathes sub specie amicitiæ invadit Thraciam.

ceres prœliatæ sunt & eos fuderunt. In hoc prælio Lazarus captus vitam in carcere finiit. Amurathes à milite quodam Triballo, homine Christiano & Lazari cliente in castris ficâ transfossus est, anno Christi 1389. Fuit hic Amurathes hujus nominis primus, in ordine rex tertius, homo fallax, qui datam fidem ex opportunitate proferendi imperii metiebatur, bello & pace simulator egregius. Bella maxima, numeroque 37 in Europa & Asia gessit, & in nullo victus succubuit. Filios reliquit Jacuppum à proceribus dolosè interfectum, & Bajazeten, qui patri in imperio successit anno Christi 1389, idque tenuit annos 9. Lazarum Serviæ Despotam captum vindicandæ mortis patris Amurathis caussâ frustillatim concidit. Relictâ Prusiâ Bithyniæ urbe sedem imperii fixit Adrianopoli, ut Europæ vires faciliùs cum Asia conjungeret; inde in Bulgaros & Servios movit, quorum universam nobilitatem delevit, totamque illam ditionem sibi subegit. Nec hisce contentus in extremam Illyrici regionem, & interiorem Macedoniæ atque Epiri partem ad ipsam Ungariam usque horrendis excursionibus penetravit & ingentibus spoliis onustus impunè recessit, abactâ in Thraciam innumerabili captivorum multitudine. Deinde urbi Constantinopoli castra admovit tanto cum Græcorum metu, ut Johannes Palæologus in Galliam usque ad imploranda Europæa auxilia navigare cogeretur. Galliæ rex tum temporis erat Carolus VI, qui patruelem suum Johannem Comitem Nivernensem cum exquisito equitatu misit in Pannoniam, ut Sigismundo regi in communes hostes arma paranti præstò esset. Adfuerunt etiam præcipui Germaniæ & Galliæ principes, qui ad Sigismundum delati Nicopolin pervenerunt. Ejus urbis oppugnatio infeliciter tentata est. Quid verò hic Bajazetes? Solutâ obsidione Constantinopolis Nicopolin se confert; collatis signis concursum & acerrimè dimicatum est, anno Christi 1395, ubi 300000 Turcorum 80000 Christianorum opposita fuerunt, & tamen ex Turcis 60000, de Christianis verò 20000 occubuerunt. Bajazetes victoriam obtinuit, Gallorum verò Duces maximâ parte capti, & Sigismundus ipse parvâ cymbâ Danubium trajiciens vix evasit. Peperit hanc cladem Christianorum discordia, dum modò Ungari modò Galli primas prœliandi partes sibi sumere niterentur. De pugna

Amurathis interitus. Mellif. p. 3. f. 331.

Amurathis ingenium.

Amurathis felicitas in bellis.

Amurathis filii.

Bajazetes Amurathis filius & successor.

Bajazetes Bulgariam & Serviam occupat.

Bajazetes in Europa regnum suum latè amplificat.

Bajazetes Constantinopolin obsidet.

Carolus VI Galliæ rex Palæologo parat auxilium contra Bajazetem.

Prælium ingens committitur, in quo Bajazetes victor evasit.

gna hac Sigismundi Ungariæ regis cum Turcis ad Nicopolin vide Peuc. fol. 1169 & 1197. & Mellif. parte 3. fol. 332 & seqq. Post Nicopolitanam victoriam Bajazetes (aliàs dictus Gilderun Chan) ad obsidionem Constantinopolitanam reversus omnia suburbia dirutis ædificiis evastavit, & jam videbatur urbe potiturus, nisi interpellatâ obsidione in Asiam eum procul abstraxisset Tamerlanes Scytha, qui aliàs dicitur Temyr Chan, vulgaris civis urbis Samarcandæ (est hæc metropolis Tartarorum Zagatajorum ad amnem Jaxartem) humili loco natus, sed belli successibus ad summum imperium evectus Hic motus petitione Turcomannorum (hi sunt Νομάδες ἁμαξόβιοι) quos Bajazetes bello adortus fortunis spoliaverat, & principes abduxerat, quum legationem misisset & ut exules restituerentur petiisset, contumeliis à Bajazete exceptus fuit Tamerlanes. Quâ injuriâ irritatus Scytha cum centum myriadibus, 1000000, id est, decies centies mille, seu millies millenorum, equitum & peditum è Scythia effusus in Asiam descendit, & captis aliquot Armeniæ urbibus superato Euphrate in Cappadociam transiit, ubi expugnatâ Sebastiâ (quæ hodie Suias appellatur) Orthobulum Bajazetis filium cepit & paulò pòst interemit. Ibidem commoranti obviam factus Bajazetes cum ingentibus copiis castrametatus est ad Stellam montem. Dimicatum est anno Christi 1398, anno 2 post Nicopolitanam cladem, eo exitu ut circiter 140000 hominum ceciderint, & Bajazetes equo plurimis sagittis confixo captus & ad Tamerlanem adductus universæ Asiæ miserabile spectaculum extiterit. Interrogatus à Tamerlane, si fortunam habuisset propitiam, quidnam de se facturus fuisset? Ego verò, inquit, te ferreâ caveâ conclusum mecum circumduxissem. Jussit igitur Tamerlanes ferream caveam parari eamque cancellatam, in qua Bajazetem aureis catenis vinctum circumduxit, omniumque risui & probro exposuit. Tanto ludibrio habuit Bajazetem, ut equum conscensuro scabelli usum præstare cogeretur, ut olim contigit Valeriano Imperatori Saporis Persarum regis captivo. Uxorem Bajazetis Lazari Despotæ filiam loco pocillatricis famulantem in conspectu mariti ad mensam adhibuit. Deprecanti cuidam pro Bajazetis salute respondisse fertur Tamerlanes, se non regem sed hominem improbum & nefarium fratris parrici-

Bajazetes ab obsidione Constantinopolitana abstrahitur per Tamerlanem Scytham.

Prælium Bajazetis cum Tamerlane, in quo Bajazetes succumbit.

Bajazetes suo ipsius judicio ferrea cavea inclusus ludibrio omnium exponitur.

Tamerlanes defen-

dit justitiam suam. ricidam justè punire. Peuc. fol. 1198, &c. Mellif. parte 3. fol. 333, & seqq. Bucholtz. in anno Christi 1398. Dresf. Millen. 6. fol. 570.

Sigismundus Poloniæ rex.

6. In Polonia anno Christi 1382 rex factus est Sigismundus, Caroli IV Imp. filius, Ludovici regis gener. Sed mortuo eodem anno Ludovico, Hedwigis altera ejus filia regina electa & coronata est eo consilio ut viro alicui strenuo in matrimonio collocari posset, qui regnum moderari & ab hoste tueri sciret. Mellif. p. 3. fol. 369, 370, 371. & Peuc. fol. 1031. Erat per id tempus Jagello Lituaniæ Dux Magnus, qui auditâ Hedwigis formâ & modestiâ legatos ad eam de matrimonio regnoque dotali misit, ex ethnico Christianum se futurum, cum tota gente sua, & universum Ducatum Lituaniæ cum Poloniæ regno copulaturum pollicens. Regina verò à patre jam alii desponsata erat, nempe Gulielmo Austriaco, quem etiam perditè amabat. Poloni nihilominus Jagellonem expetebant. Interim Gulielmus Austriacus advenit, à regina splendidè accipitur; adornantur nuptiæ; sed interrumpuntur adventu Jagellonis, quem Poloni Gulielmo præferunt. Gulielmus clàm discedere cogitur, & Jagello potitus reginâ & regno cum fratribus baptizatur, & Vladislai nomen accipit, dictusque est Vladislaus Jagello. Hoc modo Lituania Poloniæ adjuncta & ad Christi fidem conversa est. Bellum acerrimum gessit Jagello cum Crucigeris, in quo ter eos ingenti prælio superavit. Regnavit usque ad annum Christi 1434.

Jagello Lituaniæ dux miro consilio fit rex Poloniæ.

Jagello baptizatus appellatur Vladislaus Jagello. Lituania Poloniæ adjuncta recipit Euangelium.

Maria Ungariæ regina. Mariæ sponsus Sigismundus.

7. In Ungaria post Ludovicum I ad regni fastigium evecta est filia Maria; sed contra hanc mox electus est Carolus II rex Neapolitanus, ex Apulia dictus Dyrrachianus, quem Elisabetha Mariæ mater ad colloquium clandestinum evocatum de improviso occidendum curat. Quâ re offensi Ungari matrem cum filia capiunt, ac matrem quidem in vicino flumine suffocant, filiam verò custodiunt usque ad adventum sponsi ejus Sigismundi, qui à cunctis ordinibus rex salutatur anno Christi 1385. Fuit hic Sigismundus frater Wenceslai Imp. filius Caroli IV Imp. adoptatus à Ludovico Ungariæ rege, qui post Rupertum factus est Imperator anno Christi 1411. Quàm infeliciter ad Nicopolin contra Bajazetem Turcam pugnaverit, suprà dictum est. Ob acceptam in hac pugna cladem à proceribus Ungariæ in custodiam

Sigismundus ex Ungaro-

traditus

traditus est, unde tamen non multò pòst emissus graviter in factiosos animadvertit, quod factum est postea sub imperio Ruperti anno 1401. Magna cum difficultate regno potitus est. Nam Carolo Dyrrachiano à vidua Ludovici regis interempto (voluit enim hæc Sigismundo futuro genero regnum sine certamine tradere) prodiit quidam Johannes Horvatius Banus, qui ut Caroli necem ulcisceretur, reginam in aquam demersam suffocavit. Quo cognito Sigismundus annum jam agens 20, ne regnum amitteret, Ungariam cum exercitu ingressus regiis insignibus susceptis, & nuptiis celebratis, de Horvatio ejusque 30 complicibus, qui de abrogando sponsæ suæ regno consenserant, supplicium sumpsit. Hâc severitate Ungari irritati captum Sigismundum custodiendum tradiderunt cuidam fœminæ viduæ, cujus maritum inter factiosos supplicio affecerat. Sigismundus irato fœminæ animo amplissimis promissis placato, è custodia liberatus, mox regno recepto & præsidiis firmato, autorem captivitatis Stephanum Waywodam securi percussit, quo exemplo reliqui territi quieverunt. Quanta in toga fuit ejus felicitas, tanta in armis fuit infelicitas. Regnavit annos 51, & anno regni 26 factus est Imperator Romanus.

rum captivitate emissus vindicat injuriam.

Horvatius Banus infeliciter se opponit Sigismundo.

Stephanus Waywoda securi percussus.

Sigismundus fit Imperator.

8. In Gallia post Carolum v, Johannis Valesii filium, rex creatur Carolus vi filius, anno Christi 1380, regnavitque annos 42. Ejus res gestas prolixè commemorat Frossardus lib. 2. à fol. 131 ad finem libri 4. Grave ei fuit bellum cum Angliæ rege. In Britoniam suscepta expeditione dum per sylvam Cenomanniæ proximam iter facit, admonetur ab homine pannoso ne ultrà pergat. Rex mussitans nihili facit monitionem, & dum ex lanceæ in alterius militis cassidem decidentis tinnitu terretur, in furorem actus non secus ac si in confertissima hostium turba versaretur, exempto gladio in proximos quosque sævit, & quatuor ex illis occidit. Inde comprehensus & in diversorium adductus mortuo similis aliquandiu jacuit, & deinde precibus pro eo factis sese recollegit.

Carolus vi Galliæ rex.

Carolus vi in furorem actus.

9. In Anglia regnare cœpit anno Christi 1378 Richardus II, Eduardi Walliæ principis filius, & regnavit annos 22. In uxorem duxit Annam Wenceslai Imp. filiam anno Christi 1384, quæ sine prole decessit ex hac vita

Richardus II.

anno

anno 1394. Sequenti anno Richardus & Carolus G[illegible] ad Arderam prope Caletum conveniunt, & pactis [illegible] nos 30 induciis Isabella Caroli filia annos ferè 8 [illegible] chardo despondetur; deinde inter Richardum & al[illegible] proceres acerrima oriuntur dissidia. Thomam Gl[illegible] strensem patruum mali animi erga se suspectum [illegible] sidiis Caletum usque deportatum enecat, quam inju[illegible] Lancastrius & Eboracensis fratres Thomæ occisi [illegible] care conantes placidis verbis à rege mitigantur. Po[illegible] Henricus Lancastrii filius nobilium conspiratione [illegible] exilio, in quod ob delationem criminis læsæ maje[illegible] erat actus, ad regnum evocatur. Quare inopinatò [illegible] Angliam reversus Richardum regem nullo negotio [illegible] ptum in arcem Londini conjicit, eumque coacto pri[illegible] pum concilio reipublicæ malè administratæ damnatum corona & sceptro abdicat, & ad Pontifracti arcem [illegible] ductum trucidat. Sunt qui inediâ ipsum periisse scribunt. Factum est hoc anno 1399. Jovius.

Induciæ inter Anglum & Gallum.

Henricus IV rex Angliæ.

Richardi miserabilis interitus.

10. Hoc tempore in Italia literarum & linguarum studia, postquam 700 ferè annis oppressa conticuerant, renasci ac renitescere cœperunt. Græci enim Turcicam immanitatem pertimescentes in Italiam secedebant, secumque eò literas humaniores transtulerunt, atque ita Musis novas sedes paraverunt, unde cultiores literæ dicuntur Alpes transvolasse. Exules è Græcia fuerunt: Emanuel Chrysoloras Byzantinus, qui Grammaticam Græcam scripsit, Theodorus Gaza Thessalonicensis Græcè & Latinè doctissimus, Gregorius Trapezuntius, & alii. Hinc porrò ex Italia fulgidissima artium ac linguarum lampas in Galliam, Germaniam & cætera vicina regna sparsa est, & sic ex Orientis ruina Occidenti salus contigit.

Græci in Italia restituunt literarum studia.

Chrysoloras.

Th. Gaza.

Trapezuntius.

Ex orientis ruina occidenti salus contingit.

11. Academia Coloniensis anno 1388, & Erphordiensis anno 1392 conditæ sunt.

Academia Coloniensis, & Erphordiensis.

12. Johannes Galeacius Vicecomes Mediolanensis novo honoris titulo cohonestatur, ut jam ampliùs non Vicecomes, sed Dux Mediolani diceretur & esset. Quum enim antea Vicecomites beneficio Imperatorum essent vicarii præsides Mediolani, accidit ut Wenceslaus Imp. in Imperii fraudem ac detrimentum urbem Mediolanum totamque ejus ditionem grandi pecuniâ venderet, & transmissis per legatos sceptro ac pileo insignibus, pote-

Galeacius Dux Mediolani.

Ditio Mediolanensis.

statem

statem adderet, ut Johannes Galeacius hunc Ducatum jam recens cusum & fabrefactum in hæredes transferret. Hoc modo Vicecomites facti sunt Duces, & primùm natus est Ducatus Mediolanensis. Peuc. fol. 1151.

13. Helvetica confederatio per Wenceslai Imp. incuriam & ignaviam magis aucta & confirmata est. Nam Duces Austriaci urbes Helveticas, & Wirtenbergenses ac vicini comites urbes Suevicas miris modis exagitabant, unde civitatibus inter sese fedus faciendi necessitas allata est. Helveticæ octo, Suevicæ plures sese conjunxerunt. Leopoldus III Austriacus comitem Kiburgi armarat & adjuverat contra civitates Helveticas: quumque hostes contemnens audaciùs in prælium irruisset, magnâ strage victus occubuit anno 1389. Hâc victoriâ Austriaci Duces mitiores facti ad æqualia jura cum Helvetiis sese demiserunt. Suevicæ civitates ad Reutlingam urbem anno 1377 vicerant Wirtenbergenses, ut altero à conflictu anno bellum sopiretur, sed quum omnia ab utraque parte essent suspecta, recruduit bellum Wenceslao Imperii curam negligente, & ad Villam oppidum victoria rediit ad Wirtenbergenses, quamvis admodum cruenta. Peuc. fol. 1152.

Helvetica confoederatio. *Austriaci ab Helvetiis victi.* *Wirtenbergenses à Suevicis civitatibus victi.* *Suevicæ civitates victæ à Wirtenbergensibus.*

14. Hoc tempore inventæ sunt bombardæ, ferale illud bellicorum tormentorum genus à sonitu sic vocatum. Autor perhibetur Monachus Chymista, Bertholdus Niger, aliàs Schwartz, homo Germanus. Occasio inventionis narratur hæc: Servavit Bertholdus domi in mortario pulverem sulphureum cujusdam medicinæ faciendæ caussâ, illudque trivisse fertur lapide, ac mox contigisse, ut dum ignem ex silice propè excuteret, scintilla intrò ceciderit, subitoque flamma eruperit, atque lapidem in altum extulerit. Hujus rei casu edoctus Monachus, postea factâ ferreâ fistulâ & pulvere confecto machinam reperit, ac ejus usum Venetis in bello contra Genuenses ostendit, quod factum est anno Christi 1380. Vide Polydorum Virg. libr. 2. de rerum invent cap 11. Nimirum in generis humani perniciem inventum est hoc instrumentum Diabolo architecto, Monacho ministro ac fabro, ut quum jam paulatim effrenis monachorum licentia in hominum animas accedente Euangelii luce labasceret, iisdem autoribus novum prodiret malum quod in corpora sæviret excogitatum. Nomen est à

Bombardarum inventio.

βόμβος, quod est sonitus. Vocatur etiam sclopetum. Sclopus enim est sonus ille qui ex buccarum inflatione erumpit. Rectè dictum;

Non audet Stygius Pluto tentare quod audet
Effrenis monachus plenaque fraudis anus.

RUPERTUS.

Quum propter ignaviam & plusquam Epicuream ac beluinam feritatem μαγείτης ille Wenceslaus à principibus Electoribus imperio esset motus, anno Christi 1400 in munere substitutus est Fridericus Dux Brunswicensis, natus Magno Juniore & Catharinâ filiâ Woldemari Marchionis Brandeburgensis, princeps bellicosus & prudens. Sed Moguntinus præsul ex odio alienus à suffragio structis insidiis ipsum in reditu à Comitiis ad urbem Frislariam per Comitem Waldecensem nefariè interfecit, ex quo tristissimi motus & tumultus in imperio orti sunt, ut principes in suis consultationibus multùm impedirentur. Veterum quoque molitionum autoribus Moguntinis Episcopis structarum memoria est renovata, & pervulgatum illud παροιμιακὸν jam penè sopitum, *Moguntia ab antiquo nequam*. Hujus proverbii originem esse aiunt inde, quòd ad limen basilicæ cathedralis Moguntiæ aliquando inventus sit lapis, cum hac inscriptione: *Verte, & invenies*: versum autem lapidem hoc quod diximus ἐγκώμιον spectantibus exhibuisse. Hisce motibus ita ferventibus principes Electores Bopardiæ congressi Imperii majestatem deferunt suo collegæ Ruperto Bavariæ Duci, Electori Palatino ad Rhenum, principi ingentis animi, bellicoso & patriæ amantissimo. Aquisgrani quum esset coronandus, & Aquenses in urbem ipsum nollent intromittere, eò quòd juramento adhuc obstricti essent Wenceslao, reductus est à Coloniensi Coloniam, ibique regio diademate est cinctus. Cœpit imperare anno Christi 1400, & imperavit annos 10. Vixit autem adhuc Wenceslaus ut rex Boëmiæ annos 9. Solicitus fuit de motibus Italicis, quos Johannes Galeacius Vicecomes Mediolanensis Ducis titulum jam adeptus & totius Italiæ regnum affectans concitaverat, sedandis, sed frustrà, impeditus scilicet Moguntini artibus, quibus, ne decimas, quas permissu Bonifacii IX à Sacerdotibus exigendas impetraverat, acciperet, effecit. Neque

Fridericus Brunswicensis insidiis Moguntini nefariè interfectus.

Moguntia ab antiquo nequam.

Rupertus Elector Palatinus eligitur Imperator.

Rupertus contra Galeacium frustra bellum gerit.

quo

que hoc tantùm, verùm etiam Leopoldum Auſtriacum & Colonienſem Epiſcopum expeditionis Italiæ ſocios retraxit & ab Imperatore avulſit. Pergit nihilominus Imperator Rupertus in ſuo inſtituto literis Pontificis & Florentinorum motus, ut Galeacii furorem compeſceret, ejuſque creſcentem potentiam infringeret. ſed à Galeacio victus nihil profecit. Et quum porrò ſe à Papa & Florentinis deſeri ac negligi ſentiret, re infectâ in Germaniam rediit, & abjectâ Italiæ curâ domi rempublicam benè & feliciter gubernavit uſque ad vitæ exitum. Obiit autem in urbe Oppenheim, & Spiræ ſepultus eſt anno 1410. Ejus poſteritatem & quomodo hinc deſcenderint Palatini Comites & Electores vide apud Peuc. fol. 1167 & 1168.

Rupertus Italiæ curam abjicit.

Ruperti obitus.

Synchroniſmus.

1. In Eccleſia Papali tres ſimul fuerunt Pontifices, Benedictus XIII, qui in Gallia ſucceſſit Clementi VII Avinione; Gregorius XII, qui Romæ ab anno 1406 ſedit annos 8, & inſignia Papalia retinuit uſque ad Concilium Conſtantienſe, licet Concilii Piſani ſententiâ privatus eſſet Pontificatu, eique ſurrogatus Alexander V, qui duntaxat 11 menſes ſedit, & mox ſucceſſorem habuit Johannem XXIII, qui ab anno Chriſti 1409 ſedit annos 5 & menſes 10, unà cum Benedicto & Gregorio. Vide lector tricipitem Eccleſiam vel potiùs Cerberum, videlicet Benedictum XIII, Gregorium XII & Johannem XXIII, qui ſe veros Pontifices affirmabant. Eant igitur pontificii & glorientur de nunquam interrupta perſonali ſucceſſione Paparum.

Tres pontifices eodem tempore in Eccleſia Papiſtica. Benedictus XIII in Gallia. Gregorius XII Romæ. Johannes XXIII Romæ.

2. Incidit in annum 1400 ex pontificia ordinatione jubilæus tertius, quo Roma rurſus ab innumera hominum multitudine religionis cauſſâ frequentata eſt, & peccatorum remiſſio per indulgentias pecuniâ redemptas conceſſa, atque ita magnus quæſtus factus.

Jubilæus tertius.

3. Johannes Huſſ factus eſt concionator Pragæ in templo quod vocatur Bethlehem anno Chriſti 1400. Errores Pontificios publicè & quidem liberè reprehendit, commentum ignis purgatorii ad quæſtum monachorum confictum & comparatum refutavit, invocationem ſanctorum improbavit, traditiones humanas rejecit, prima-

Johannes Huſſ puræ Evangelii doctrinæ in Bohemia concionator.

tum Pontificis impugnavit, mutilum Sacramenti c-
næ usum damnavit, indulgentias Papales taxavit, c-
jugium sacerdotum comprobavit, merita operum
priorum extenuavit, & solius Christi meritum præd-
vit. Wiclefi præceptoris sui doctrinam contra err-
pontificiæ Ecclesiæ orthodoxam esse pronunciavit.
doctrina quum à multis nobilibus magno plausu acc-
retur, Pontifex eum accersivit ut Romæ caussam dice-
Sed intercessit nobilitas Bohemica, & missis legatis H-
sum purgavit. Johanni Husso sese adjunxit Hierony-
Pragensis, quo eventu, docebitur in concilio Cons-
tiensi. Prodiit etiam Petrus Dresdensis, Scholæ Prag-
sis moderator, qui ablationem poculi ex S. Cœna d-
mnabat, & Jacobo Misnensi concionatori in templo
Michaëlis ut utramque speciem Bohemis porrigeret, a-
tor extitit.

Johannes Huss accersitur Romam. Hieronymus Pragensis. Petrus Dresdensis.

Tamerlanis miri successus & victoria.

4. Tamerlanes Scytharum rex potentissimus post v-
ctum Bajazetem Turcam, Taurum montem transgre-
in Mesopotamiam pervasit, & ad mare Syriacum us-
signa protulit, Sultani Memphitici copias non pro-
cul à Pelusio profligavit, suumque regnum miris mo-
dis amplificavit. Prætoria triplici colore distincta habuis-
se fertur, candido, rubente & atro. Primo obsidionis
die candido prætorio usus est, altero rubente, tertio atro.
Candidum mox dedentibus sese clementiam, rubrum
cunctabundis gladium, atrum repugnantibus flammam
& gladium denunciabat. Ad Ægyptum arenosis solitu-
dinibus detentus victoriis suis finem imposuit, quumque
exercitum suum pestilentia absumeret, dives spoliis re-
diit Sarmacandam, ubi fato functus est anno Christi
1402. Reliquit post se duos filios successores, qui à vir-
tute paterna degenerantes, odiisque & bellis mutuis in-
ter se concertantes regnis paternis paulatim privati ac
spoliati imperio alieno subjecti sunt, & hoc modo Asiæ
imperium ad Ottomannos relapsum est.

Tamerlanis prætoria.

Tamerlanis obitus, & filii degenerantes. Tamerlanis regnum redit ad Ottomannos.

Bajazetis miserabilis exitus.

5. Bajazetes I, Turcarum rex quartus omni spe li-
bertatis à Tamerlane impetrandæ amissâ, mœrore ad
desperationem veluti adactus altero à captivitate anno
capite ad caveam ferream allisо mortem sibi conscivit,
quum Turcica bella administrasset annos 26. Ab incre-
dibili celeritate in omnibus negotiis dictus est Turcicâ
linguâ Hildrin, quod Græcis est λαίλαψ, hoc est, cœli
ful-

fulgur, seu summæ celeritatis canis. Reliquit Bajazetes plures filios, de quibus alii alia & quidem discrepantia scripserunt, ut quid recipiendum sit vix videas. Parricidia inter fratres patrata sunt. Successit enim in regno Mahometes, quem alii vocant Cyriscelebem, alii Cyrum, alii Celebinum. Sunt qui proximè post Bajazeten ponunt Solymannum I, & hunc filium natu maximum Bajazetis dicunt, Turcarum regem quintum, in cujus locum alii ponunt Calepinum. Solymanno I, qui anno 7 regni à subditis suis in quodam pago interemptus est, mox subjungunt fratrem Musam Celebis, qui ab aliis Moses appellatur & cœpit imperare anno Christi 1410, sextus rex Turcarum, qui anno Christi 1413 à fratre Mahomete prælio victus, captus & strangulatus est. In tanta hac varietate, ait Peucerus fol. 1205, mihi rectiùs videtur sequi Græcos, & Mahometem hunc, quem primum aliqui statuunt, facere filium Bajazetis, sive idem sit qui Celebinus sive alius, qui cæteris fratribus sublatis ad unum Mustapham usque solus dominatu potitus est.

Solymannus.

Musa Celebis.

Peuceri judicium de ordine Turcicorum Imp. post Bajazetem.

6. Vladislaus Jagello Poloniæ rex, & Wenceslaus rex Bohemiæ convenerunt Vratislaviæ, ubi de fœdere inter ipsos tractatum anno 1404, & parum absuit, quin Boëmus Polono Silesiam restituisset, nisi ordinum consiliis hoc impeditum fuisset. Etenim quum olim Poloni post obitum ultimi Casimiri externum regem ex Ungaria Ladislaum, exclusis Casimiri agnatis advocassent, ægerrimè id tulerunt Silesiæ principes, qui ex Ladislao illo Polono, qui injusto bello fratres suos adortus & infelici eventu è regno ejectus auxilio Barbarossæ Silesiam receperat, erant orti. Quapropter dolore repulsi à Polonis discesserant, & quum numero plures mutuis insidiis ac cædibus sese conficerent, Johannes Boëmiæ rex & hujus filius Carolus (Carolus IV Imp.) optatam occasionem nacti, auctis inter dissidentes principes odiis non magno negotio perfecerunt, ut alii sponte, alii minis, alii pollicitationibus regno Bohemiæ sese subjicerent. Peucer. fol. 1029, 1030.

Polonus & Bohemus tractant de Silesia.

7. In Anglia rex factus est Henricus IV filius Lancastrii anno 1400, & regnavit annos 14. Multos ex Richardi amicis ac familiaribus habuit inimicos ac adversarios, quos tamen fortiter ultus est. Isabellam Richardi viduam filiam Caroli VI Galliarum regis ad patrem

Henricus IV Angliæ rex.

remisit, confirmatis 30 annorum induciis.

Gallia in factiones distracta. 8. In Gallia Ludovicus Aurelianensis Dux, Caroli VI regis frater, Lutetiæ occiditur à percussoribus immissis per Johannem Burgundiæ Ducem fratrem Caroli Audacis, unde Gallia tota in factiones diu est distracta. Factum est hoc anno 1407.

Academia Cracoviensis, & Lipsica. 9. Academia Cracoviensis in Polonia constituta est per Vladislaum Jagellonem consentiente Bonifacio IX, & ex Pragensi Academia deducta est Lipsica.

Frossardus, Thomas à Kempis. 10. Floruerunt hoc tempore Johannes Frossardus, qui scripsit historiam Franciæ, Scotiæ & Britanniæ; & Thomas à Kempis autor libelli de imitatione Christi.

SIGISMUNDUS.

Ruperto Palatino successor in Imperio quæsitus est Sigismundus Ungariæ rex, filius Caroli IV Imp. de quo in superioribus multa diximus. Cœpit imperare anno Christi 1411, qui fuit annus regni Ungarici 24. *Turbulentus status Ecclesiæ & Politiæ.* Memorabilia sunt quæ imperante hoc Sigismundo in imperio contigerunt tum in Ecclesiasticis tum in politicis. Utrobique enim turbæ fuere non exiguæ. *Schisma Pontificum occasio Synodi Constantiensis.* In Ecclesiasticis orbem Christianum peturbarat schisma Pontificum trium, qui de pontificatu acerbissimis execrationibus inter se concertabant. Huic malo ut Sigismundus occurreret, Constantiensem Synodum convocavit, ut mox dicetur. Quumque in hac Synodo Imperator à pontificiis inductus contra datam fidem Johannem Hussum & Hieronymum Pragensem Euangelicos Doctores ad ignis supplicium condemnari permisisset, ægerrimè id tulerunt Bohemi, qui Husso & hujus doctrinæ favebant. *Occasio belli Hussitici, cujus dux Ioh. Zisca.* unde bellum exortum est quod dictum est Hussiticum longè acerrimum, Duce Johanne Zisca, cujus in hoc bello contra Imperatorem mirabilis fuit felicitas. Post Synodum Constantiensem constituerat Imperator redire ad bellum Turcicum, sed motibus Bohemicis magis magisque ingravescentibus ex itinere retractus in Moraviam deflexit, indeque porro in Silesiam, ubi Vratislaviam quum venisset, supplicium de seditiosis illis civibus, qui Senatum obtruncaverant, sumpsit, & deinde accitis subsidiis Saxonicis & Marchicis totum se ad bellum Bohemicum contulit. Urgebant hoc Pontificii, quòd viderent Hussitas

injusto

Hussitarum grassatio.

injusto supplicio Doctoris sui inflammatus miris modis infestare monachos & sacrificulos, monasteria exurere, statuas è templis ejicere, & idololatrias ab Husso improbatas exturbare. Aliquoties justâ acie conflictum fuit, sed Hussitæ Duce Zisca vicerunt.

Sigismundus rex Boëmiæ coronatus frustra adoritur Hussitas.

Imperator ergò ad reprimendos hostes Bohemiam est ingressus, & occupatâ urbe Pragâ metropoli anno Christi 1420 in Bohemiæ regem coronatus copias immisit in Hussitas, sed repulsus & fortunæ adversitate territus secessit in Moraviam ut bellum redintegaret.

Exercitus tripartitus contra Hussitas nihil efficit.

Interea Papa Martinus V totam Germaniam concitat contra Bohemos, ut tripartitus exercitus Bohemiam peteret; quorum unus è Saxonibus conflatus ducebatur à Saxoniæ Electore; alter ex Franconibus à Marchione Brandeburgensi; tertius ex Rhenanis ab Ottone Archiepiscopo Trevirensi. Sed nihil contra Hussitas effectum est.

Panicus terror.

Hæ enim copiæ quasi Panico terrore perculsæ hoste nondum viso aufugerunt. Pergit tamen contra fatum etiam Pontificis furor. Misso enim Juliano Cæsarino Cardinale ingens rursus cogitur exercitus priore instructior, sed eventu planè simili ante congressum cum hoste dissipatur.

Angeli propugnant Hussitas.

Quinquies tradunt Hussitas frustra fuisse tentatos, ut dubium non sit habuisse eos Angelos propugnatores. Quum ergò jam Hussitarum hostes omni victoriæ spe excidissent, Julianus Cardinalis ad concilium Basiliense, Sigismundus verò in Italiam se confert.

Concilium Basiliense.

Ad hoc concilium mittunt Hussitæ legatos, qui cautione de libero commeatu præstitâ, hoc maximè expetiverunt, ut controversiæ non nisi ex verbo Dei dijudicarentur. & post multam disputationem nihil aliud Hussitis est concessum, quàm communio seu usus Cœnæ Dominicæ integer sub utraque specie, ut vocant, panis & vini.

Hussitarum inter se discordia.

Sed hoc modo religionis discrepantia non est sublata, nec tumultuari desitum est in Bohemia, sed inter Pontificios & Hussitas bellum tam diu est continuatum, donec inter ipsos Hussitas & nobiles Bohemiæ dissidia orta sunt,

Boëmi se convertunt ad Sigismundum, & Pontificiorum nervus firmatur.

ut tandem fractis Hussitarum viribus Bohemia ad Sigismundum conversa manus dederit, & à legato Pontificio Basileæ in concilio absolutionem impetraverit, anno Christi 1435. Atque ita tandem post aliquot annorum bellum Pontificii conatus eruperunt in nervum.

Sigismun-

Sed durante Synodo Basiliensi

Sigismundus abit in Italiam. liensi Imperator Italiam adiit, attractus magnifici[illegible] licitationibus Philippi Mariæ Vicecomitis Mediola[illegible]sis, quem Veneti & Florentini terrâ marique gra[illegible] vexabant. Venit Mediolanum anno Christi 1431. In Italia quum hæreret ab Eugenio IV Pontifice coronatus est. *Sigismundus coronatur à Papa Eugenio IV.* Româ Ferrariam & Mantuam divertit, & Johannem Franciscum Gonzagam Mantuæ Dominum Marchionem creavit. Hinc in Ungariam reversus est, ubi utrique principi Saxoniæ & Brandeburgensi insignia ac jura Septemviratus solenni ritu tradidit, ut notat Peucerus fol. 1175. Quamvis Bucholtzerus tempus aliter notat. Ex Ungaria Bohemiam repetivit, quæ jam quietior facta obedientiam Sigismundo juraverat, quumque petivisset in regno successorem Albertum Austriacum generum, egregium principem, haud gravatè concessum est. *Albertus Austriacus gener Sigismundi constituitur successor in regno Boëmiæ.* Postea Znoymam Moraviæ urbem ad filiam delatus vitam ibi finiit. *Sigismundi obitus.* A Synodo Constantiensi majorem tum in bellicis tum in domesticis rebus expertus est infelicitatem. Ingenio fuit solerti ac prompto, quod ejus apophthegmata indicant. *Ejus apophthegmata.* Cuidam adulatori, à quo in faciem laudabatur colaphum impegerat, eique interroganti: Cur me cædis? respondit: Cur me mordes? Doctorem quendam juris unum ex consiliariis nobilem fecerat, quem deinde ad nobilium cœtum sese aggregantem riserat hisce verbis: Possum quidem unius horulæ spacio multos creare nobiles, sed per dies vitæ ne unum Doctorem. Transeunte illo flumen equus urinam emisit, quod sentiens quidam ex equitibus, Equus, inquit, domini similis est. Imperatori caussam quærenti respondit eques: Ut equus aquam addit aquæ, ita Imperator divitias divitibus. Quid ad hoc Imperator? Ocium nactus duas pyxides formâ & pondere æquales, sed alteram auro alteram plumbo repletam proponit, & ut alterutram sibi eligat jubet. Quid fit? Minister plumbeam arripit. Ad quod Imperator; Agnoscis ergo, mihi non deesse voluntatem, sed tibi non favere fortunam. Cæterùm duas habuit uxores Sigismundus, priorem Mariam Ludovici Ungarici filiam, quam amisit primo à nuptiis anno; alteram Barbaram Hermanni Comitis Ciliæ filiam procacissimæ lasciviæ mulierem, ex qua suscepit unicam filiam Elisabetham regni Ungarici hæredem, quam despondit Alberto

Sigismundi conjuges. Elisabetha Sigismundi filia de-

berto Austriaco, qui socero in Imperio successit, & cum Romano Imperio simul duo potentissima regna Ungaricum & Bohemicum obtinuit. *Sponsata Alberto Austriaco.*

Synchronismus.

1. Duravit huc usque schisma trium Pontificum, Benedicti XIII, Gregorii XII & Johannis XXIII, qui se veros Pontifices profitebantur. Cardinales in Pisana Synodo rejectis Gregorio & Benedicto pontificatum commendaverant Johanni XXIII, sed quum autoritas Cardinalium contemneretur, accessit autoritas Sigismundi Imp. & ipsius concilii Constantiensis, ad quod solus Johannes comparuit, reliqui duo accedere recusarunt. Johannes justus Pontificatum deponere noluit, interim vim metuens & mutato habitu noctu fugam adornans ex fuga est retractus & pontificatu motus, ne seditio aliqua fiat, Ludovico Bavariæ Duci traditus est, ubi in custodia est retentus, ex qua post quadriennium solutione 30000 ducatorum sese redemit. Gregorius per legatum abdicavit sese omni jure. Reliquus erat Benedictus, qui ut pertinax hæresiarcha & perjurus publico decreto excommunicatus est. Hoc modo tribus illis beluis amotis successor decretus est Otto Columnius ex Columniorum familia, qui nominatus est Martinus V, & sedit ab anno Christi 1417 annos 13. Successorem habuit Eugenium IV, qui ab anno Christi 1431 sedit annos 16, & concilium Basiliense à Martino V jam pridem indictum statim approbavit, & primo pontificatus anno inchoavit. A Philippo Maria Mediolanensi Duce Româ pulsus Florentiam profugit. Tandem ob multa crimina abrogatus est illi pontificatus, quum bis terve citatus à Basiliensi concilio parere noluisset. *Pontifices schismatici moventur pontificatu.* *Martinus V Papa.* *Eugenius IV Papa, qui inchoavit concilium Basiliense.* *Eugenius IV movetur Pontificatu.*

2. Constantiense concilium multo labore coactum est à Sigismundo Imp. anno Christi 1412, mense Novemb. & finitum anno 1418 circa Majum. Caussa fuit schisma Pontificum de quo dictum est modò. Ad acta quod attinet, satis liquet, huic Synodo præfuisse ipsum Diabolum, non Spiritum S. Etenim de erroribus in doctrina, de abusibus & disciplina emendandis nulla fuit mentio, licet non deessent viri boni & docti qui id maximè efflagitarent & urgerent, ut Petrus de Aliaco Cardinalis Gallus, *Concilium Constantiense.* *Concilii Constantiensis furor.* *Petrus de Aliaco di-*

ctus Cameracensis. Johannes Gerson. Concilii Constantiensis scopus. Acta Johannis Huss.

lus, Doctor Parisiensis, vulgò dictus Cameracensis, quòd Episcopus Cameracensis esset, vir magni nominis inter Doctores Scholasticos, & Johannes Gerson discipulus, Cancellarius Parisiensis & scriptis Theologicis clarus. Sed hi auditi non sunt, nec quæsita sunt remedia quibus Ecclesiæ vulnera sanarentur, sed ut veritatis cœlestis sinceri Doctores hæretici pronunciarentur ac damnarentur, ut notum est in Johanne Husso & Hieronymo Pragensi, qui licet publicâ fide ab Imperatore præmuniti accesserant ad hoc concilium, tamen non solùm non auditi sunt, verùm etiam contra fidem cum illis est actum. Nam ad Cardinales tantùm ductus est Hussus, & ab armatis undique septus custodiæ est traditus. Hoc fuit duntaxat ab ipso postulatum, ut cederet, & concilii judicio sese subjiceret, quod ipse non recusavit, modò ex verbo Dei erroris alicujus convinceretur. Duo autem præcipua fuerunt accusationis capita: primum quòd Pontifici, Cardinalibus & cæteris ordinibus papalibus detraxisset titulum Ecclesiæ & potestatem in condendis novis articulis fidei; deinde quod Sacramentum cœnæ integrum ex instituto Christi etiam laïcis porrigendum & omnia ad normam propheticorum Apostolicorumque scriptorum exigenda esse requisivisset. Quod idem etiam desideratum est in Hieronymo Pragensi. Hinc tale decretum est

Decretum de altera specie S. Cœnæ.

factum: Licet in primitiva Ecclesia Sacramentum cœnæ acceptum sit à fidelibus sub utraque specie secundum institutionem Christi, tamen consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala rationabiliter introducta est, ut à conficientibus sub utraque specie, & à laïcis tantummodò sub specie panis suscipiatur: quum firmissimè credendum sit integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis quàm sub specie vini veraciter contineri, &c. Sed ad martyres redeo. Obtinuit Papisticus furor,

Johannis Hussi supplicium.

cui ipse etiam Sigismundus cessit. Damnatus est Johannes Hussus, & usitato ritu exutus omni sacerdotali dignitate magistratui politico exurendus est traditus. Eductus ad locum supplicii, gestans mitram chartaceam Episcopali similem, in qua depicti erant tres cacodæmones cum hac inscriptione: Iste est hæresiarcha; subinde hanc vocem repetivit: Jesu Christe, fili Dei viventis, qui passus es pro nobis, miserere mei. Rogo impositus cum hac ipsa invocatione spiritum emisit anno Christi 1415.

& anno

& anno sequenti eodem modo tractatus est Hieronymus Pragensis, quum in carcere detentus ad pontificios accedere noluisset. Fertur Hussus ante ascensum ad rogum dixisse, nasciturum ex suis cineribus olorem quem non ita tosturi sint ut hunc anserem, Hussus autem Bohemicâ linguâ anserem significat. Item: Post annos centum vos Deo & mihi respondebitis. Quæ verba Bohemi in ambitu monetæ usurparunt cum imagine Hussi. Et certè eventus hoc vaticinium comprobavit. Nam inter finem Synodi Constantiensis, & initia disputationum Lutheri contra Indulgentias intercesserunt anni 100. Hæc breviter de concilio Constantiensi.

Hieronymi Prag. supplicium.

3. Basiliense concilium à Martino V indictum convocavit Papa Eugenius IV anno 1431. Primis duobus annis nihil est actum in hoc concilio, præterquam quòd Eugenius citatus & accusatus non comparuit. Actum postea est de reformatione omnium statuum in Ecclesia, & de Hussitis, estque extractum hoc concilium in annum undecimum usque, finitum scilicet anno 1442. Recusavit Papa venire, & concilium modò Ferrariam, modò Florentiam, modò Bononiam transferre studuit, eò quod in Germania feroci ac intractabili nihil quod ad Ecclesiam pertineret, effici posset. Revocavit etiam Julianum Cardinalem, quem præsidem consilii constituerat, Concilium vicissim citavit Pontificem idque sub pœna contumaciæ. Hinc horrenda extitit Pontificis & concilii distractio, quam ægrè tulit Sigismundus Imp. Habuit utraque pars fautores suos. Pontificis partes strenuè egit Nicolaus Cusanus Cardinalis literarum scientiâ & usu rerum præstantissimus. Disputatum est inprimis, hæreticusne haberi posset Eugenius Papa ob tantum Ecclesiæ contemptum; & decretum, quòd concilii autoritas superior & major sit autoritate Papæ. Idcircò Pontifice Eugenio rejecto novus est electus Sabaudiæ Dux Amadeus, qui sese Felicem V nominavit, quod factum est post Sigismundi obitum. Variæ igitur fuerunt Pontificis Eugenii molitiones contra Synodi Basiliensis decreta. Pronunciatum etiam est in hac Synodo Mariam virginem ac matrem Domini nostri Jesu Christi fuisse ἀναμάρτητον & sine peccato originis conceptam, idque singulari quodam privilegio. Sed privilegium hoc unde demonstrabitur? Plura apud Peucerum fol. 1189, &c.

Concilium Basiliense, quod refugit Papa Eugenius IV.

Pontifex citatur.

Concilii & Papæ distractio.

Nicolaus Cusanus Papæ defensor.

Concilium est supra Papam.

Felix V Papa.

Maria mater Christi ἀναμάρτητος in concilio statuitur.

Dresf. fol. 250, &c. Mellif. parte 3. fol. 384.

Aurei velleris ordo.

4. Ordo aurei velleris, qui & equestris ordinis Senatus dicitur, institutus est à Philippo Burgundiæ Duce anno Christi 1429. Equites ipsi Torquati etiam dicuntur. Institutionis caussa hæc fuit: Firmamentum Ecclesiæ perpetuum constituere voluit hic princeps, quo ab hostibus tutior ea esse possit. Quocirca in Senatum hunc adscivit florem equestris ordinis, eumque arctissimè ad Ecclesiæ defensionem obligavit, tribuens ei aurei velleris seu torquis insigne. Perinde atque olim Jasonis socii ad expeditionem classicam, quæ Argonautica dicebatur, aurei velleris spe ac dignitate exstimulati sunt. Recepti primò sunt 24 heroës insignes, virtute atque industriâ singulari nobilitati. Hodie dignitas hæc distribuitur à regibus Hispaniæ, ad quos pervenit hæreditatis jure per Carolum Burgundiæ Ducem, de quo Cominæus. Hic enim Carolus fuit avus maternus Philippi regis Hispaniarum, Patris Caroli V Imp. &c.

Aureum vellus quomodo ad reges Hispaniæ pervenerit.

Johannes Palæologus.

5. In Orientali imperio Imperator fuit Johannes Palæologus, cujus, ut Peucerus ait fol. 1090, nullæ commemorantur res gestæ, nec conari quidquam potuit conclusus undique ab hostibus, & omni exutus potentiâ.

Mahometes I.

6. In Turcico regno Mahometes I Walachos bello asperrimo attrivit, & profectus in Asiam loca à Tamerlane occupata recepit. Sedem imperii habuit Adrianopoli quæ Thraciæ caput est, & conflixit cum Sigismundo in campis Columbacenis, ubi Sigismundum vicit. Vide Peuc fol. 1170, & 1171, & 1205. Mortuum tradunt anno Christi 1419, aliis 1421. Successit ei filius Amurathes II Turcarum rex octavus, qui cœpit imperare anno Christi 1421, & imperavit annos 30. In Græcos, quibuscum pater Mahometes pacem coluerat, vim suam convertebat, quod Byzantini animadvertentes, Mustapham patruum ejus è custodia, in qua à Græcis asservabatur, dimissum contra Amurathen auxiliis instruunt, sed victus in potestatem Amurathis vivus devenit & trucidatus est. Græci hâc calamitate territi quum frustra pacem petivissent, accersiverunt Mustapham Amurathis fratrem; qui armatus à Græcis cepit Niceam Bithyniæ urbem, sed in ea oppressus ab Amurathe per proditionem simili supplicio vitam perdidit. Pergit Amurathes furere in Græcos, & acceptis in deditionem Thraciæ urbibus quæ

Mahometes vincit Sigismundum.

Amurathes II.

Mustapha Amurathis patruus.

Mustapha Amurathis frater.

Amurathis successus.

quæ Byzantino Imp. erant reliquæ, mox Thessalonicam, quæ tunc in fide Venetorum erat, vi expugnatam penitùs diripuit, & mox alias Græciæ regiones usque ad sinum Corinthiacum incredibili celeritate perdomuit. Peuc. fol. 1206, 1207.

7. In Polonia rex creatus est Vladislaus Vladislai Jagellonis filius anno Christi 1434. Dictus est Varnensis propter cladem quam ab Amurathe II Turcarum Imp. accepit ad Varnam, quum rex Ungariæ fuisset designatus post Albertum Austriacum, ut postea dicetur. *Vladislaus Poloniæ & Ungariæ rex.*

8. Bohemiæ rex Wenceslaus, ignavus ille, qui propter vitæ turpitudinem imperio dejiciebatur, moritur apoplexiâ Pragæ anno Christi 1419. Quum autem frater ejus Sigismundus jam Imperator & Ungariæ rex in concilio Constantiensi contra datam fidem publicam Johannem Hussum pontificiorum petulantiæ tradidisset igne cremandum, & huic Husso plurimi ex proceribus Bohemiæ adhærerent, exortum est bellum Bohemicum seu Hussiticum contra Sigismundum. Hujus belli à parte Hussitarum dux fuit Johannes Zisca, vir strenuus & rei militaris peritus, nobili loco natus, & in aula regis Bohemici educatus. Unum quum haberet oculum, & alterum in prælio amisisset, de incredibili animi fortitudine nihil tamen remisit, sed Ducis invicti munus perfecit, & ut mortuus etiam hostibus esset formidabilis, ex cute sua tympanum fieri jussit, ut audito strepitu hostes fugerent. Conditor est urbis Thabor in Bohemia, quæ arx & propugnaculum Hussitarum extitit, unde & Thaboritæ dicti sunt. Summa fuit hujus Ziscæ felicitas, quâ aliquot ingentes exercitus à Sigismundo eductos singulari virtute ac dexteritate fudit, ut suprà annotavimus. Memorabile fuit strategema, quo, quum esset in magno periculo constitutus, usus est: Dimicandum ei erat cum equitibus, ipse quum habebat pedestres copias. Allicit igitur hostem in loca aspera, ubi non nisi pedestre prælium poterat iniri. De equis igitur desiliendum fuit hosti. Jubet Zisca mulieres quæ exercitum sequebantur pepla sua in locum hostium projicere, quibus hostes per calcaria impliciti cæsi sunt priusquam sese extricare possent. Post multa egregia facinora Zisca tandem peste extinctus est circa annum Christi 1424, quum Hussitarum rebus præfuisset circiter quinquennium. Dux invi- *Extincto Wenceslao Boëmiæ rege Hussita sibi deligunt Ducem Iohannem Ziscam. Sigismundus Imp. perfidus in Joh. Huss, unde bellum Bohemicum seu Hussiticum. Johannes Zisca Hussitarum dux. Ziscæ stratagema. Zisca peste extinctus.*

ctus peste victus, ut ait Æneas Sylvius. Mortuo [eo] Hussitæ novum Ducem sibi asciscunt Procopium, [qui] etiam multa feliciter egit, irrumpendo in Mysniam, Voitlandiam, Franconiam, necnon in ipsam Marchiam. Bambergenses & Noribergenses pecuniâ se liberant. Tandem Hussitarum caussa in Basiliensi concilio audita & tractata fuit, ubi integer usus Cœnæ sacræ quum permitteretur mitiores facti sunt, quamvis tumultuari planè non desierint, donec ipsi à nobilibus Boëmiæ diffindere cœperunt, à quibus in pugna victi cum suis ducibus etiam vires amiserunt. Sic demum tota Bohemia rediit ad Sigismundum Imp. eumque regem suum agnovit anno Christi 1435.

Procopius Zisca successor.

Hussitæ integro usu S. Cœnæ concesso nonnihil placantur.

Hussitarum distractio.

Bohemi redeunt in gratiam Sigismundi.

9. In Gallia adhuc regnat Carolus VI, usque ad annum Christi 1422, quo fato cessit. Successorem habuit filium Carolum VII, qui regnavit annos 38, nempè usque ad annum Christi 1461. Interim Angliæ rex Henricus IV titulum & insignia regni Angliæ & Galliæ usurpat, & Parisiis in summo templo utriusque regni rex renunciatur. Manet ita in Anglorum potestate Galliæ regnum usque in annum Christi 1436, quo Parisienses deturbato Anglorum præsidio Gallis sese dedunt mense Aprili, & sic Lutetia urbs regia post annos 15 quàm in Anglorum potestatem venerat, sub Gallorum imperium rediit.

Carolus VII Galliæ rex.

Henricus IV Angliæ rex declaratur.

Etiam Galliæ rex.

Parisienses ab Anglo deficiunt ad Gallum.

10. In Anglia regnat Henricus V filius Henrici IV, ab anno 1414 annos 9. Ad hunc Sigismundus Imp. profectus est tum componendæ pacis caussâ, tum ut contra Hussitas haberet auxiliares copias. Obiit Henricus V anno 1422 non sine veneni suspicione, & successorem habuit filium Henricum VI, qui ab anno Christi 1423 regnavit annos 38.

Henricus V Angliæ rex.

Henricus VI Angliæ rex.

11. Electoratus Brandeburgensis à Sigismundo donatur Friderico Burggravio Noribergensi anno 1417. Ab hoc supersunt Marchiones Brandeburg. in Marchia & Francia orientali. Deinde dignitas Electoris Saxonici translata est in familiam Marchionum Mysnensium, quorum primus Elector fuit Fridericus Marchio Mysniæ & Landgravius Thuringiæ anno Christi 1423. Hic est Fride-

Electoratus Brandeburgensis.

Electoratus Saxonicus à familia Anhaldina transfertur ad familiam Marchionum Mysnensium.

Fridericus ille, qui anno 1409 in profestoMartini ex ruina Scholæ Pragensis condidit Academiam Lipsensem. Plura apud Peuc. fol. 1172, &c. Antea Electoratus Saxonicus fuit in familia Anhaldina annis ampliùs 200, in qua ultimus fuit Albertus: qui quum animi caussâ venatum ivisset, & cum uxore in gynecæo & casulam rusticam divertisset, orto incendio nocturno vix per fenestram nudus evasit, morboque è terrore contracto paucis pòst diebus obiit nullo hærede relicto. *Alberti Anhaldini miserabilis interitus.*

12. Hoc tempore floruerunt viri docti:

1. Petrus de Aliaco aliàs Cameracensis, Cardinalis.
2. Franciscus Zabarella Jurisconsultus Cardinalis.
3. Bartholomæus Salicetus Jurisconsultus.
4. Emanuel Chrysoloras Græcæ linguæ instaurator.
5. Baldus de Ubaldis Jurisconsultus.
6. Joh. Franciscus Poggius Orator & historicus.
7. Georgius Purbachius Bavarus Mathematicus.
8. Johannes Gerson Scholasticus D.
9. Franciscus Philelphus gener Chrysoloræ.
10. Nicolaus Cusanus, Cardinalis.
11. Æneas Sylvius.
12. Laurentius Valla, Latinæ linguæ vindex.
13. Trapezuntius.
14. Theodorus Gaza, & qui plures.

ALBERTUS II. AUSTRIACUS.

Hic Albertus Austriæ Dux, fuit gener Sigismundi Imp., Francofurti ab Electoribus designatus Romanorum Imperator. Cœpit imperare anno Christi 1438, & imperavit biennium non completum. Uno eodemque anno unà cum Imperio Romano duo potentissima regna, Ungaricum & Bohemicum obtinuit, sed Bohemicum non sine armis possedit. Quidam enim ex Thaboritis (Thabor oppidum extruxerat Zisca necis Hussi ultor & vindex, unde Hussitæ Thaboritæ dicebantur) in spem regni attraxerant Polonos; quibus Imperator opponebat Albertum Marchionem Brandeburgensem, qui Polonos coëgit pace factâ regni limitibus excedere. Moravos rebelles compescuit, quo motu 400 pagi exusti sunt. *Alberti electio.* *Bohemi Alberto opponunt Polonos, sed frustrà.*

Bo-

Albertus vincit Amurathen. *Alberti obitus.* *Alberti liberi.*

Bohemiæ factiones penitus attrivit, & Amurathem Turcam, qui Ungariam invaserat, vicit fugavitque, ut habet appendix Sexti Aurelii victoris Mellific. parte 3. fol. 393. Alii scribunt, postquam domi ut tuta & tranquilla pax esset effecisset, in Ungariam ad propulsandum Amurathem Turcam festinasse, sed in itinere æstu compulsum peponum esu nimis assiduo in dysenteriam incidisse, eoque morbo extinctum in Alba regali ad latus Sigismundi sepultum esse. Reliquit conjugem Sigismundi filiam gravidam, quæ deinde peperit Ladislaum posthumum. Duas etiam filias reliquit, Annam Wilhelmo Duci Saxoniæ copulatam, & Elisabetham nuptam Casimiro Poloniæ regi.

Synchronismus.

Concilium Ferrariense.

1. Concilium Ferrariæ celebratum est anno 1438, ad quod venit Imperator Constantinopolitanus Johannes Palæologus VIII, & Josephus Patriarcha Byzantinus, cum Episcopis & Abbatibus Ecclesiæ Græcæ, ut discordia quæ inter Græcam & Latinam Ecclesiam erat, sedaretur. Eugenius Papa audito adventu Imperatoris Constantinopolitani etiam eò venit, & post celebrationem Missæ de Spiritu S. institutâ quæstione num ex Græca & Latina Ecclesiis cuperent fieri unam Ecclesiam, succlamarunt omnes, placere & velle, modò rationibus illa priùs confutarentur quæ dissidii fuissent caussa. Ventum est ad disceptationem, quam interrupit pestis quæ Ferrariam invaserat. Abiit igitur Concilium Florentiam, ubi sic convenit, ut utraque Ecclesia crederet, 1. Spiritum S. procedere à Patre & Filio. 2. Papam Romanum tenere primatum in universo orbe. 3. Corpus Christi veraciter confici in pane, prout ferat Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis consuetudo. 4. Animas in purgatorio levari missarum sacrificiis & cæteris pietatis officiis. Sed quæ Imperator & Patriarcha coram approbarant, ea cæteræ Ecclesiæ Græcæ domi repudiarunt tantâ vehementiâ, ut quotquot consensissent, iis negarint officia Christianæ sepulturæ. Figmentum de transsubstantiatione prorsus rejecerunt. Sic odium Græcarum Ecclesiarum contra Pontificem Romanum magis exasperatum est.

Concilium Ferrariâ transfertur Florentiam. *Decreta.* *Græca Ecclesia rejiciunt decreta concilii Florentini.*

Concilium

2. Synodus Basiliensis in suo instituto pergit, nec se distur-

diſturbari aut loco moveri patitur, ſed ſuâ autoritate uſa contra Eugenium ſententiam tulit, quâ illum pontificatu dejecit, ſurrogato in ejus locum Amadeo Sabaudiæ Duce, qui dictus eſt Felix v, anno Chriſti 1439. Hinc magnæ ſeditiones ortæ, quum Eccleſia trifariam diviſa Felicem aut Eugenium ſequeretur, eſſentque qui Neutrales vocarentur, eò quod neutri parérent. *Baſilienſe damnat Eugenium Papam. Felix v Papa.*

3. Amurathis Turcarum regis felices ſunt per Græciam ſucceſſus, adeò ut in Epiro etiam & Albania formidabilis eſſet. Hanc ob cauſſam Johannes Caſtriotus, qui tunc in Epiro & Albania regnabat, ut vim belli Turcici eluderet, his legibus ab Amurathe pacem impetravit, ut cederet Croiâ oppido non ignobili, & obſides daret filios tres, Conſtantinum, Repoſium & Georgium, inter quos quum ob ſingularem ac regiam animi indolem cæteraſque dotes eximias Georgius excelleret, juſſit Amurathes ipſum liberalite reducari, moribus ac ritibus Turcicis inſtitui, & propter ingenii vigorem miramque corporis agilitatem *Scanderbegum*, id eſt, Alexandrum Magnum cognominavit. Mittitur hic Scanderbegus ab Amurathe in Aſiam contra Caramannum Cilicem, quo bello rebus præclarè geſtis, & duello Scythâ pedeſtri & Perſâ equeſtri devictis eam eſt conſequutus gloriam, ut deinceps ſingulari Amurathis gratiâ cæteris facilè anteiret. Quomodo hic Georgius paterna bona ab Amurathe recuperaverit, poſtea ſuo loco dicetur. Amurathes Epiro his conditionibus in poteſtatem ſuam redactâ in Bulgaros, Walachos & Servios movit, ſpe occupandæ Pannoniæ. Cum Georgio Serviæ Deſpota, cujus filiam uxorem duxerat, pacem fecerat, quâ mox ruptâ regiam Serviæ arcem Synderoviam expugnavit & Georgii ſoceri ſui filium Gregorium oculis & pudendis privavit. Ipſe verò Georgius ſocer in Ungariam profugit ad Albertum Imp. qui jam bellum contra Turcam adornans dyſenteriâ, ut dictum eſt, extinguebatur. *Amurathis felicitas. Johannes Caſtriotus pacem facit cum Amurathe. Georgius Johannis Caſtrioti filius ab Amurathe liberaliter educatus dictus eſt Scanderbegus, & quare. Amurathis ſævitia in Georgium Serviæ Deſpotam ſocerum.*

4. Hoc tempore inclaruerunt quatuor eximii bellatores, quorum inſequentibus narrationibus crebrior eriit mentio. *Quatuor eximii bellatores.*

1. Albertus Marchio Brandeburgenſis, poſtea dictus Achilles Germanicus.
2. Georgius Podiebra. poſtea rex Bohemorum.
3. Johannes Hunniades, pater Matthiæ regis Un-

gariæ, qui Turcas multis cladibus afflixit, Walachus natione, & humili loco natus, & qui primus omnium apud Ungaros Turcarum acies frangi posse ostendit, & Ungarica templa spoliis ditavit.

4. Georgius Castriotus Scanderbegus.

FRIDERICUS III AUSTRIÆ DUX.

Alberto III Austriaco in Imperio successit propinquus Fridericus III Austriacus, cujus curæ & educationi traditus est Ladislaus filius Alberti posthumus, idque operâ matris Elisabethæ. Electus est Fridericus Francofurti, & cœpit imperare anno Christi 1440, imperavitque annos 53. Fabio quàm Scipioni similior propter cunctationem quâ multò plura quàm celeritate confecit. Princeps generosi ingenii magnæque prudentiæ, sed qui naturâ à bellis abhorreret, & quod potentiæ deerat calliditate & astutiâ suppleret. Anno 12 imperii in Italiam profectus cum Ladislao posthumo à Nicolao V Papa coronam accepit unà cum conjuge Leonora Eduardi regis Lusitaniæ filia. Inde reversus in Austriam multas ibi turbas de Austriæ possessione invenit. Etenim Ulricus Ciliæ Comes avunculus Ladislai posthumi magnus repetebat ab Imperatore Ladislaum, Ungariæ Bohemiæ & Austriæ hæredem, quem jam diutiùs Imperator in præsidio & tutela sua retinuerat. Cum Ciliano sese adjunxerat Albertus Friderici Imp. frater, paternæ hæreditatis divisionem flagitans. Res ad bellum domesticum devenit. Johannes Hunniades Ungariæ exarchus cum exercitu 12000 equitum Austriam invasit, cunctaque intra Viennam & Stiriæ montes incendiis & direptionibus vastavit. Ipsi etiam Austriaci, autore Ulrico Ciliæ Comite, qui prætextu tutelæ tyrannidem affectabat, & Eizingero, armis Cæsarem aggressi eò ipsum compulerunt, ut pupillum Ciliæ Comiti avunculo traderet. Quod tamen eâ lege fecit Imperator, ut principum consilio controversia de tutela aliisque rebus Viennæ dirimeretur. Magnas tunc clades perpessa est Austria, quas ipsa sibi peperit. [Plura apud Peuc. fol. 1194 & 1249.] Relinquebat Ladislaus juvenis jam Ungariæ & Boëmiæ rex Austriam duobus patruelibus pari jure dividendam, quam quum totam

Fridericus cunctando restituit rem.

Friderici prudentia.


Friderici coronatio.

Ulricus Ciliæ Comes Friderico turbas movet in Austria propter tutelam Ladislai relicti filii Alberti II Imp. Joh. Hunniades.

Ladislaus Posthumus pupillus traditur Ulrico Ciliæ Comiti avunculo magno.

totam sibi soli vendicaret Imperator, orta est dissensio, quæ bellum conflavit. Patrueles erant Fridericus Imp. cum fratre Alberto & Sigismundus exarchus Austriæ, ille natus patre Ernesto, hic Friderico seniore. Vide tabulam:

Bellum inter Fridericum Imp. & Sigismundum patruelem de Austria.



In bello illo Sigismundus conjunctus cum Alberto restitit Imperatori usque ad Alberti mortem, sed postea Sigismundus bello finem imposuit, Austriâ Imperatori citra disceptationem concessâ. Paulò ante mortem Alberti Fridericus Imp. Viennæ anno Christi 1463 senatores sex vinculis mulctaverat. Quod indignè ferentes cives eum in arce cum filio Maximiliano obsederunt mensibus duobus. Ipse verò Fridericus auxilium petiit à Georgio Podiebracio (aliàs Bojebracio) Bohemiæ rege, qui statim subsidio venit, & Cæsarem liberavit. Mox aliud Friderico enatum est malum. Quum enim post obitum Ladislai Ungariæ regis proceres regem expeterent Fridericum Imp., alii verò urgente Micaëlo Zilagio præferrent suæ gentis hominem licèt humili stirpe natum & eo tempore captivum Matthiam Hunniadem, & hic regnum adeptus coronam à Friderico, qui eam de manibus Elisabethæ matris Ladislai acceptam secum tenebat, reposceret, rursus ad arma deventum est, sed intercessione principum Germaniæ lis eâ conditione est composita, ut Matthias coronam à Friderico 80000 aureorum nummûm redimeret, quod factum est anno Christi 1458. Solicitus etiam fuit Fridericus de schismate ex Ecclesia Romana tollendo, quod Eugenius Pontifex Florentinam Synodum contra Basiliensem cogendo excitaverat. Quum verò Eugenii arte Ludovicus Galliæ Delphinus Caroli VII regis filius instructas copias è Gallia ad Basileam adduceret ad eos qui Basileæ celebrandæ Synodi caussâ convenerant opprimendos, Fridericus o-

Austriâ conceditur Imperatori.

Fridericus cum filio Maximiliano à Viennensibus captus ope Podiebracii regis Boëmiæ liberatur.

Controversia inter Fridericum & Matthiam Hunniadem de corona Ungarica.

Eugenius Pontifex concitat Gallum contra Synodum Basiliensem.

tiosum spectatorem se præbuit, vel quòd viribus esset impar, vel quòd Helvetiorum audaciam coërceri hoc bello vellet. Gallicæ copiæ vocantur Armeniacæ à Comite Armeniacense ductore, cujus comitatus fuit in Aquitania. In hoc bello 4000 Helvetiorum cum Gallis acie congressa tam fortiter pugnarunt, ut ex his mille sexcenti in confertum agmen Gallorum sese inferentes ad unum quidem cæsi sint omnes, sed interim victores Galli suo interitu mox Germaniâ pulsi sunt totâ, & cecidisse traduntur in eo conflictu 6000 Gallorum anno Christi 1444. Quinquennio pòst grave quoque bellum exarsit inter Albertum Marchionem Brandeburgicum, quem Achillem Germanicum appellarunt, & Noribergenses. Caussa fuit jus quoddam quod Marchio sibi à Noribergensibus denegari querebatur. Albertus socios & adjutores habebat septendecim Germaniæ principes, Noribergensibus verò civitates opem ferebanr. Certatum est biennio, ubi Albertus octo præliis victor nono victus post plurima accepta damna pacem cum civitatibus fecit. Ad hoc quoque bellum Fridericus Imp. planè quievit, idque sive cum dolore sive cum patientia dissimulavit. Exortum etiam est arte Pontificis Pii II, qui antea dictus est Æneas Sylvius, bellum Moguntinum, idque per hanc occasionem: Dietericus Isebergius Moguntinus Episcopus acriter adversabatur injustis Pontificum exactionibus, quibus expilabantur provinciæ prætextu belli Turcici, & Pio Papæ flagitanti ut juramento sese obstringeret & posteros suos, quo se Septemviros inscio Papâ nunquam convocaturum reciperet, parére recusabat. Hoc Papa indignè ferens, confisus Imperatori, cujus Magister Epistolarum fuerat, privata benevolentia, Isebergium Episcopatu dejecit, & in ejus locum cooptavit Adolphum Nassaviensem. Uterque adjutores invenit satis potentes. Summis viribus Isebergium in causa justa & honesta defendebat Fridericus cognomento victoriosus Comes Palatinus ad Rhenum, nihil veritus anathematis pontificii terriculamenta, & juvit Deus justus hujus Friderici conatus, ut hostes, licet numero militum esset inferior, funderet, & tres principes, Badensem, Metensem & Wirtenbergensem, captivos secum abduceret anno Christi 1461. Hostibus in arcem deductis con-

Gallorum Cadméa victoria.

Bellum inter Albertum Brandeb. & Noribergenses.

Bellum Moguntinum contra Pium II Papam propter iniquas exactiones.

convivium apparavit Fridericus Palatinus, splendidum quidem, sed sine pane, eò quòd contra jura belli segetes perdidissent, agricolas fame necassent, & frumenta in horreis combussissent. Dimissi sunt grandi pecuniâ persolutâ, & compressum est hoc bellum autoritate Imperatoris, qui tamen Palatinum in gratiam nunquam recipere voluit, quòd faveret Adolpho Nassaviensi Cæsar. Exarsit etiam bellum non leve inter Matthiam Corvinum (est hic Matthias Hunniades Johannis filius) & Imperatorem Fridericum, idque ex veteribus odiis novâ injuriâ refricatis. Nam odio Pontificis adversu Georgium Bojebracium Hussitarum fautorem ac patronum Bohemorum regem designabatur rex Bohemiæ pontificio diplomate Matthias Hunniades, cui Fridericus Imp. regni seu feudi collationem denegabat. Graviter hoc ferebat Matthias, & quidem eò graviùs, quòd Podiebracio fato functo Boëmici proceres & Imperator, qui oblatum regnum recusaverat, amplecterentur Ladislaum Casimiri regis Poloniæ filium. A partibus Imperatoris stabat Albertus Saxoniæ Dux, qui comparatis suo sumptu egregiis copiis aliquot secundis præliis Matthiam coëgit certis conditionibus pacem facere. Retinuit Matthias in hac transactione Viennam. Rebus ita perturbatis Imperator ex voto abiit Romam, quum jam Pio Pontifici successisset Paulus II, homo sceleratus & ob spurcissimam libidinem masculam artesque dæmoniacas infamis, quem tandem in concubitu à dæmone strangulatum fama est. Fuit etiam Friderico bellum cum Carolo Burgundiæ Duce, cujus vitam nobis descriptam reliquit Cominæus. Hujus belli caussa fuit dominandi libido in Carolo, qui in congressu Trevirensi petiit ab Imperatore, ut se vicarium imperatorium crearet. & præterea Archiepiscopatum Coloniensem ad se trahere quum studeret, & Novesium urbem infra Coloniam obsideret, Imperator ex officio defensionem urbis suscipiens copias coëgit, quibus Albertum Marchionem Brandeburgicum ducem præfecit. Bellum fuit annuum, quod per colloquium Imperatoris cum Carolo tandem est diremptum. Pax proclamata est anno Christi 1475, & in eam sententiam sancita, ut Caroli unica filia desponderetur Maximiliano Imperatoris filio cum omnibus Caroli provinciis.

Bellum inter Fridericum Imp. & Matthiam Hunniadem.

Paulus II Papa infamis.

Bellum inter Fridericum Imp. & Carolum Audacem Burgundiæ Ducem, quod occasionem præbuit matrimonio inter Maximilianum Friderici filium & Mariam Caroli filiam unicam.

Austriæ & Burgundiæ conjunctio. ciis. Hinc orta est conjunctio Austriæ & Burgundiæ. Porrò Matthia extincto Imperator rediit in Austriam tertio ante suum obitum anno, & tibiâ propter gangrænam ferro amputatâ Lincii ut plurimùm commoratus est, *Friderici Imper. obitus.* ubi tandem melonum intemperatiore usu in diarrhœam incidit, qua absumptus exspiravit anno Christi 1493.

Synchronismus.

Septem Papæ. 1. Romanæ Ecclesiæ Pontifices fuerunt Felix v, Nicolaus v, Callistus III, Pius II, Paulus II, Sixtus IV, *Felix v.* Innocentius VIII. Friderici Imperatoris hortatu Felix v de pontificatu cessit, ut schisma pestiferum ex Ecclesia tolleretur. Planè enim inquietus erat Eugenius, ut suprà diximus. Nicolaus v, ab anno Christi 1447 sedit *Nicolaus v literarum & literatorum fautor eximius.* annos 8, & scribitur pontificatum delatum invitus suscepisse. Literarum & literatorum summus fautor & Mœcenas fuit, unde factum ut ad eum tanquam ad portum confugerint multi eruditione clari viri, ut Georgius Trapezuntius, Georgius Valla, Demetrius Græcus, Nicolaus Perottus, & alii, quorum operâ multi autores è tenebris eruti & luce illustrati sunt, & ex Græco in Latinum sermonem conversi, ex quo non parum felicitatis patria nostra est adepta. Celebravit hic Nicolaus v ju-*Jubilæum multis fatale.* bilæum anno Christi 1450, in quo homines circiter 200 in ponte S. Angeli conculcati & oppressi sunt, multi etiam in flumen præcipitati perierunt. Callistus III sedit *Callistus III autor festi transfigurationis Christi.* annos 3 & instituit festum transfigurationis Christi in monte Thabor, de quo Matth. 17. Voluit autem Callistus in hoc festo celebrari memoriam partæ victoriæ ad Belgradum. Pius II, antea dictus Æneas Sylvius, ab anno Christi 1458 sedit annos 6. In Basiliensi concilio ex scri-*Pius II, antea dictus Æneas Sylvius.* ba factus est Secretarius Imperatoris, inde Episcopus, deinde Cardinalis & tandem Pontifex. Quas turbas dederit in Imperio per excommunicationem Dieterici Archiepiscopi Moguntini & substitutionem Adolphi Nassaviensis, suprà dictum est. Privatus quædam scripsit quæ Pontifex factus damnavit, unde scomma de eo jactatum est; *Quod Æneas probavit, Pius damnavit.* Fertur autor distichi illius notissimi;

Non audet Stygius Pluto tentare quod audet
Effrenis Monachus plenaque fraudis anus.

Pau-

Paulus II ab anno Christi 1464 sedit annos 7, homo flagitiosus & ingluviei deditus, literarum & literatorum osor. Sixtus IV ab anno Christi 1471 sedit annos 13. Primus cum religione arma conjunxit, & expeditiones contra Florentinos, Venetos, Ferdinandum Siciliæ regem & alios suscepit. Annum jubilæum à quinquagesimo ad vigesimum quintum traduxit, & anno 1475 celebravit. Sordidè avarus fuit, & inter lenones qui lupanaria ædificabant non ultimus. Ex lupanaribus quæstum fecit meretricium pro locupletando ærario. Tribus anni mensibus calidioribus, Junio, Julio & Augusto coitum masculinum permisit, ut Baleus refert, apud quem plura eaque memorabilia invenies, lib. 6. pag. 440, &c. Innocentius VIII sedit ab anno Christi 1484 annos 8, homo adeò à literis humanioribus alienus, ut literatos tanquam hæreticos execraretur. Spurios suos divitiis atque honoribus auxit. Janus Pannonius de Paulo II hoc edidit distichon.

Paulus II. *Sixtus IV.* *Jubilæum reducitur ad annum 25.* *Lupanaria.* *Innocentius VIII.* *De Paulo II distichon.*

Pontificis Pauli testes ne Roma requiras,
Filia quam genuit sat docet esse marem.

2. In Orientali imperio post Johannem Palæologum Constantinus Palæologus ultimus imperare cœpit anno Christi 1450, & imperavit annos 3. Ante imperium sæpè fortiter cum Turcis conflixit in Peloponneso & Thessalia, sed quum Amurathes Heracleam expugnasset, animo fractus ad pacis conditiones quas victor tulisset supplex sese obtulit. Fuit hic Constantinus ultimus ex Imperatoribus Græcis seu Orientalibus. Anno enim 3 imperii urbs Constantinopolis à Mahomete II Turcorum Imperatore post obsidionem dierum 54 expugnata & capta est mense Majo anni 1453. Et ab hoc porrò tempore reges Turcici titulo Imperatoris uti cœperunt, & Orientale imperium à Romano abscissum in Turcicam potestatem devenit, quum à tempore Constantini M. stetisset annos 1123.

Constantinus Palæologus ultimus Orientis Imperator. *Constantinopolis capitur à Mahomete II.* *Finis imperii Orientalis.*

3. In Turcico regno Amurathes Serviâ potitus, quum jam Ungaria propter Ladislaum Polonum ad Ungariæ regnum evocatum intestinis arderet discordiis, tentavit oppugnationem Belgradi, quod aliàs dicitur Alba Græca, sed infeliciter. Amisit enim in fossis ad 10000 hominum, & post septem menses quum exercitus laboraret

Amurathes Ungariæ bellum infert infeliciter.

fame & minitarentur defectionem, re infectâ & cum dedecore obsidionem solvit anno Christi 1440. Sequenti anno Turcarum exercitus, cujus dux fuit Mesites Begus,

Johannes Hunniades feliciter pugnat contra Turcas.

à Johanne Hunniade unà cum Duce ejusque filio feliciter cæditur & profligatur, ubi à parte Turcarum 20000, à parte Ungarorum 3000 desiderata sunt. Postea ab eodem Hunniade alter Amurathis Bassa Abedines Europæ Beglerbegus superiorem cladem ulturus in Transsylvania prælio fusus & superatus est cæsis 30000 Turcarum & 5000 captis. Ipse etiam Abedines

Amurathis desperabundus redintegrat bellum contra Ungaros.

occubuit. Hoc Hunniadis successu irritatus Amurathes bellum Ungaricum totis viribus urgere cœpit & persequi, quum antea de morte sibi consciscenda ex desperatione consilium habuisset; sed consiliis Halibæi Bassæ rursus confirmatus aliam inivit belli gerendi rationem, ut cunctando conatus Hunniadis eluderet. Ladislaus Poloniæ & Ungariæ rex hoc animadvertens, contentus aliquot victoriarum gloriâ, exercitum, licet reclamante Hunniade, reduxit triumphabundus Belgradum, ostentans inter prædas captivum Carambegum Bassam, cujus successor erat Halibejus. Verùm hujus

Amurathes bello Asiatico coactus pacem impetrat à Ladislao Poloniæ & Ungariæ rege.

victoriæ potissimus autor erat Johannes Hunniades, quem Ladislaus fecerat Transsylvaniæ Waywodam & præfectum seu præsidem. Interea Caramannus Ciliciæ princeps, cognitâ Amurathis infelicitate, Turcorum provincias in Asia, nempe Pontum & Bithyniam invadit. Quare Amurathes sentiens se non sufficere utrique hosti, & Europæum hostem magis reformidans quàm Asiaticum, legatos misit ad Ladislaum petitum pacem iis conditionibus quas vellet victor.

Pax inter Amuratem & Vladislaum, quæ violata peperit cladem Varnensem. Ladislaus Papa Eugenii instinctu fit perfidus.

Ladislaus non difficulter assensit, & pactis conditionibus pax conclusa est in decennium & jurejurando sancita. Quid fit? Amurathe vix ex Europa in Asiam regresso Ladislaus pacis leges violat instinctu Pontificis Eugenii & consiliis Juliani Cardinalis, quòd Pontifici liceret juramenta hostibus Christiani nominis præstita rescindere. Ladislaus juramento se solutum ratus instaurat bellum, castrorùm curâ Hunniadi commissâ. Fiunt irruptiones in Turcorum agros, & peragratâ Walachiâ & Bulgaria Ladislaus venit ad Varnam Bulgariæ oppidum, ubi morbo detentus substitit. Amurathes re compertâ mox omisso Caramanno ad Hellespontum rever-

fus

sus Asiaticas copias reducit, & summâ celeritate contra Ladislaum adhuc ad Varnam hærentem & nihil tale opinantem castra posuit. Deventum est ad pugnam. Christianam aciem struxit Johannes Hunniades satis providè. Certatum est totos dies noctesque tres, tanto utrinque ardore, ut cæsorum sanguine campi stagnarint. Victoria primò ad Christianos inclinare visa est disturbatis Turcorum ordinibus, sed antistitibus hostem fugientem inconsultiùs relictâ suâ statione prosecutis aditus patefactus est ad nudatos Christianorum ordines, quo immissi Turcorum sagittarii ordines ruptos dissiparunt, & reliquum exercitum circumfusis legionibus undique concluserunt. Ladislaus ex equo lethaliter sauciato prolapsus multis vulneribus confossus est, suæque perfidiæ pœnas luit. Julianus Cardinalis rupti federis autor nudus repertus est in via multis vulneribus saucius. Antistites in paludibus suffocati. Hunniades vix evasit, quem Deus texit ut Ungariæ superesset & turbatas res constitueret, ut factum est. De numero cæsorum non exactè constat. Illud exploratum est, longè plures ex Turcarum acie cecidisse, ut Amurathes, interrogatus quur post victoriam nulla lætitiæ signa ederet, respondisse dicatur: Nollem hoc modo sæpius vincere. Hæc est celebrata illa clades Varnensis, quæ accidit in profesto Martini, nempe die 10 Novemb. Anni 1444. Cæterùm Amurathes tantâ victoriâ elatus, ut Græcos, à quibus Ladislaum animatum esse nôrat, ulcisceretur, rectâ Peloponnesum petiit, ubi captis direptisque aliquot oppidis exercitum in hyberna reduxit. Anno sequenti bellum Epiroticum cœpisse Græci referunt, quod à Georgio Castrioto Scanderbego Amurathis alumno gestum est. Paternum regnum insigni astu Amurathi ablatum mirâ fortitudine defendit & septem Ottomannici nominis Bassas ad se opprimendum missos acie devicit & totâ Epiro depulit. Fertur aliquando tantâ animi commotione pugnasse, ut præ ira sanguis è labris eruperit. Tandem Amurathem ipsum cum ingentibus copiis & mirifico tormentorum bellicorum apparatu Croiæ urbis oppugnationem tentantem, sed maximis detrimentis affectum, coëgit obsidionem solvere. Amurathes quum ex voto regno sese abdicasset, & rerum gubernacula Hali purpurato Maho-

Amurathes copias suas ex Asia reducit in Ungariam.

Pugna Varnensis.

Ladislai interitus, & clades Varnensis.

Amurathes post Victoriam Varnensem petit Peloponnesum.

Epiroticum bellum inter Amurathen & Georgium Scanderbegum Johannis Castrioti filium.

Scanderbegi fortitudo & felicitas.

metis filii nutritio commendasset, mox è vita solitaria revocatur ad arma ab Hunniade & Scanderbego. Ille enim Varnensem cladem vindicare studebat; hic verò digressum ab obsidione prosequutus, Macedoniam omnem subegerat, & Bosnensibus, Rasciis ac Illyricis suos Despotas reddiderat ejectis Turcicis præsidiis. Quum verò nihil ex sententia perficere posset Amurathes, jam senex adeò acerbum ex animi dolore concepit morbum, ut è castris Hadrianopolin relatus deliranti similis vitam reliquerit, quum Mahometen filium regni hæredem constituisset, eâ tamen lege si perpetuus καὶ ἄσπονδος Christiani nomini hostis foret. Obiit hic Amurathes anno Christi 1449, vel ut alii scribunt anno 1451. Successit igitur Amurathi filius Mahometes II, octavus Turcarum rex, qui regnum suum parricidiis est auspicatus. Nam fratrem Tursinem infantem per Mosen Bassam multâ vi aquæ obrutum suffocavit, & alterum fratrem Calepinum jam sextum mensem agentem strangulavit. Fuit etiam inexplebilis avaritiæ homo. Cœpit regnare anno Christi 1451, & regnavit annos 30. Insignis fuit ejus profanitas & crudelitas, & prodigiosis immanis audaciæ successibus omnes ante se Ottomannicos principes vicit. Constantinopolin terrâ marique expugnavit, & cæso Constantino Palæologo, antiquissimum Orientis imperium evertit anno Christi 1453, quum antea Athenas omnium artium inventrices solo æquasset. Exinde oppugnationem Belgradi tentavit tertio post captam Constantinopolin anno, sed infeliciter. Quum enim Johannem Hunniadem continuis duorum dierum præliis exercuisset, accepto in pectore sub læva papilla vulnere exanimis concidit, & castris ab hostibus exutus, amissis 40000 hominum & machinis bellicis, fugâ vitam conservavit. Traditum est, oculum Mahometis hastâ fuisse trajectum, idque vulnus prælio & obsidioni finem dedisse. Paulò post hanc pugnam Hunniades obiit. Jam verò Mahometes Ægei maris insulas classe erat invasurus nisi retractus fuisset ab Usumcassane Persarum rege, qui ad Mahometen legatos misit dona adferentes è thesauris Persicis deprompta tanquam victoriæ præmia, & flagitantes ut Mahometes Trapezunte & Cappadociâ abstineret, quòd hæ regiones dotalicio nomine ad se pertinerent; Barbarus impatienter ferens leges sibi ab infe-

Amurathis obitus.

Mahometes II.

Mahometes parricida, avarus, sed in bello felix.

Mahometes captâ Constantinopoli imperium orientale ad se transfert.

Athenæ eversæ.

Mahometes Belgradum infeliciter oppugnat.

Johannis Hunniadis obitus.

Bellum inter Mahometen, & Usumcass.

inferiore ferri, summa cum celeritate contra Usumcassanem castra fixit, sed bis victus tertiâ vice multitudine tormentorum, quorum fragorem Persæ ferre non poterant, victor evasit ut Usumcassanes recedere cogeretur. Deinde Synopem & Trapezuntem occupavit suoque imperio adjunxit, Davide Comneno rege cum duobus filiis cæso & capto. Classem quoque misit in insulam Mitylenen, quæ & Lesbos dicitur, eamque cæso Catalusio principe & urbe propè deletâ occupavit, omnemque fermè insulanorum multitudinem Constantinopolim tanquam in coloniam abduxit. Draculam Walachorum principem adortus in magnum discrimen venit, magnamque exercitus partem amisit. Deinde Mysiam & Illyrium aggressus Stephanum Bosnæ regem urbe Jaizâ totoque regno ejecit & occidit anno 1469. Sed Matthias Hunniades Johannis filius Ungariæ regnum adeptus Bosnense regnum Mahomete expulso recuperavit. Eubœam quoque insulam Mahometes Venetis eripuit, & metropolin illius Chalcidem solo æquavit, in qua urbe horribiliter sævitum est, edicente Tyranno, ne ullus qui vicesimum annum attigisset servaretur. Finitis induciis quas cum Scanderbego pepigerat ad oppugnationem Crojæ & Scodræ urbium in Albania rediit, quas etiam perdomuit Scandebergo patriâ ejecto, qui in Italiam literis Pontificum accitus quum ostendisset Turcicæ potentiæ nisi viribus totius Europæ consentientibus resisti non posse, nihil deinceps pristinâ laude dignum gessit; sed quum Lyssi esset ad Drillum amnem, febre correptus è vivis excessit anno Christi 1466, quum jam annos 24 Turcicam rabiem à vastatione Epiri & Ungariæ cohibuisset. Peuc. fol. 1219. Mahometes igitur jam Hunniadis & Scanderbegi metu liberatus totius orbis imperium sibi promittebat, sed in Asiatica profectione apud Nicomediam colicis doloribus correptus tridui cruciatu ultimum vitæ diem clausit anno Christi 1481, magno Christianæ reipublicæ commodo. Successorem habuit filium Bajazetem II, qui cœpit imperare anno Christi 1481, & imperavit annos 32, videlicet usque ad annum Christi 1513. Sine sanguine non est auspicatus imperium. Fratrem habuit Gemem, quem alii vocant Zemem, alii Zizimum, hunc quum prælio vicisset, ejus liberos necavit. Præterea Achmeti Bassæ, per quem imperium adversus

sanem Persam.

Matthias Hunniades recuperat à Mahomete regnum Bosnense.

Mahometes Eubœam Venetis eripit.

Scanderbegus patriâ ejectus febri extinguitur.

Mahometis obitus ex colicis doloribus.

Bajazetes II.

versus fratrem obtinuerat, gratiam laqueo reddidit, ut ejus thesauris potiretur. Intestino bello liberatus, quanquam naturâ à bellis esset alienior, ad humaniora studia pronior, more tamen majorum agere voluit, & tertio sui principatus anno Walachiam subegit. Exinde bellum in Asiam contra Caitbejum Ægypti Sultanum transtulit, sed infelici eventu. Quum enim 100000 Turcorum in aciem essent educta, vix tertiam partem à prælio superfuisse memorant. Abstinuit ab Asia deinceps Bajazetes, ad motus Persicos usque & ad Europæa bella reversus. Dyrrachio expugnato, per Cadum Bassam, Illyricorum, Ungarorum & Croatorum conjunctas copias, quarum præcipui duces fuere Emericus Drancenus & Bernhardinus Frangepanus, in apertis Liburniæ campis, quæ Croatia est, cecidit, ita ut 5077 Christianorum, ex hostibus verò circiter 1000 occubuerint. In hujus stragis Christianorum testimonium jussu Bassæ cæsorum cadaveribus capita & nasi abscissi & Constantinopolim transmissi sunt, anno Christi 1493. De hoc Bajazete plura in sequentibus.

Peuc. fol. 1226.

Casimirus Polon æ rex.

4 In Polonia post Ladislaum, qui etiam Ungariæ rex fuit, & in clade Varnensi, de qua modo dictum, miserè occubuit, rex designatus est Casimirus frater, anno 1446. Prutenos à Crucigeris ob tyrannidem deficientes in tutelam ac fidem accepit, tum Pomeraniam & ditiones Culmensem ac Michaloviensem in suam potestatem redegit. Crucigeros deinde funditùs profligavit anno 1454.

Peuc. fol. 1274.

Ladislaus posthumus Ungariæ rex.

5. Ladislaus Alberti Imp. filius posthumus Ungariæ & Boëmiæ rex infantulus, quum nondum quartum mensem implevisset, coronatur in regem Ungariæ anno Christi 1440, & postea à matre in Austriam cum corona Ungarica ad Fridericum III Imp. ut consanguineum nutriendus & conservandus mittitur. Interim Ladislaus Polonus Jagellonis filius etiam coronatur rex Ungariæ, & huic Ungari antea coronam obtulerant, unde & factum ut per dies vitæ regnum retinuerit usque ad annum Christi 1445, quo in clade Varnensi occumbens locum in regno Ungariæ fecit Ladislao posthumo, quintum ætatis annum agenti. Quum autem per ætatem regno esset immaturus, de Gubernatore Ungariæ eligendo agitatum est, & omnium consensu Johannes Hunniades, dictus

Ladislaus Polonus Jagellonis filius etiam Ungariæ rex.

Joh. Hun-

dictus Corvinus à paterno pago in quo natus fuit, traditâ reipubl. summâ Ungariæ gubernator aut Prorex est pronunciatus. Hoc modo Ungariæ regnum ad legitimum hæredem Ladislaum rediit. Porrò fuit hic Johannes Hunniades natione Walachus seu Semidacus Transsylvaniæ Waywoda, humili loco natus, sed animo magno ac excelso præditus, ducum omnium qui cum Turcis arma contulerunt illo tempore clarissimus, qui adversus duos audacissimos ac felicissimos Turcicos Tyrannos Amurathen & Mahometen divinâ ope Ungariam defendit, unde & fulmineus terror Turcorum dictus fuit. In Varnensi bello non fuit ἀμυνόμ⟨εν⟩ος propter Ladislai regis injusta & perfida arma. in cæteris multâ usus est felicitate, ut suprà quoque indicavimus. Placidè obiit Hunniades, quamvis non sine suspicione veneni, ab Ulrico Ciliæ Comite, quem æmulum in aula habebat, propinati, anno Christi 1456, relictis duobus filiis Ladislao & Matthia, quorum ille Ulricum Ciliæ Comitem, eò quòd apertum odium cum patre gesserat, obtruncavit, ob quam necem jussu Ladislai Posthumi regis ipse & frater Matthias in carcerem conjecti sunt, & tertio die post Ladislaus Comitis percussor annum agens 24 in urbe Buda capitis supplicio est affectus anno 1457, frater verò Matthias in vinculis fuit retentus. Eodem anno Ladislaus Ungariæ & Bohemiæ rex dum Sponsam expectat Caroli Galliæ regis filiam, in ipso nuptiarum apparatu Pragæ non sine veneni suspicione moritur annum agens 18. Matthias Hunniades ex Vienna ductus quo die rex Ladislaus obiit Pragam venit traditus in potestatem Podiebracii, & dum hic hæret miser, apud Budam ab Ungaris gubernator eligitur, nec multò pòst rex Ungariæ designatur anno Christi 1458, & postea anno regni 6, qui est annus Christi 1464, posteaquam Fridericus Imp. Ungaris petentibus reddidisset coronam, quam jam per annos 24 secum retinuerat, Matthias Hunniades, aliàs Corvinus, rex Ungariæ est coronatus. Contra Matthiam ab aliis eligitur Fridericus Imp. qui etiam regnum ad se delatum accepit. ex quo grave bellum est exortum, ut suprà meminimus. Potuisset Matthias præclaram

Hunniades regni Ungarici administrator.

Joh. Hunniades obscuro genere natus Turcorum domitor.

Joh. Hunniadis obitus, & filii.

Ladislaus Hunniades ob cædem in Ulrico Ciliano patratam capite plectitur.

Matthias Hunniades in vinculis tenetur.

Ladislaus Posthumus in ipso nuptiarum apparatu moritur.

Matthias Hunniades ex carcere evehitur ad regnum Ungariæ. Contra Matthiam rex Ungariæ eligitur Frid. Imp. unde bellum.

claram operam navare contra Turcam si ab intestinis bellis abstinuisset. Plura apud Dresser. fol. 585 & seq. & Peuc. fol. 1260, 1261, 1262, 1263. Obiit Viennæ apoplexia anno 1491 Successit ei in regno Ungariæ Vladislaus II rex Boëmorum, filius Casimiri Poloniæ regis & regnum tenuit annos 25, nempe usque ad annum Christi 1516.

Matthiæ obitus. Vladislaus II rex Ungariæ.

6. Bohemiæ rex post Vladislai obitum anno Christi 1458 declaratus est Georgius Podiebracius seu Bojebracius, cujus majores è stirpe Comitum Niddanorum sanguinis Germanici transierunt in Bohemiam Friderico II imperante. Ejus & filiorum constantia ac fortitudo in sincera religione (fuerunt enim Hussitæ) in historiis valdè commendatur contra Pontificii anathematis execrationes, unde multorum odiis & immensis periculis fuerunt expositi. Sed quum agnitam veritatem constanter retinerent ac profiterentur, à Deo protecti sunt, ut pulsis hostibus regnum tutarentur. Cæterùm hic Georgius Podiebracius Ungaris reddidit Matthiam Hunniadem non solùm detractis catenis, sed insuper in certissimum amicitiæ pignus filiâ desponsatâ ac traditâ, ut hoc beneficio Ungaros cum Boëmis consociaret. Sed instinctu Pontificis Romani malam retulit gratiam Matthias, quum se ad arma Podiebracio inferenda impelli passus est, sed sibi infelicia. Pontifex enim quum videret regni Boëmici titulum in Podiebracium Hussitarum patronum translatum, bellum accendit inter Matthiam & hunc, & hujus successorem Ladislaum Polonum. Sed Matthias aliquoties à Podiebracii filio Henrico Duce cæsus & profligatus est. Alter Podiebracii filius fuit Victorinus, qui obsessum Viennæ Imperatorem à civibus liberavit. pro quo officio Imperator ambos hosce Duces creavit, & quidem ab Henrico defluxit stirps Ducum Munsterbergensium. Peuc. 1263, &c. Mortuus est Podiebracius ex hydrope, & in regno Bohemiæ ei successit Vladislaus Casimiri regis Poloniæ primogenitus filius anno Christi 1471, qui post obitum Matthiæ Hunniadis anno Christi 1490 factus est rex Ungariæ.

Georgius Podiebracius rex Boëmiæ fortis Hussitarum defensor.

Podiebracius Ungaris reddit Matthiam Hunniadem.

Matthias Hunniades instinctu Papæ ingratus est erga Podiebracium.

Henricus & Victorinus filii Podiebracii.

Podiebracii obitus. Ladislaus Polonus succedit Podiebracio & post Matthiam Hunniadem fit rex Ungariæ.

7. Galli pergunt sese Anglorum jugo subtrahere. Anno enim 1450 Normanniam Anglis eripiunt, quam hi annos

Galli contra Anglos.

annos 30 obtinuerant. Biennio pòst Aquitaniam quoque recipiunt, quam ante annos 299 Henricus II Anglus dotali jure possessam acceperat. Anno 1461 Carolo VII succedit filius Ludovicus XI, & regnat annos 23. Hujus res gestas cum Carolo Burgundiæ Duce copiosè describit Philippus Cominæus Eques Argentonius. Carolo Burgundo, qui dictus est Audax sive Bellator, ad Nanceium oppidum anno 1477 miserè occiso, Ludovicus XI Gallus Flandriam & Burgundiam occupat. Filium suum Carolum VIII noluit plus Latini sermonis addiscere quàm hæc quinque verba: Qui nescit dissimulare, nescit regnare. Admodum invitus est mortuus, & ut remedium aliquod contra mortem tentaret, sacrum liquorem cœlitùs olim Clodovæo Remis missum, virgam item Aaronis, & victoriæ crucem Carolo M. divinitùs datam, ut fert opinio, afferendam sibi curavit, sed frustra. Mortuus est anno Christi 1483, eique successit Carolus VIII filius, qui regnavit annos 14. Hujus res gestas descripsit Cominæus de bello Neapolitano.

Ludovicus XI Galliæ rex.

Ludovicus XI post obitum Caroli Burgundi occupat Flandriam & Burgundiam.

Ludovico XI succedit filius Carolus VIII.

8. In Anglia moritur rex Henricus VI eodem anno quo in Gallia obiit Carolus VII, videlicet anno Christi 1461. Ambo idem habuerunt regni sui initium & eundem finem. Successorem habuit Henricus VI in Anglia Eduardum IV, qui ab anno 1461, regnavit annos 23. Ejus soror Margareta nupsit Carolo Audaci Burgundiæ Duci. Quare & ipse Eduardus Carolo Burgundo contra Ludovicum XI Gallum magnum exercitum misit. Obiit anno 1483, quo eodem anno in Gallia obiit Ludovicus XI rex. Successit in Angliæ regno Eduardus V, sed regnavit menses 2, Glocestrensis patrui proditione necatus. Successit Richardus III, qui ab anno 1484 regnavit annos 2, regni principibus propter tyrannidem exosus. Quare ab Henrico Richemondiæ comite, qui exul in Gallia revocabatur, acie victus & occisus est. Hic Henricus deinde in regnum successit, hujus nominis VII, & ab anno Christi 1486 regnavit annos 24.

Eduardus IV.

Eduardus V.


Richardus III.

Henricus VII.

9. In Italia magnæ fuerunt contentiones de Ducatu Mediolanensi, quæ tandem aditum ad hunc patefecerunt Francisco Sfortiæ mercenario militi, nato ex Attendula familia ignobili quidem sed honesta, qui uxorem habuit Blancam filiam notham Philippi Mariæ, filii Johannis Galeacii Vicecomitis, quem Ducem creavit Wen-

Franciscus Sfortia.

Philippus Maria. Wenceslaus Imp. Philippus Maria sororem habuit Valentinam, quam pater Johannes Galeacius nuptui dederat Ludovico Aurelianensi, Caroli v Galliæ regis filio; hâc conditione, ut si fratribus novæ nuptæ nulla soboles legitima superstes esset, Valentinæ filii ut legitimi successores Insubrum principatu potirentur. *Contentiones de Ducatu Mediolanensi.* Quum igitur hæres masculus deesset, de jure successionis multi contendebant. Carolus Aurelianensis, qui, Ludovico patre Parisiis insidiis Johanni Burgundi interempto, Valentinæ matris jus hæreditate exceperat, sanguinis necessitatem prætendebat. Alphonsus Arragonius, is qui Neapolin occupavit, testamento Ducatum sibi vendicabat, quòd contra Venetos Mediolanum defendisset, indeque à Philippo hæres scriptus esset. *Franciscus Sfortia occupat Ducatum Mediolanensem.* Franciscus Sfortia urgebat jus hæreditarium conjugis Blancæ filiæ nothæ Philippi. Accedebant etiam Veneti, qui certâ spe Ducatum Mediolanensem sibi despondebant. Sed contra hos Sfortia à Mediolanensibus conductus armis & fame urbem perdomuit, & receptis oppidis reliquis principatum sibi subjecit ac stabilivit. Atque ita Franciscus Sfortia mortuo socero Philippo Mariâ Ducatum Mediolanensem arripuit, & post mortem suam reliquit filios Galeacium & Ludovicum cognomento Morum. *Fr. Sfortiæ filii Galeacius & Ludovicus Morus.* Galeacius præmaturâ morte abreptus filii sui Johannis Galeacii tutelam committebat fratri Ludovico. *Ludovicus Morus perfidus in fratris Galeacii filium Johannem.* sed hic insanâ regnandi cupiditate incensus Johannem Galeacium, jam ex Isabella Arragonia patrem Francisci & Bonæ liberorum, nullâ habitâ ratione sanguinis, tabifico veneno infecit, quo ille paulatim consumptus est. Hoc facinus non solùm ipsi Moro, verùm etiam toti Italiæ fuit funestum. *Arragonii Ludovici Mori injuriam ac perfidiam vindicare parant.* Arragonii enim pro Johanne arma parabant, Morus verò evocabat in auxilium Carolum VIII Galliæ regem, jam ante totis viribus in Arragonios bellum meditantem ad persequenda domus Andegavensis jura. *Bellum Caroli VIII Galli contra Arragonios.* Cætera quæ sub Maximiliano Imp. acciderunt vide apud Peucer. fol. 1266. lin. 20. Notetur tabella hæc:



Hic Franciscus Sfortia operâ Caroli v Imp. recuperavit Agrum paternum, nempe Ducatum Mediolanensem, & uxorem habuit Isabellam Caroli v Imp. è sorore neptem ἄτεκνον. Mortuo igitur Francisco Carolus v Imperator omnem Insubriam in suam potestatem redegit.

Bellum inter Arragonios & Andegavenses de regno Neapolitano.

Apulia quoque suis motibus valdè fuit agitata dum de regno Neapolitano gravissima inter se bella gesserunt Arragonii & Andegavenses, illi ex Hispania, hi ex Gallia. Res ita habet. Tempore Ruperti Imperatoris variis modis inter se propter Pontificias factiones digladiabantur Itali, quibus aliæ quoque gentes sese admiscebant. Imperator Rupertus omnia desperata videns, Italiæ res ampliùs curare noluit. Quum verò ipsi Pontifices Italicas & Gallicas factiones alerent, Ladislaus rex

Neapolitanus, qui videri volebat favere Gregorio XII, Romam incertis studiis fluctuantem & multa alia Pontificis oppida oppressit. Contra hunc prodiit Ludovicus Andegavensis, excitus literis Pontificis sub spe potiundi regni Neapolitani, & urbem Romam depulso Ladislao Alexandro V Pontifici recepit. Sed redit ad arma Ladislaus, & repressis auxiliaribus Gallorum copiis Romam iterum capit, & plurima Pontificiæ ditionis oppida sibi subigit, quæ etiam ad mortem usque retinuit. Moriens regnum Neapolitanum reliquit sorori Johannæ damnatæ libidinis fœminæ. Hæc nupserat primò Geldriæ Duci, deinde Jacobo Comiti de Marca. Ex neutro marito gravida facta metuit ne à Pontifice & Andegavensibus regno spolietur. Idcircò ut potentiores amicos sibi compararet, repudiato marito Jacobo Alphonsum Ferdinandi regis Arragoniæ filium adoptavit. Fuit hic Ferdinandus filius Johannis regis Castellæ, qui dissidentibus inter se Arragoniis de rege, quum plures regnum appeterent, delectorum ordinum suffragiis cæteris prælatus Tarraconense regnum & paulò post Siculum, rege Martino ex Arragoniis ultimo defuncto, obtinuit. Alphonsus igitur ut erat laudatissimus princeps, quum mulieris mores improbaret, & hæc se ab illo contemni suspicaretur, etiam repudiatus est, & in ejus locum accersitus natu maximus Ludovici Andegavensis filius patri ὁμώνυμος, cui mortuo surrogatus est frater Renatus. Inde gravissima bella secuta sunt, in quibus alternante fortunâ nunc Arragonii nunc Andegavenses Neapoli potiti sunt. Renatus sine sobole ex hac vita discedens instituit hæredem Ludovicum XI Galliæ regem Caroli VIII patrem. sed noluit hic sese huic negotio committere priusquam regnum Galliæ suo filio tutum traderet. Alphonsus moritur anno ætatis 65, anno Christi 1458, & regnum Arragonicum ac Siculum relinquit fratri Johanni, Neapolitanum verò Ferdinando filio νόθῳ, cui Carolus VIII bellum movit. Sed dum bellum parat Carolus, moritur Ferdinandus anno Christi 1492, relictis filiis Alphonso successore & Friderico, atque ex Alphonso nepote Ferdinando. Sed Johannes Arragonius Alphonsi frater regnum Siculum Ferdinando filio ex secunda conjuge genito tradidit, & eidem sororem Henrici regis Castellæ matrimonio junxit. Per hoc matrimonium Fer-

Johanna soror Ladislai regis Neapolitani hæreditate adipiscitur regnum Neapol.

Johanna Alphonsum Ferdinandi Castellæ regis filium adoptat, quem deinde mox repudiat.

Johanna adoptat filium Ludovici Andegavensis.

Ludovicus XI Galliæ rex instituitur hæres regni Neapolitani.

Carolus VIII Galliæ rex bellum movet Ferdinando filio νόθῳ Alphonsi.

Ferdinandus utriusque Hispaniæ ulterioris & citerioris regna cum regno Siculo copulavit, illisque mox bellicâ suâ virtute duo alia, Granatense & Neapolitanum adjecit, quæ universa in Carolum v Imp. ex filia nepotem transtulit. Notetur tabella:

Johannes rex Castellæ.

Ferdinandus.

Alphonsus adoptatus à Johanna regina Apuliæ & Neapolis.	Johannes, cui fatrer Alphonsus reliquit regnum Arrag. & Siculum.
Ferdinandus νόθος, sed ex testamento patris hæres regni Neapolitan.	Ferdinandus Catholicus, qui uxorem duxit sororem Henrici regis Castellæ.
Alphonsus successor. — Fridericus.	Johanna. — Philippus Maximiliani Imperatoris filius.
Ferdinandus.	Carolus v Imp.

Porrò Ferdinandus cognomento Catholicus Caroli v Imp. avus maternus partem Beticæ quam Granatam vocant, seu regnum Granatense, à Mauris 780 annis occupatam operâ Consalvi Magni, ex Aquilaria Cordubensi familia oriundi, recepit, pulsisque Saracenis & Mahometicâ superstitione abolitâ templa Christianæ religioni condidit, unde Catholici cognomentum adeptus est. Accidit hoc anno Christi 1492, quo operâ regis Hispaniarum à Christophoro Columbo Genuensi novæ insulæ repertæ sunt, quas postea rex Hispaniæ coli & frequentari jussit. *Ferdinandus Catholicus Caroli v Imp. avus maternus.*

10. Veneti circa hæc tempora insulam Cyprum ade- *Veneti*

capiunt insulam Cyprum. pti sunt hâc occasione: Johannes rex Cypri ex pellice susceperat filium nothum Jacobum, ex legitima conjuge filiam Carolottam, cui maritum quæsivit Ludovicum Sabaudiensem, promisso regno dotis loco. Post mortem Johannis soceri, quum Ludovicus in regnum evocatus cunctaretur, regnum præripit Jacobus filius nothus, & auxiliis Ægyptiis instructus Ludovicum regno ejicit. Ut autem tutior esset in regno Jacobus, Venetorum societate sese munivit, in uxorem petendo Æcatarinam Marci Cornelii Veneti filiam, quam Senatus in filiam adoptatam ut aditum ad Cyprum sibi patefaceret, ei collocavit. Sed Jacobus non diu post nuptias superstes conjugem gravidam Senatui Veneto commendavit, quæ enixa filium sed mox defu..ctum repetitâ patriâ regnum Senatui Veneto concessit. Peuc. fol. 1275.

Ars typographica. 11. Ars typographica anno Christi 1440 inventa & excogitata est à Johanne Gutenbergio Argentinensi, qui Moguntiam veniens ibidem eandem feliciter complevit. Magnum Dei beneficium, quo jam renascentis Euangelii doctrina mirificè est propagata.

Academia Grypswaldens. Basiliensis. Ingolstad. Tubingensis. 12. Fundatæ sunt Academiæ, Grypswaldensis, Basiliensis, Ingolstadiensis & Tubingensis.

Docti viri. 13. Claruerunt viri docti, Baptista Mantuanus, Hermolaus Barbarus, Angelus Politianus, Rodolphus Agricola, Georgius Purbachius, Picus Mirandulanus, Laurentius Valla, & alii quamplurimi quos recenset Bucholtzerus in indice. Et captâ Constantinopoli inde in Italiam intulerunt Græcam linguam & Philosophiam Argyropylus, Lascaris, Theodorus Gaza, Trapezuntius, Chrysoloras & alii. Tunc quoque rivuli Græcæ doctrinæ deducti sunt in Germaniam. Nam Johannes Regiomontanus quum Græcè didicisset, illustravit Ptolemæum, & Rodolphus Agricola Ferrariæ familiaris fuit Theodoro Gazæ.

MAXIMILIANUS.

Parentes. Fuit Maximilianus filius Friderici III Imp. ex Leonora Eduardi Portugalliæ regis filia, natus anno Christi 1459. Ab infantia tantâ difficultate verba pronunciabat, ut

Maximiliani Balbuties con- plerisque ferè mutus videretur. Eam tamen in perfectiore ætate consecutus est facundiam, ut magnæ omnibus esset admirationi, quum præter vernaculam linguam in Lati-

Latinis, Gallicis & Italicis esset promptus & expeditus. *versa in*
Præceptore usus est infelice Petro Engelberto, homine *facun-*
indocto & plagoso, de quo postea dicere solitus est: Si *diam &*
nunc præceptor meus viveret, ego eum docerem quâ ra- *πολυ-*
tione pueri instituendi essent. Anno ætatis 18, qui fuit *γλωττίαν.* *Educatio.*
annus Christi 1477, uxorem duxit Mariam filiam Caroli *Maximi-*
Burgundi, qui cognomento dictus est Audax, ex quo *liani con-*
conjugio Burgundici Ducatus hæreditas ad ipsum delata *jux Ma-*
est. Vixit cum ea quinquennium. quo exacto quum e- *ria Bur-*
quo lapsa fracto femore tractationem loci affecti per ve- *gundica.*
recundiam refugeret obiit. Postea alteram duxit conju-
gem Blancam Galeacii Mediolanensis filiam ἄτεκνον. In *Altera*
regem Romanorum suffragiis Electorum electus est an- *conjux*
no Christi 1486, ubi in publica renunciatione patrem *Blanca.*
Fridericum largissimas lacrymas profudisse tradunt, de *Maximi-*
quo varia fuerunt sapientum judicia. Quumque inter *lianus fit*
alias animi dotes ab Electoribus etiam facundia com- *rex Ro-*
mendaretur, respondisse aiunt patrem; Quam facun- *manorum.*
dus sit, nescio, sed quum annum attigisset duodecimum,
ipsum aut stultum aut mutum fore subveritus sum. Pri-
vata ejus vita inculpata fuit, quam in humanioribus lite- *Maximi-*
ris & pietatis exercitiis traduxit, imprimis verò mathe- *liani pri-*
matico & historico studio fuit delectatus, unde Cuspinia- *vata vita.*
no, Nauclero, Peutingero & Jacobo Manlio caussam
præbuit, ut integram historiarum seriem contexerent.
Hinc invitati & confirmati alii principes non minore cu-
râ historiarum cognitionem expetiverunt, & eò deducti
sunt, ut publicas scholas aperuerint. Ut autem mi-
nus litium in imperio esset, & justitia in dirimendis con-
troversiis rectiùs observaretur, in Comitiis Wormatien-
sibus anno Christi 1495 supremum Cameræ imperialis
judicium Spirense constituit & ordinavit, ut certa quasi
officina esset, ad quam tanquam Amphictyonum judi-
cium omnes graves caussæ deferrentur & deciderentur.
Bella gessit plurima eaque difficilima. Vivo patre prima
tirocinia fecit in bellis Belgicis & Sicambricis, quorum
initia parùm fuerunt læta. Brugenses enim biennio post
electionem captum & contumeliosè tractatum indigna
suorum supplicia ipsum spectare coëgerunt. Belli hujus
occasio hæc fuit: Ludovicus XI Galliæ rex Burgundiæ
Ducatum & Artesiæ partem ditionis quondam Caroli
Burgundici ad se rapuerat. Itaque Maximilianus horta- *Bellum in*

ter Maximilianum & Ludovicum XI Galliæ regem, quod finitur matrimonio. tu uxoris Mariæ prima belli auſpicia orſus Ludovicum regem bello aggreditur, idque ſatis feliciter, ſiquidem uno die 20000 Francorum parvo exercitu fudit & hoſtem caſtris exuit anno 1487. Paucos etiam ante menſes totâ Geldriâ potitus erat. Partâ hâc victoriâ Ludovici regis filio Carolo Margaretam filiam deſpondit, atque ita vicinum hoſtem ſibi amicum reddidit. Uxore Mariâ mortuâ mutatur Maximiliani fortuna. *Maximiliani fortuna mutatur.* Nam Philippum filium primogenitum in ſuam tutelam invito patre acceperunt Flandri, & Margarita unica filia jam in Galliam erat abducta. Quum autem ipſe Maximilianus filii ſui tutorem agere inſtituiſſet, omnes ferè provinciæ quas ab uxore in dotem acceperat, ab eo alienatæ ſunt. Hanc injuriam Maximilianus ulturus Brugis à ſubditis ſuis captus eſt, & in domo cujuſdam aromatarii cuſtoditus. *Maximilianus Brugis captus, à patre liberatus.* Nobiliores verò ejus aulici in ejus conſpectu à furente plebe capite truncati ſunt. Per novem menſes in captivitate detentus fuit, & tandem à patre Friderico, qui expeditionem contra Flandros ſuſcepit Duce Alberto Saxone, liberatus, ſeditionis autoribus capite plexis & provinciis recuperatis. Mellif. parte 3. fol. 405. Poſtea anno Chriſti 1489 quum Dux Britanniæ Franciſcus unicam ſuam filiam Annam unà cum Ducatu Maximiliano deſpondiſſet, & proceres Angliæ eam per Galliam jam ad ſponſum adducerent, Galliæ rex Carolus VIII, qui ducatum illum ſibi deberi putabat, ſponſam contra datam fidem propter jus ſucceſſionis intercepit & ſibi copulavit. *Maximiliano eripitur ſponſa Anna Britannica.* Margaretam verò Maximiliani filiam, quam diu pro Sponſa habuerat, patri remiſit. Hinc quum magnum metueretur bellum, Fridericus Maximiliani pater & Comes Palatinus & Helvetii miſſis legatis interceſſerunt, ut res ad tranſactionem deduceretur. Vide Cominæum lib. 1 de bello Neapol. fol. 752. Hæc peracta ſunt à Maximiliano dum pater Fridericus adhuc in vivis eſſet.

Maximiliani imperium. Cœpit Maximilianus poſt obitum patris ſolus imperare anno Chriſti 1494, & imperavit annos 25, nempe uſque ad annum Chriſti 1519. Interea temporis multis quoque & variis bellis fuit implicatus, quæ omnia fuerunt neceſſaria, exceptis illis ad quæ pontificio fœdere fuit attractus. Poſteaquam à morte Matthiæ Hunniadis Ungariæ regis occupatas ab illo urbes Auſtriacas recepit, & minori negotio totum Ungariæ regnum perdomuiſſet, niſi placuiſſet

Contentio

ſet ex pacto id concedere Vladiſlao Boëmiæ regi procerum ſuffragiis expetito, retento ſolo ſucceſſionis jure, ut deficiente maſculâ ſobole Vladiſlai in ſuos id poſteros devolveretur. In Italicis bellis, quæ admodum funeſta & gravia fuerunt, inimicam crebriùs quàm propiciam fortunam expertus eſt, omnibus quæ occuparat, iterum ademptis, ut tandem copiis in Longobardiam remiſſis ipſe ſubſecutus in Germaniam redierit. Helveticum bellum Maximiliano etiam graviſſimum extitit tum temporis quum in Geldria bellum gereret anno Chriſti 1499. Helvetiis partæ libertatis conditiones & detractas domui Auſtriacæ provincias pertinaciſſimè tuentibus Maximilianus ſummis viribus ſeſe opponebat, ſed quod intentabat non aſſequebatur ob gentis ferociam, quæ proſperitate victoriarum magis intumeſcebat. Octies dimicatum eſt majore Maximiliani quàm hoſtium clade, & tandem Baſileæ tranſactione hoc bellum eſt compoſitum, in quo ſupra 20000 hominum abſumpta ſunt. Sic una Helvetia totius imperii impetum ſuſtinuit. Helvetico bello compoſito ad Bavaricum devenit Imperator, quod anno 1504 cœptum & confectum eſt. Hujus belli cauſſa hæc fuit: Philippus Palatinus Elector nuptias filiæ Georgii Divitis Bavariæ Ducis, filio ſuo Ruperto conciliaverat, cui Georgius ſocer ex pacto dotis loco præter omnem aliam ſplendidiſſimam ſupellectilem legavit etiam eam Bavariæ partem quam ex hæreditate tenebat. Quum autem teſtamentum hoc non ſolùm contra leges imperii eſſet ſcriptum, ſed etiam in fraudem Alberti Bavariæ Ducis, & hic querelam inſtitueret apud Imperatorem, noluit Imperator ut teſtamentum eſſet ratum. Poſt Georgii mortem Rupertus gener quum hæreditatem eſſet aditurus, ei ſeſe oppoſuit Albertus. Interpoſuit ſuam autoritatem Imperator ut certis conditionibus litem dirimeret. quas quum pertinaciter recuſaret Philippus Palatinus Elector, & ob hanc cauſſam ab Imperatore proſcriberetur, bellum hinc ortum eſt, in quo fermè contrita fuit Palatina familia, & Rupertus unà cum conjuge veneno ſublatus. Tandem pacificatio facta eſt inter Imperatorem & Philippum Palatinum, operam ſuam gnaviter adhibente Friderico Saxoniæ Electore, ut Palatinus ſupplex veniam impetraret. Peucerus fol. 1287. Hujus belli cauſſam aliam recenſet Dreſſerus fol. 435. Bava-

de regno Ungariæ poſt obitum Matthiæ Hunniadis.

Italica bella Maximiliano infelicia.

Helveticum bellum Maximiliano infelix.

Bavaricum bellum.

Bellum contra Venetos. rico bello finito aliud in Italia exortum est contra Venetos, quorum potentia eò usque excreverat, ut jam viderentur toti Italiæ dominaturi, quum ex aliorum ruina suam ditionem amplificassent. Hic fastus ut retunderetur, Julii Pontificis consilium fuit, communi auxilio & conjunctis armis repetenda esse quæ Veneti Imperio ademissent. *Conspiratio contra Venetos.* Conspirarunt Cæsar Maximilianus, qui ad hoc bellum eò facilius fuit attractus, quòd Veneti ipsi Romam coronationis gratiâ profecturo tutum transitum denegassent, Julius Pontifex, Ludovicus XII Galliæ rex, Ferdinandus Hispanus, Alphonsus Ferrariensis. Confederatio facta est Cameraci anno 1508, & fuit hoc bellum decennale. Memorabile est quod referunt de Rodolpho principe Anhaltino ex stirpe Ascania, qui fuit à partibus Maximiliani. Hic receptis Vincentiâ, Veronâ & Patavio, quum à Bartholomæo Liviano Venetorum Duce circumventus esset, ut elabi non posse videretur, *Livianus Venetorum dux triumphat ante victoriam* Livianus, quasi jam in manibus victoriam haberet, Venetos ad spectandam Germanorum lanienam voluptatis gratiâ evocavit. Sed Anhaltinus ita pugnavit ut Veneto exercitu providâ irruptione sed impetu vehementi dissipato & conciso victoriam reportarit gloriosissimam, & Imperatori Vincentiam, Veronam & Patavium recuperarit. quæ tamen urbes Anhaltino veneno extincto ad Venetos perfidè redierunt. Sed & Galliæ rex devictis Venetis & capto Liviano Cremonenses, Bergomates & Brixianos in deditionem accepit, Julius Pontifex Ariminum, Faventiam, Cerviam & Ravennam. *Venetorum potentia frangitur.* Fractâ Venetorum potentiâ pacem à Julio Pontifice supplices petiverunt & impetrarunt eâ conditione, si Galli & Germani totâ Italiâ exturbentur. *Julius II Pontifex movet bellum contra Ludovicum XII Galliæ regem.* Imperat Pontifex Alphonso Ferrariensi ut arma deponeret, sed frustra. Perstitit enim in fide & amicitia Gallorum, Gallis vicissim ei defensionem præstantibus. Adimitur Pontifici Bononia; unde Pontifex in furorem actus ad arma rursus concitavit fermè totam Europam. Evibratur in Ludovicum Gallum anathematis fulmen. quod tamen ille contempsit. Conjunguntur cum Pontifice Veneti, Helvetii, Ferdinandus Hispanus & Henricus Angliæ rex, qui à tergo Galliam invasit ut Ludovicum domi detineret. Committitur prælium ad Ravennam tanto pugnantium ardore ut Galli victores maximam partem Pontificii exercitus

citus trucidarint, anno 1512. Ceciderunt de Pontificis exercitu 16000. Occubuit etiam ipse Gallorum Dux Gasto Fossejus furore Ludovici genitus. Imperator audito hujus prælii nuncio suas copias à Gallo reduxit, & fœdere cum Anglo & Hispano inito Gallum domi novo bello implicavit, ex quo Pontifex Bononiam recepit, Maximilianus Sfortia in Mediolanensem principatum rediit, & Medicei Florentiâ iterum potiti sunt. Vides, Lector, incertam federum fidem & temerariorum bellorum tristes eventus. Sed ne sic quidem Italia tranquilla esse potuit. Nam successor Julii Leo x Pontifex Sfortiæ Placentiam & Parmam extorsit, ut scilicet Pontificium imperium proferret. Ludovicus verò Gallus & Ferdinandus Hispanus mutatis voluntatibus & pace occultè pactâ ut neuter alterum impediret, hoc egerunt, ut Hispanus Cantabriæ regnum confirmaret, Gallus Mediolanum repeteret. Anno Christi 1518 Cæsar Comitia Augustæ celebravit præsentibus cunctis Electoribus, in quibus de bello Turcico actum est. Selymus enim Sultanorum regno destructo regibus orbis Christiani magnum terrorem incusserat. Commendavit & nepotem Carolum Principibus ut se mortuo ejus in electione rationem haberent. Actum etiam est de Lutheri negotio, & scripsit Maximilianus ad Pontificem, ut malo in Ecclesia nascenti maturè remedium quæreret, se suâ operâ ipsi non defuturum. Augustâ profectus OEnipontem, febre correptus est, & quum transferri se Velsam curasset, accedente ex virium resolutione alvi profluvio, exspiravit anno Christi 1519, die 12 Januarii, anno ætatis 59, imperii 25. Uxores habuit duas, primam Mariam Caroli Audacis Burgundiæ Ducis filiam unicam, cujus matrimonii occasione Burgundica domus ad Austriacam familiam pervenit. Ex hac Maria suscepit filium Philippum, qui uxorem duxit Johannam Ferdinandi Hispani filiam, & sic Hispaniæ rex factus est, sed vivo patre Maximiliano & socero Ferdinando in vivis esse desiit quum esset annorum 28, relictis ex conjuge duobus filiis Carolo & Ferdinando, & filiabus quatuor. Suscepit etiam Maximilianus Imp. ex eadem Maria conjuge filiam Margare-

Leo x. P. contra Sfortiam.

Pactum inter Gallum & Hispanum.

Comitia Augustana in quibus de bello Turcico, &c.

Maximiliani obitus.

Burgundica domus quomodo ad Austriacam per venerit.

Philippus Maximiliani filius rex Hispaniæ ex matrimonio factus citiùs obiit relictis filiis Carolo & Ferdinando.

Margareta Maximiliani filia connubiis infelix.

tham connubiis infelicem. Desponsata enim Carolo VIII Galliæ regi & in aula Francica educata, ubi Sponsus adolevisset, repudiata & patri remissa est, propterea quòd Carolus animum adjecisset ad Annam Boloniam Francisci ultimi Britanniæ Ducis unicam filiam, & hæredem, quam etiam licet Maximiliano Imp. promissam & jam ad Sponsum deducendam in itinere rapuit, & in Galliam secum traduxit, ut scilicet hâc ratione jus successionis in Britanniæ Ducatu sibi acquireret, ut suprà etiam meminimus. Postea hæc Margaretha nupsit Carolo Arragoniæ principi, qui ante nuptias obiit. Tertiò Philiberto Sabaudo, sed fortunâ non meliore. Altera Maximiliani conjunx fuit Blanca Maria, Galeacii Mediolanensis filia, Johannis Galeacii soror, ex qua nulla ei soboles nata est. Observanda hæc sunt ut sciatur quo pacto Ducatus Burgundiæ, & regna Hispanum, Siculum, & Neapolitanum domui Austriacæ sint acquisita.

Synchronismus.

Alexander VI Papa homo sceleratus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Alexander VI, Pius III, Julius II & Leo X. Alexander sedit ab anno Christi 1492 annos 11, homo impurissimus & flagitiosissimus, qui veneno necavit Michaëlem Cardinalem, ut auro & argento ejus potiretur. Veneno etiam tollere voluit Hadrianum Cardinalem, in cujus horto cœnam instruxerat. Quàm castè vixerit, docet filiæ ejus epitaphium compositum à Johanne Joviano Pontano:

Hic jacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Valentinum Borgias, Alexandri VI filius.

Hæc filia Alexandri Lucretia à patre priùs constuprata (horrendum auditu facinus) tribus principibus elocata fuit successione. Primùm Johanni Sfortiæ Pisauriensi Duci, deinde abdicata Aloisio Arragoni Alphonsi regis filio notho, quo demum interfecto, Alphonso Estensi Ferrariæ Duci nupsit. Filium habuit hic Alexander Pontifex Valentinum Cæsarem Borgiam, cujus præter cæteros nobilitata est ambitio, patre in omnibus sceleribus favente, quum florem Italicæ nobilitatis jam passim excidisset, & cædibus atque rapinis regnum sibi parare studeret. Invitaverat pater ad convivium quosdam primarios

rios Senatores & Cardinales, jusseratque ut iis pulvisculus venenatus vino inspersus propinaretur. Sed errore pocillatoris factum est ut mutatâ lagenâ infectum vinum Pontifici & hujus filio Borgiæ daretur, quo hausto Papa expiravit, filius verò depulso antidotis veneno ubi evasisset, mandato Ferdinandi Hispani comprehensus & in Hispaniam navibus devectus est ut in carcere adservaretur, ubi quum post tertium annum deceptis custodibus è Medinæ arce se demisisset, & ad Johannem Cantabriæ regem evasisset, in prælio ad Mendaviam glande trajectus occubuit atrociore morte dignus. De hoc Borgia plura apud Antimachiavellum lib. 3. de politia theorem. 7. Pius III anno Christi 1503 conscendit cathedram, & dum bellum contra Gallos Italiam occupantes meditatur ex ulcere cruris, quo diu laboraverat, 27 post electionem die decessit. Successorem habuit Julium II patriâ Genuensem, qui ab anno Christi 1503 tenuit pontificatum annos 9. Fax fuit & tuba multorum bellorum, quibus per complures annos Italia fuit vexata, ut suprà dictum est. Modò in Gallos, modò in Venetos, modò pro Gallis, modò pro Venetis arma expedivit. Aliquando contra Gallum exercitum ducturus dicitur Romæ in Tiberim projecisse clavem S. Petri gladio succinctus, additis hisce verbis: quia non valet ampliùs clavis Petri, valeat gladius Pauli. Ob hanc diram imperandi cupiditatem Cardinales nonnulli ab eo defecerunt, & Imperatoris ac regis Galliæ Ludovici XII auxilio concilium generale Pisis indixerunt, ad quod Pontifex citatus Cardinales vicissim citavit, eosque cunctis dignitatibus privavit, ac ne concilium detrectare videretur, Lateranense indixit. Leo X Florentinus de familia Medicea ab anno Christi 1513 sedit annos 8 & menses 8, bonis literis à prima juventute diligenter institutus ab Angelo Politiano, unde eruditos viros impensè semper amavit, & quosdam è Græcia profugos suâ liberalitate invitavit, atque ita literarum instaurationem in Italia plurimùm adjuvit. Est hic ille Leo à quo Johannes Sleidanus auspicatur commentarium de statu religionis sub Carolo V. Martinum Lutherum editâ bullâ hæreticum judicavit, ut prolixè apud Sleidanum legere est. Deliciis variis & exquisitis carnem suam ad voluptatem nutrivit. Cardinali Bembo quiddam ex Euangelica historia proponenti fertur

Alexander Papa suo ipsius malo moritur.

Cæsaris Borgiæ interitus.

Pius III Papa.

Iulius II Papa.

Dissidium inter Papam & Cardinales.

Leo X Papa.

Lutherus declaratur hæreticus.

Bembus Cardinalis.

fertur impiè ac dissolutè respondisse; Fabula de Christo nobis nostroque cætui multùm profuit. Dicitur in concubitu cum puero esse mortuus. Cæterùm sub Alexandro VI anno 1500 Romæ celebratum est octavum jubilæum pontificium, & anno sequenti per legatos Pontificis in Germaniam atque alias loginquas provincias missa sunt diplomata cum amplissimis jubilæi indulgentiis, eaque passim vendita propter eos qui Romam venire non potuerant.

Indulgentia per Germaniam vendita.

D. Martinus Lutherus opponit sese Tezelio indulgentiarum nundinatori. Prima occasio mutationis in religione.

2. Johannes Tezelius Dominicanus jussu Leonis Pontificis per Germaniam venales circumfert indulgentias anno 1517. Huic se opponit D. Martinus Lutherus in Academia Witebergensi professor, propositionibus valvis templi contra indulgentias affixis, ac insuper Archiepiscopum Moguntinum Albertum, qui Pontificis consilium in hoc negotio juvare nitebatur, orat per literas ut loco indulgentiarum Euangelium doceri jubere t. Atque hæc est prima occasio mutationis in religione. Lutheri caussam defendit Fridericus Saxoniæ Dux Elector, qui fraudes indulgentiarum facilè intellexit. Plura videantur in commentario Sleidani.

Bellum inter Bajazetem II Turcam, & Venetos, fraude Ludovici Sfortiæ.

3. Bajazetes II Venetis bellum intulit, quòd Johannem Castriotum Scanderbegi filium defendendum suscepissent, qui Turcica arma finibus suis expulerat. Hæc caussa ita fuit prætexta. Sed incitatum fuisse Bajazeten contra Venetos à Ludovico Sfortia parricidialibus consiliis certum est. Hujus belli initium collocatur in annum 1498. Veneti fermè ad desperationem adacti sunt, maximè quum Bajazetes Methonem Peloponnesi urbem munitissimam Venetorum ditioni subjectam post diuturnam obsidionem occupavit, ubi summam crudelitatem exercuit. Oppidanos enim ad unum omnes Venetos pariter & Græcos aliosque nobilissimos viros in conspectu suo mactari jussit. Exemplo hoc perterritæ aliæ mox sese in hostis potestatem dediderunt. Tandem certis conditionibus pax à Bajazete impetrata est, idque eò faciliùs, quòd in Perside Ismaël Sophus, Jacuppo Usumcassanis filio perfidiâ libidinosæ conjugis obtruncato, regem sese effecerat, occasione innovatæ Mahometanæ religionis, & magnam Orientis partem victricibus armis pervagatus fuerat. Consternatus itaque Bajazetes quum se ob pedum dolorem & senectæ molestias

Bajazetis crudelitas.

Bajazetes bello petitur à Persa.

ad

ad hujus belli molem sustinendam invalidum sentiret, de successore deligendo cum Purpuratis deliberare cœpit, quæ res occasionem bellis intestinis præbuit. Supererant enim Bajazeti tres filii, Achomates, Corchætus & Selymus. Pater propensiore animo ferebatur ad Achomatem, sed Purpuratorum præcipui favebant Selymo, qui & perfidioso illorum incitatione patrem bello adortus & victoriâ potitus invito patre Imperator proclamatus est, & parricidiorum initium in ipso patre fecit, quem regno ejectum mox per Hammonem Judæum Medicum veneno è vivis sustulit, anno Christi 1512, anno imperii 32, ætatis 66. Hoc modo Selymus I regnum invasit, Turcarum rex undecimus, & tertius Orientis Imperator, & ut regnum stabiliret, duos fratres, Corchutum & Achomatem unà cum ipsorum filiis interfecit, ita ut ex stirpe Otthomannica ipse solus superesset. Cœpit ergò imperare anno Christi 1512, & imperavit annos 8. Regnum ejus nihil fuit aliud quàm horrenda carnificina, quâ immanissimas feras superavit. In proximos agnatos rabies ejus fuit crudelissima, ut dictum est. Bellum ipsi fuit cum fratris Achomatis filiis Amurathe & Aladino, quorum ille cum equitibus Persicis ad Ismaëlem Sophum confugerat, hic verò ac Campsonem Gaurium Ægypti Sultanum. Hinc novorum bellorum caussa Selymo nata est, quæ Selymum expeditionem in Christianos meditantem ab Europa avertit. Prælium cum Persis committitur admodum cruentum, quod incertâ victoriâ diremptum est, sed Ismaël accepto in sublimi humero vulnere quum ex acie secessisset, tandem Selymo victoriam reliquit, sed nimis cruentam. Nam à parte Turcorum ex 150000 supra 30000 ceciderunt. Pugnatum est in campis Calderanis anno Christi 1514. Anno sequenti movit Selymus in Aladolum regem montanis gentibus imperantem, à quo multis injuriis fuerat lacessitus. quo devicto quum regnum Aladoli in tres præfecturas divisisset, in Europam se contulit, limites sui regni adversus Ungaros defensurus. quibus citò repressis in tantos belli apparatus incubuit, ut vicinos reges percelleret, Maximilianum Cæsarem, Ladislaum Ungariæ & Sigismundum Poloniæ reges, qui celeberrimo conventu habito in defensionem Christianorum suscipiendam conjurarunt. Quum verò nihil deinceps moveretur, rediit Selymus in Lycao-

Selymus bello adoritur patrem Bajazetem, eumque veneno tollit.

Selymus per parricidium fit Imp. Turcicus.

Selymi cruenta victoria contra Ismaëlem Persam.

Selymus formidabilis vicinis regibus.

Lycaoniam ad Persici belli reliquias, ut scilicet Ismaëlem everteret. Quum verò intellexisset, Sultanum Ægyptium magnas copias totâ Ægypto & Judæâ in Syriam eduxisse in Persarum auxilium, legatos præmisit qui Sultanum rogarent ut ab hoc bello desisteret. Præerat in Ægypto summæ rerum Campson Gaurius, consensu Mamalucorum ad hanc dignitatem evectus, qui ob victoriam de Turcis ad Tarsum partam & repressum Usumcassanem ferocior factus belli inter Ismaëlem & Selymum arbitrum se deligi cupiebat, & quum ad postulata Selymi minaciùs respondisset, Selymus omisso Persâ vim belli omnem præter Campsonis opinionem transtulit in Comagenam, castris positis non procul ab Alepo, ubi Campson perfidiâ Cajerbeji præfecti Alepi & Comagenæ provinciæ desertus, & Mamaluci fusi victoriam Selymo concesserunt, anno Christi 1516. Persequutus porrò Selymus proceres qui Hierapolin versus profugerant, pervenit in Syriam, ubi Hierapoli in fidem receptâ mox Damasceni apertis portis hostem receperunt, quod idem fecerunt Tripolis, Berytus, Sidon & Ptolemaïs. Syriâ potitus Selymus Mamalucos, qui Memphim confugerant & in Campsonis locum Tomombejum delegerant, persequi constituit, quod etiam fecit. Nam Tomombejum vicit. Mamalucos oppressit & delevit, & hoc modo Alcairum seu Memphim occupavit ac dominus Ægypti factus est, anno Christi 1517. Sic Mamaluci, qui jam ab extincta posteritate Saladini annos circiter 243 regnum tenuerant in Ægypto planè concisi ac deleti sunt. Erat autem post deletam Saladini posteritatem Mamalucorum hoc munus, ut non observatâ liberorum successione communibus suffragiis equitum Sultanum crearent. Rebus in Ægypto & Syria constitutis rediit Selymus triumphabundus Byzantium, bellum deinceps atrox in Christianos moturus, sed ulcere cancroso renum correptus, toto corpore ex ulceris serpentis corrosione putrescente, eodem in loco quo patrem sustulerat, obiit anno 1520. posteaquam seriò mandasset filio Solymanno ut se mortuo omissis Persis bella in Christianos verteret

Selymus contra Campsonem Ægyptium.

Selymi bellum in Syria.

Selymus fit dominus Ægypti.

Mamaluci delentur.

Selymus bellum in Christianos meditans miserè obit, relicto filio Solymanno successore.

4. Poloniæ rex renunciatus est anno 1492 Johannes Albertus Glogoviensis ducatus dominus, qui anno 1494 simu-

Johannes Albertus Poloniæ rex.

simulatione belli Turcici Stephanum Walachiæ Palatinum virum fortem & bellicosum è regno suo excutere conatus est. Erat hic Stephanus regni Polonici vasallus non satis fidus. Quare rex moto illo in locum substituere Sigismundum fratrem cupiebat, ut postea Turcas minori cum periculo adoriri posset. Exercitum ergò comparat tanquam contra Turcas, sed arma in Stephanum convertit. Is ergò cognitâ re invadit regem, & florem omnem Polonici equitatus delet, unde ingentem cladem Polonia accepit. Anno 1501 Alexander Johannis Alberti frater Lithuaniæ dux Magnus ad regnum Poloniæ vocatus est. Hic vindicavit cladem à Walachis acceptam, multis eorum arcibus expugnatis. Anno 1507 Sigismundus frater Alexandri gubernacula Polonici regni suscepit & annos 41 regnavit. Autor fuit vectigalis novi & grandis in Poloniæ finibus versus Silesiam. Tum Michaëlem Glincium Rutenicum principem, cujus virtute Lithuania sæpè à Tartaris defensa erat, propter suspicionem affectati dominatus in Lithuania à sese alienavit, unde is ad Moscos confugit & Poloniæ multum damni dedit. Ejus enim ductu ducatus Smolencensis, quem ampliùs centum annis tenuerant Lithuani, in potestatem Mosci anno 1513 redactus est. Tartarorum ferociam prælio ingenti Sigismundus repressit & eorum 16000 cepit. Interfuit conventui unà cum Ladislao Ungariæ rege, quem Maximilianus Imp. Viennæ celebravit anno 1515, ubi sublatis è medio simultatibus vetera pacta renovata sunt & novis additionibus aucta nuptiisque sancita. Nam Maria Maximiliani neptis, Caroli V Imper. soror desponsa est Ludovico Ladislai filio, & vicissim Anna soror Ludovici Ungari desponsa est absenti Ferdinando fratri Mariæ.

Poloniæ clades. Alexander Johannis Alberti frater vocatur ad regnum Poloniæ. Sigismundus Poloniæ rex Alexandri frater. Conventus Viennensis. Maria Caroli V Imp. soror nubit Ludovico Ladislai regis Ungariæ filio: & Anna Ludovici Ungari soror nubit Ferdinando fratri Mariæ.

5. Ungariæ rex fuit Ladislaus, qui & rex Bohemiæ, frater Johannis Alberti Poloniæ regis. Cum Turca fecit pacem, quam deinde Thomas Strigoniensis Cardinalis, eò quòd Selymus Persico bello esset implicatus rumpendam censet, & ad bellum Turcis inferendum Ladislaum incitat. Quum autem nervi ad tantum bellum necessarii regi deessent, consulit Cardinalis ut more

ponti-

Ladislaus Ungariæ & Boëmiæ rex.

Exercitus Ungaricus gratis militat spe remissionis peccatorum.

pontificio sub signo crucis congregetur exercitus qui spe remissionis peccatorum gratis militet. Divulgato hoc consilio ex cunctis fermè gentibus fit ingens hominum concursus, sed qui deinde solicitus fuit magis de direptionibus & rapinis quàm de armis contra Turcam inducendis. Hujus sese multitudinis ducem facit quidam Georgius Sechelus adjuncto sibi fratre Lucatio, qui maximum terrorem exquisitissimis suppliciis nobilitati infert & toti regno ingentia damna. Sed ambo tandem à Bornemissa nobili Ungaro fusi & vivi capti sunt. Pœnas seditionis luerunt auditu horrendas. Nam Georgius nudus & catenis vinctus coronâque ferreâ candenti redimitus equuleo imponitur, ubi venis incisis sanguinem inde effluentem bibere coactus est frater Lucatius. Tum clausis iterum venis incitati sunt in eum socii illius viginti, qui tridui inediâ macerati dentibus eum lacerant & carnes arrosas devorant. Tandem extractis visceribus exenteratur, corpus in frusta concisum, ahenisque & verubus coctum comedendum militibus apponitur, qui hoc pastu satiati cum Lucatio fratre immanibus suppliciis necantur, annò Christi 1514. Mortuus est Ladislaus anno 1516. quo eodem anno ei successit Ludovicus filius, intempestivo partu à matre effusus absque cute, quam medici inunctionibus produxerunt.

Secheli & Lucatii fratrum horrenda supplicia.

Ladislao succedit filius Ludovicus, qui natus est ἄδερμος.

Carolus VIII Galliæ rex. Carolus occupat regnum Neapolitanum. Carolus suâ culpâ excidit regno Neapolitano, quod transfertur ad Ferdinandum Catholicum Hispanum.

6. Carolus VIII Galliæ rex, de quo suprà etiam meminimus, Florentiam ingreditur, ibique statum reipublicæ mutat, & postea regnum Neapolitanum occupat, idque summâ celeritate & propemodum sine ulla militum jactura. Neapolitani enim longâ & durâ tyrannide Ferdinandi & Alphonsi regum defessi maxima cum lætitia Carolum exceperunt. Quum verò Galli petulantiùs agerent, & nobilitatem, quæ Andegavensium partibus studuerat indignè tractarent, ipse etiam rex Carolus nullâ habitâ ratione Neapolitanæ nobilitatis omnia munia ac dignitates Gallis tribueret, quorum nonnulli malâ fide rem administrabant, gravissimè nobiles sunt offensi, & cæteros ad defectionem impulerunt, ita ut Carolus maturè regno illo exciderit, quod totum cum Sicilia ad Ferdinandum Catholicum Caroli V Imp. avum pervenit, auxilio Consalvi Magni, cujus virtute Ferdinandus etiam Maurorum regnis eversis omnem Hispaniam uno imperio complexus est. Obiit Carolus anno Christi

sti 1497, eique in regno successit Ludovicus XII, Dux Aurelianus, qui regnavit annos 17. Ejus virtutes, ut injuriarum oblivio, justitia & æquitas, valdè commendantur. vide Antimachiavellum libr. 3 de politia, theor. 6 & theorem. 21. Mellif. parte 3. fol. 413 & seqq. Occupavit Ludovicus anno 1500 Mediolanum, Duce ejus Ludovico Sfortia profligato, qui tamen post sex menses ejectis Gallis Mediolanum recepit. Sed Ludovicus Gallus Sfortiam iterum armis oppugnat, cædit, & captum secum in Galliam abducit, ubi carceri inclusus miserè periit. Ita Ludovicus XII Insubrum principatum adeptus à Maximiliano Sfortia concessionis tabulas arte elicuit, ut ipse & gener ejus ex Claudia filia Franciscus Angolismorum princeps, qui post eum regnavit, liberique demum ejus, posteri ac successores beneficiaro jure Mediolani Duces essent. Huic conventioni Julius II Pontifex sese opposuit, ut scilicet Gallos ex Italia ejiceret, & perfecit ut Maximilianus Helveticis & Venetis armis in paternum principatum restitueretur, quem tenuit usque ad Francisci regis adventum, qui Maximilianum intra arcem ad deditionem compulit. Obiit Ludovicus XII anno 1515, & successorem habuit generum Franciscum Valesium Angolismorum Ducem, qui gubernationem ab Italico bello auspicatus est. Regnavit annos 32. Primo statim anno Helvetios Maximilianum Sfortiam propugnantes prælio vincit memorabili, quod biduum durasse dicitur, Parmam ac Placentiam Pontifici adimit, & capto ac in Galliam transmisso Maximiliano possessionem principatus Mediolanensis stabilivit.

Ludovicus XII rex Galliæ.

Ludovicus Gallus occupat Mediolanum ejecto duce Ludovico Sfortia.

Franciscus I Valesius Galliæ rex.

7. In Anglia regnat adhuc Henricus VII, sub cujus gubernatione anno Christi 1509 literæ Latinæ & Græcæ in Angliam infusæ & gymnasiis compluribus, Cantabrigiensi, Oxoniensi & Londinensi acceptæ, successu felici longè latéque propagatæ sunt. Arturus princeps agens annum 14 uxorem ducit Catharinam Ferdinandi Hispaniæ regis filiam, & quinto pòst mense lentâ febre moritur. Catharina vidua Henrico Arturi principis fratri nubit. quod matrimonium per 20 annos felicissimo eventû, susceptâ etiam prole, continuatum, importunâ demum Henrici inconstantiâ abruptum est. Moritur Henricus VII anno Christi 1509, eique in regno succedit Henricus VIII, qui regnavit annos 38. Hic anno Christi 1513

Henricus VII Angliæ rex.

Henricus frater Arturi fratris viduam uxorem ducit.

Henrici bellum contra Gallos. instinctu Julii II Pontif. & Maximiliani Imper. indicto Gallis bello cum instructissimo exercitu Caletum trajicit. Interim Jacobus IV Scotorum rex impetu in Angliam milite vacuam facto in pugna occiditur. Inter Galliæ verò & Angliæ reges pax inita & matrimonio Ludovici XII Gallorum regis & Mariæ Henrici Angli sororis firmata est.

Ferdinandus Catholicus Hispaniæ rex. 8. In Hispania regnum tenet Ferdinandus Catholicus, de quo suprà. Hic regnum Neapolitanum & Navarrenum ejectis injustis possessoribus subegit. Ex conjuge Isabella suscepit filiam Johannam, quæ nupsit Philippo Austriæ Archiduci, filio Maximiliani Imp. ex Maria Burgundica, unde ex materna linea dux Burgundiæ, ex uxore verò rex Castellæ totiusque Hispaniæ factus est. Ex hac Johanna Philippo anno Christi 1500 natus est filius Carolus Gandavi in Flandria, & anno 1503 Ferdinandus Medinæ in regno Castiliæ, qui deinde Imperatores facti sunt. Sed Philippus pater quum in Hispaniam se contulisset, Granatæ prope Burgos cito decessit anno ætatis 28, qui est annus Christi 1506. Socer verò Ferdinandus ex hac vita migravit anno Chisti 1516, clausâ Arragoniorum regum stirpe, quæ à Berengariis Barchinonæ comitibus prognata in Hispania annos 370, in Sicilia annos 230 regnarat.

Maximil. & Maria Burgundica. — Ferdinandus & Isabella, Hisp.

Philippus. —— Johanna.

Carolus. Ferdinandus, &c.

Carolus Hispaniæ rex, & deinde Imperator Romanus. Ferdinando in Hispania & cæteris regnis successit Carolus ex filia nepos, de cujus imperio jam porrò dicendum erit.

Navigatio ad Calecutum. 9. Navigatio nova in Indiam ad Calecutum inventa est. Quum enim anno 1492 Christophorus Columbus Genuensis à Gadibus ad Occidentem iter aperuisset, quinquennio pòst, nempe anno 1497, Americus Vespucius ex mandato Ferdinandi Hispani navibus quatuor à Gadi-

Gadibus solvit & orbem novum peragravit, quem Americam de suo nomine appellari voluit. Propter magnitudinem vocatur quarta pars orbis, quæ hodie tota circumnavigata est præter eum tractum qui Septentrionem spectat, cujus littora nondum perlustrata sunt. Ejus latitudo complectitur milliaria 525, longitudo verò 750. Pars Septentrionalior novam Hispaniam, Mexicanam provinciam, Terram floridam & Terram novam comprehendit; Meridionalior verò (quæ Terra firma Hispanis dicitur) Peruviam & Brasiliam continet. Cætera in tabulis geographicis videantur. Deinde anno 1502 auspiciis Emanuelis Lusitaniæ regis Americus Vespucius omnes portus & insulas præcipuas in Africa & India occupavit, reges multos vectigales fecit, & usque ad extremum orientem progressus Calecuti portus attigit, adeoque aditum iterque novum ad Indias navigantibus patefecit. *America.*

10. Hisce annis commoverunt se paulatim semina motuum popularium ex Helveticæ libertatis conspectu deducta. Initia in Spirensi diœcesi circiter annum 1502 nata paulatim serpendo Sueviam multis in locis & nonnullas Imperii civitates corripuerunt. Dicta est Liga rusticorum Sotularia, Germanicè *Bundtschuch*, quæ nihil aliud fuit quàm conspiratio & rebellio agricolarum contra Episcopos & Canonicos. Præcipuus conjurationis articulus fuit, ut aucti numero omne jugum servitutis excuterent, & magistratum omnem abolerent. Altero interrogante: *Was ist nuhn vor ein wesen?* respondebat alter: *Wir mogen vor den pfaffen nicht genesen.* Sic referunt Urspergensis Paralipomena. *Prima occasio seditionis rusticorum per Germaniam.*

11. Academia Witebergensis à Friderico III Saxoniæ Electore constituta est anno 1502, & anno 1506 Academia Francofurtiana est solenni ritu introducta. *Academia Witebergensis & Francofurtiana ad Oderam.*

CAROLUS V.

Filius fuit Philippi I regis Hispaniarum, nepos Maximiliani Imp. ut in superioribus dictum est. Successit avo Maximiliano, quum pater in Hispania jam diem suum obiisset. Francofurti electus est Imperator recepto more, quum Fridericus Saxoniæ Dux & Elector imperium ab Electoribus ante delatum modestè recusasset. *Parentes, Electio ad Imp.*

Caroli competitor Franciscus I Galliæ rex. Competitorem habuit Franciscum Galliæ regem, qui latâ repulsâ maximum deinde odium concepit adversus Carolum, quod tandem in manifestum bellum prorupit. Cœpit Carolus imperare anno Christi 1519, & imperavit annos 39, traditâ deinde imperii mole fratri Ferdinando consentiente Electorum Senatu. Anno 1520 Aquisgrani coronatus est. *Caroli gubernatio molestissima.* Gubernatio ejus plena fuit molestiarum, & tota ferè in tumultibus ac bellis traducta, in quibus tamen conspicua fuit ejus prudentia, autoritas, felicitas & potentia. *Carolus deploravit literarum inscitiam.* Literarum inscitiam sæpè deploravit, quòd citiùs quàm decuit ab aulicis ad rem equestrem fuisset adhibitus. *Caroli res gestæ politicæ & Ecclesiasticæ.* Res gestæ prolixæ sunt, quæ tamen in politicas & Ecclesiasticas commodè distingui possunt. Politicæ in bellis maximam partem fuere consumptæ. *Bella varia.* Bella quæ gessit fuerunt, Mediolanense, Turcicum, Africanum, Geldricum, Germanicum & Magdeburgicum. *Bellum Mediolanense.* Mediolanense exarsit anno 1521, quod Carolo fuit cum Francisco Gallo, cùm aliis ex caussis, tùm quòd ægrè ferret Gallus Carolum in electione sibi prælatum esse, unde ejus potentiam & opes auctiores esse factas magna cum indignatione intelligebat. Duravit hoc bellum annos 38, pactis quandoque induciis, sed quibus nulla habebatur fides. Primò Gallus Pontificem habuit fautorem, qui tamen animo mox mutato fedus fecit cum Carolo contra Gallum, cujus præsidium ex Italia pellitur & Mediolanensis principatus Francisco Sfortiæ restituitur. Hujus injuriæ impatiens Gallus anno 1525 collecto exercitu redit in Italiam, & Mediolanum in potestatem suam redigit, sed non multò pòst à Cæsarianis ad Papiam victus & captivus ad Carolum in Hispaniam abductus est. Hoc modo Carolus ducatum Mediolanensem recuperavit, quem anno 1529 Francisco Sfortiæ per intercessionem Pontificis & Cardinalis Mercurini restituit. At verò Franscifcus Galliæ rex, dum captivus hæret in Hispania, summis votis ut in Cæsaris conspectum duceretur expetivit, eâ spe motus, se per colloquium id consequuturum, ut certis conditionibus propositis libertati reddatur. Nec spes ipsum fefellit. Cum Carolo enim in gratiam rediit hisce pactis: ut Neapolitanum regnum redderet, comitatu Flandriæ cederet, ducatum Burgundiæ traderet. Consentit Gallus, & juramento hæc confirmat, datis insuper obsidibus duobus filiis, utque omnia majore cum autoritate fierent, Cæ-

ſaris ſororem germanam Eleonoram, Emanuelis Luſitaniæ regis viduam, uxorem ducit, & in Galliam à Carolo honorificè deductus redit. Omnia jam credebantur optimè tranſacta & pacata. Ubi rex Franciſcus in Galliam rediit, benignitatis Caroli oblitus contra hunc cum Pontifice & Venetis novum fedus pangit, & novum bellum movet anno 1526. Vario marte pugnatum eſt, & quum Cæſariani duce Carolo Burbonio & Georgio Fronsbergio urbe Placentiâ potiri non poſſent, fruſtra etiam Florentiam tentarent, rectà Romam contenderunt, poteſtatem in regnum Neapolitanum tranſeundi petentes. Pontifice tranſitum recuſante Cæſariani poſtero die maturè urbem Romam invaſerunt, ceperunt, diripuerunt, & ipſe Pontifex cum Cardinalibus in Adriani mole in ſeptimum uſque menſem obſeſſus fuit, unde tandem Cæſaris mandato fuit liberatus. Excuſavit Cæſar coram Clemente VII Papa harum rerum omnium ignorationem, unde coronationem Bononiæ anno 1530 adeptus eſt. Interim Gallus anno 1528 duce Odetto Fuxio Laurrechio (qui urbium expugnator, ut olim πολιορκητὴς, dictus eſt) Neapolim obſedit, & duces Cæſarianos cepit, omnemque maris uſum intercepit. Repreſſus tamen eſt exercitu lue peſtilente deleto, quâ & ipſe Odettus in caſtris ad Neapolin eſt extinctus. Pax igitur inter Cæſarem & Galliæ regem inita eſt Cameraci anno 1529 die 5 Augusti, & Carolus anno ſequente à Clemente VII Papa Bononiæ coronatus eſt rex Longobardorum, & poſt biduum Imperiali coronâ eſt coronatus, quum juraſſet, ſe Pontificiæ dignitatis perpetuum fore defenſorem. Aggreſſus eſt deinde Carolus bellum Turcicum, quum Solymannus Turca à Johanne de Zapolia Transſylvaniæ Waywoda attractus venit in Ungariam, & expugnatâ Budâ Viennam quoque acriter, quamvis fruſtrà, oppugnavit, adducto exercitu 140000 virorum, urbem verò defendente Philippo Palatino principe cum ſuis præſidiariis militibus, anno 1529. Coactus igitur fuit Turca obſidionem ſolvere, in qua multa crudeliſſimè egit, multis hominum millibus abductis, matronis & virginibus nudis projectis & pueris palis affixis. Rediit poſt biennium Solymannus cum 200000 armatorum, & oppugnato ac tandem capto oppidulo Ungariæ Gunſio, ducem quendam cum equitibus 15000 rapiendi ac prædandi

Bellum Turcicum.

Solymannus expugnatâ Budâ Viennam fruſtra tentat.

Solymanni crudelitas.

caussâ ad Lincium usque emisit, ex quo ingens terror Germaniæ incussus est. Sed cognito Cæsaris Caroli adventu Solymannus per Noricorum montana fugiens maximam deportavit prædam. Sic Carolus nunquam cum Solymanno prælio decertavit. Hisce ita peractis quum Conradinus Barbarossa, qui ab aliis dicitur Hariadenus Mitylenæus, archipirata, Turcicæ classis præfectus, multis incursionibus mare vexaret, & in Africa ejecto rege Muleasse regnum Tunetanum occupasset, Cæsar ornatâ classe in Africam venit, & captâ urbe Tuneto unà cum arce Goleta, profligato etiam hoste, Muleassem regno restituit & vectigalem sibi fecit. Goletam verò sibi vendicavit & Hispanico præsidio munivit, anno 1535. Fuit hic Muleasses Mahometanæ religioni addictus, & post restitutionem regnum Tunetanum annos 9 obtinuit, aliis annos 13. Venit anno Christi 1548 ex Africa profugus & perquam calamitosus Augustam ad Carolum Cæsarem, à filio natu maximo, qui regnum occupaverat, ejectus & exoculatus. Alteram expeditionem in Africam Cæsar suscepit anno 1541, sed admodum infeliciter. Quum enim Argieram Africæ urbem maritimam appulisset, triduo pòst sævissimâ tempestate obortâ, ventorum flatibus naves ex collisione fractæ & partim submersæ sunt, ut re infectâ Cæsar in Hispaniam reverti cogeretur, non sine magno machinarum bellicarum & totius exercitus detrimento, ubi dixisse fertur Carolus, malle se unum Christianum servare quam mille Mauros, Turcas Pœnosque occidere. Ex Hispania Carolus reversus adoritur bellum Geldricum contra Gulielmum Clivensem, qui cum Francisco Galliæ rege sese contra Cæsarem conjunxerat infelici eventu. Nam capto, direpto, & incenso oppido Cliviæ, Durâ, trucidatis etiam militibus præsidiariis & multis civibus, Gulielmus Geldriæ dux Carolo supplex est factus, & intercessione Henrici Brunsvicensis ac aliorum principum Geldriâ exutus in gratiam est receptus, anno 1543. Sleidanus lib. 15. Sequuta est tandem tristis Germaniæ calamitas per bellum quod vocatur Germanicum seu Schmalcaldicum, cujus hæc fuit occasio: Lutheri doctrinam Papisticæ oppositam receperant quidam Germaniæ principes, quod Carolus, maximè instinctu Pontificis, ægrè ferebat, & propterea omni curâ hoc agebat, ut de

Caroli prima expeditio in Africam, ubi Muleassem regno restituit.

Caroli altera expeditio in Africam, sed infelix.

Bellum Geldricum.

Bellum Germanicum seu Schmalcaldicum.

ut deleto Lutheri dogmate Germaniæ pacem redderet, & universalem in Papistica religione consensum. Quum verò principes se bonâ conscientiâ cælestis doctrinæ veritatem deserere non posse affirmarent, rigidiùs tandem Cæsar agere cœpit, ac nisi morem essent gesturi, duriora quædam verbis asperioribus minatus est. Lutherum in comitiis Wormatiensibus anno 1521 proscribit, quod primum fuit edictum. Sed Lutherus curâ Friderici Saxonis clam custoditur in arce quadam Warttberg prope Isenacum, quam vocavit suum Pathmon & Eremum. Deinde in conventu Spirensi anno 1529, quum jam Carolus impulsu Pontificiorum totus in bellum Germanicum incumberet, exhibuerunt Euangelici principes protestationem in religionis negotio, quâ significarunt, se ex decreto Wormatiensi non posse in suis ecclesiis retinere errores & abusus usque ad concilium. Ab hac protestatione factum est ut Protestantes dicerentur. Conventum igitur egerunt Protestantes principes Schmalcaldiæ, ubi primùm proposita & agitata est quæstio de mutuo federe ac defensione adversus suæ religionis hostes vim ipsis illaturos. Fuerunt autem hujus federis socii, Johannes Fridericus Dux Saxoniæ Elector, Philippus Landgravius Hassiæ, Ernestus & Johannes Fridericus Saxoniæ Duces, aliique principes ac Comites. Rebus omnibus ad bellum dispositis Cæsar Saxonem & Landgravium proscribit. Hi contrà bellum ei denunciant. Ita ad arma deventum est, quorum hic fuit exitus, ut Saxo & Landgravius victi caperentur, ille Electorali dignitate exueretur, quæ tradita est Mauritio anno 1548, hic verò præter opinionem, quum Supplex Cæsari factus esset, in custodia detineretur, donec inde à Mauritio genero jam Electore, precibus in arma conversis, liberaretur anno 1552. Plura vide in Sleidani commentario. Comitia deinde celebrat Cæsar armata magis quam togata Augustæ anno 1548, ubi abolitâ Euangelicâ religione & pontificiâ restitutâ postulat, ut omnes ordines concilio Tridentino sese subjiciant. quod obtinere non potuit. Bello Schmalcaldico confecto sequutum est bellum Magdeburgicum. Nam Canonici graviter apud Cæsarem accusabant cives, quòd vim & rapinas exercerent (quæ tamen crimina cives refutarunt) & quòd contra edictum Cæsaris de recipienda religionis formula, quæ in libro Interim comprehende-

Lutherus proscriptus servatur à Saxone Electore.

Protestatio Euangelicorum

Conventus Schmalcaldicus.

Comitia Augustana.

Bellum Magdeburgicum.

batur, agerent. Hanc ob caussam Cæsar urbem proscribebat, & exsequutionem Mauritio Saxoni, Joachimo Brandeburgico, Henrico Brunswicensi & Alberto Brandeburgico mandabat, qui urbem obsederunt anno 1550. Post multas clades utrinque datas & acceptas deducta tandem res est ad pacificationem certis conditionibus. quibus utrinque confirmatis, adhibitâque de libertate in religione cautione, Mauritius Elector Saxoniæ urbem ingressus in fidem Imperii cives adigit. Sic confectum est bellum Magdeburgicum, quod nullâ in Cæsarem contumaciâ, sed verâ potiùs in Deum pietate susceptum & gestum est. Bella gessit Carolus multa, sed in suum potiùs quàm imperii commodum, & compertum est post bellum Germanicum & Magdeburgicum nullâ ipsum ampliùs usum fuisse felicitate. Statim enim sequuta est infelix obsidio urbis Metensis à Gallo occupatæ, tum fuga ex urbe OEniponte propter bellum à Mauritio Electore illatum. Imperium etiam multa amisit. Borussia in potestatem Polonorum, Livonia Moschorum pervenit. De rebus Ecclesiasticis in Synchronismo dicetur.

Post bellum Germanicum & Magdeburgicum Cæsar parum felix fuit.

Tot igitur laboribus ac rerum difficultatibus fractus Carolus Cæsar tanquam è mundo exiturus & Deo vacaturus in Hispaniam navigavit anno 1556. Imperii verò gubernationem omnem fratri Ferdinando regi anno 1558 commendavit, nec multò pòst in monasterio D. Justi, in quo se continuit, vitam finivit. Uxorem habuit Isabellam Emanuelis Portugalliæ regis relictam filiam, quam duxit anno 1526, ex eaque suscepit filium Philippum Hispaniarum regem anno 1527, cui deinde pater regni Hispanici gubernationem designavit anno 1543, & anno 1555 totius Belgii administrationem contulit; item duas filias, Mariam conjugem Maximiliani II Imp. & Joannam conjugem Johannis principis Portugalliæ.

Carolus abdicat se imperio & ingreditur monasterium.

Caroli uxor & liberi.

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Leo X, Adrianus VI, Clemens VII, Paulus III, Julius III, & Paulus IV. De Leone X suprà dictum est. Adrianus VI sedit ab anno Christi 1522 annum 1 & menses 8. Fuit Belga Trajectensis, Caroli Imp. præceptor & consiliarius, Academiæ Lovaniensis cancellarius. Fedus fecit cum Carolo V,

Adrianus VI. P.

cum

cum Venetis, cum Ferdinando Archiduce Austriæ, & cum quibusdam Italiæ civitatibus contra Franciscum Gallum. Misit ad conventum Noribergensem Franciscum Gheregatam cum certis mandatis contra Lutherum. Hujus Adriani inscriptio circumfertur: Trajectum plantavit, Lovanium rigavit, Cæsar incrementum dedit. Cui festivè quidam addidit: Hic Deus nihil fecit. Clemens VII sedit ab anno Christi 1523 annos 10. Hic captâ Româ à Cæsarianis duce Burbonio in arce Angelica obsessus est anno 1525 mense Maio, & mense Decembri dimissus. Contra fidem enim Cæsari datam cum Gallis & Venetis sese conjunxerat. Paulus III dictus Alexander Farnesius sedit ab anno 1534 annos 15. Misit Petrum Paulum Vergerium ad Ferdinandum regem cæterosque imperii principes, ut cum iis de concilio Mantuæ indicendo ageret. Approbavit Concilium Tridentinum, quod anno 1546 inchoavit, & societatem Jesu seu Jesuitarum ordinem. Hermannum Archiepiscopum Coloniensem propter mutatam religionem loco movit, eique Adolphum Schawenbergensem surrogavit. Legatos misit in Germaniam, quibus mandata dedit de integro usu Cœnæ Dominicæ permittendo. Julius III sedit ab anno Christi 1550 annos 5. Initio sui pontificatus portam auream aperuit, & jubilæum annum celebravit. Cardinalem Polum in Angliam misit, qui horrendæ sævitiæ adversus Euangelicos autor fuit. Pavonum esum in tantis habuit deliciis, ut quum aliquando in cœna non reperisset paratum pavonem supra modum excanduerit, & Cardinali ne irasceretur monenti responderit: Si Deus iratus est primis parentibus propter esum pomi; quur mihi non liceat irasci propter pavonem, qui longè præstat? Paulus IV sedit ab anno Christi 1555 annos 4, dictus antea Johannes Petrus Carapha Neapolitanus. Autor fuit rupti federis inter Carolum Imp. & Henricum II Galliæ regem, Francisci filium, quod nuper erat pactum. Caussa fuit, quòd Pontifex M. Antonium Columnam ipsiusque patrem Ascanium anathemate notaverat, horumque possessiones Friderico Caraphæ ex fratre nepoti addixerat. Hinc Columna Caroli Imp. auxilium imploravit, qui Papam monuit, ut quæ rapuisset Columnæ redderet. Quod quum frustra fecisset, Cæsar misit ducem Albanum, qui agrum Romanum occupabat & Pontifi-

Clemens VII P.

Paulus III P.

Concilium Tridentinum approbatur.

Julius III P.

Annus Jubilæus.

Paulus IV P.

cem penè obsidebat. Papa Gallum ut subsidio veniret rogavit, qui Hispanum monuit ut quæ Pontifici essent adempta restitueret, nisi ansam rumpendi federis præbere malit. Quum & hoc frustra fieret, misit Gallus Guisium cum exercitu, & bellum de integro cum Hispano gessit, in quo tandem Philippus Hispanus Caroli filius Gallos ad S. Quintinum memorabili prælio superavit. Tardè hoc bellum compositum est anno 1559 datâ Philippo Hispano in uxorem Henrici Galli filiâ Isabellâ, quæ res malè habuit Pontificem. Præterea hic Pontifex recusavit confirmare Ferdinandum Imperatorem anno 1558 electum, eò quòd pacem Ecclesiis Augustanæ confessionis concessisset.

Bellum inter Carolum & Henricum II Galliæ regem componitur, & matrimonio pax firmatur.

Ordo Jesuitarum. *Ignatius Lojola Jesuitici ordinis autor.* *Ordinis Jesuitici incrementum.*

2. In papatu prodiit novus ordo, qui dictus est Jesuitarum seu è societate Jesu, autore nobili quodam Hispano Ignatio Lojola, anno 1535. Hic Ignatius primò militiam sequutus & in utroque crure graviter læsus cogitatione sanctioris vitæ susceptâ ad literarum studia se convertit anno ætatis 26, & concionando magnam sibi gratiam & autoritatem comparavit, ut alios ad societatem religionis & sectæ alliceret. Obtinuit tandem Romæ per Contarenum Cardinalem à Pontifice Paulo III confirmationem ordinis sui anno Christi 1540, & adeò aucta est hæc societas, ut in omnes penè partes orbis terræ sit diffusa. Præterquam quòd in ecclesiis docent, pueros etiam in scholis gratis docent, maximeque Romanæ sedis autoritatem suffulciunt. Horum genium Canonici quoque & Monachi metuunt, ne scilicet de ponte & culinarum nidoribus dejiciantur, eorumque nidis aut exuviis sese vestiant, ut scribit Laurentius Surius Carthusianus Monachus. Certum est hunc Jesuitarum ordinem mirificè obscurasse ordines Monachorum.

Augustana confessio.

3. Augustana confessio, quæ est confessio particularis quarundam Germaniæ Ecclesiarum reformatarum & à Papatu sejunctarum, Augustæ Vindelicorum à Melanchthone primùm scripta, in Comitiis anno 1530, die 25 Junii à quibusdam principibus & magistratibus earum Ecclesiarum quas Protestantes appellant, Carolo V Imp. exhibita est, ut scilicet Cæsaris, qui hoc jusserat, mandato satisfieret, & caussæ discessionis à Romana Ecclesia exponerentur, calumniæ verò adversariorum diluerentur. Subscripserunt huic confessioni, Johannes

Elector

Elector Saxoniæ, Georgius Marchio Brandeburgensis, Johannes Fridericus Dux Saxoniæ, Ernestus Dux Brunswicensis, Philippus Landgravius Hassiæ, Franciscus Dux Luneburgensis, Wolffgangus Princeps Anhaldinus, Noriberga & Reutlinga. Theologi protestantes adfuerunt, Philippus Melanchthon, Justus Jonas, Georgius Spalatinus, Andreas Osiander, Johannes Agricola Islebius; Theologi Papistici, Campegius Cardinalis legatus Pontificis, Eccius, Faber, Cochlæus, &c. Hi quum exhibitam & reputatam confessionem refutassent, & Cæsare probante in comitiis recitassent, protestantes apologiam Cæsari die 22 Septembris exhibuerunt, quæ à Cæsare non est recepta. Post comitia confessio hæc unà cum apologia in lucem est edita. Extant autem potissimùm duæ editiones, quarum prior facta est anno 1531, ita ut articulus decimus, qui est de cœna Domini, nonnihil mutaretur. Quum enim in exemplari Augustæ exhibito scriptum esset, sub specie panis & vini: pro eo in hac editione repositum est, Cum pane & vino: Scilicet ne quid esset quod pontificiam transsubstantiationem redoleret. Posterior editio facta est anno 1542, adhuc vivente & sciente Luthero, in qua articuli alii sunt mutati, alii locupletati seu declarati. Declaratio facta est propter Pontificiorum calumnias & sophisticas interpretationes, idque non occultè, sed publicè Wormatiæ in conventu Imperii anno 1540. Locupletata hæc & declarata confessio in conventu Naumburgensi ab ordinibus & principibus subscriptionibus novis comprobata est anno 1561.

Cæsar cum Pontifice agit de novo concilio, quod Pontifici non placet.

4. Ante conventum Augustanum Cæsar Bononiæ cum Clemente VII Papa de concilio Christiano & libero diligenter egit, sed tum temporis nihil impetrare potuit. Prætendit enim Pontifex, hanc controversiam in superioribus conciliis Constantiensi & Basiliensi satis esse discussam, nec decere ut novo concilio superiorum autoritas imminuatur. In ipso conventu Augustano Cæsar iterum spem fecit de concilio, & annò 1532 in comitiis Ratisbonensibus pacem religionis sanxit usque ad tempus concilii toties promissi. Et anno 1533 in Italia rursus cum Pontifice Clemente VII de Concilio tractavit, ac tum quidem inter ipsos convenit ut concilium haberetur. Sed fraudulenter & simulatè egisse Papam ostendit Johannes Sleidanus sub finem libri octavi: Anno 35 legatum

P. Paulus Vergerius. gatum misit Paulus III Petrum Paulum Vergerium, qui ipsius nomine concilium promitteret generale & *Concilio designatur Mantua, sed frustra.* OEcumenicum. Mantua Italiæ urbs designatur locus, quem Protestantes recusarunt, quòd esset extra Imperii fines, ac proinde non careret periculo. Pergit tamen Pontifex & Mantuæ indicit concilium ad diem 23 Maii anni 1537 inchoandum. Sed Protestantes Schmalcaldiæ tunc congregati apud legatos Pontificis & Cæsaris sese *Articuli Schmalcaldici.* excusarunt, & articulos Schmalcaldicos scripserunt, ut ad concilium Mantuæ indictum mitterentur. Prorogatum est concilium ad Calendas Novembres culpâ in Mantuæ principem translatâ; postea à calendis Novemb. ad Calendas Maias anni sequentis extractum est, & Vi-*Concilio designatur Vicentia, sed frustra.* centiæ in ditione Venetorum collocatum. Quum verò nemo dicto die eò veniret, ad Pascha anni sequentis est rejectum. Sed quum ne tum quidem succederet, Papa aliquandiu suspendit, & postea anno 1542 iterum indixit Tridenti inchoandum Calend. Novemb. quod non *Concilio designatur Tridentum.* semel suspendit ad idoneum tempus usque, interim belli Lutherani cupidissimus. Protestantes hoc concilium iterum recusarunt, quòd non esset legitimum quale in *Euangelici recusant Tridentinum Concilium.* comitiis imperii promissum erat, & quòd locus ad injuriam esset opportunus. Sed perrexit Pontifex, Cæsare approbante, & initium factum est anno 1546 die 7 Januarii. Interea instigante Pontifice, bellum à Cæsare in protestantes excitatum est anno 46 & 47, & quum victor esset Cæsar, ac Concilii, quod jam suspensum erat, continuandi spem exiguam esse putaret, negotium anno 48 quibusdam dedit, ut & doctrinæ, & ceremoniarum & emendationis Ecclesiæ capita conscriberent, nempe Julio Pflugio, Michaëli Sidonio & Joh. Agricolæ Islebio, qui ita scripserunt librum, ut totum ferè Papatum in *Liber Interim.* eo stabilirent, ac liber ille INTERIM vulgò dictus est, propterea quòd recipi deberet donec concilium perageretur. Hunc librum Cæsaris autoritate munitum alii re-*Julius III P. instaurat concilium Tridentinum, sed frustra.* ceperunt, alii non sine magno periculo repudiarunt. Anno 1551 Calend. Septemb. à Julio III Pontifice iterum instauratum est concilium, & sequenti anno continuatum. Verùm expeditione à Mauritio Electore contra Cæsarem susceptâ dilapsum est, & legati ac Theologi Protestantium re infectâ discesserunt; sed anno 62 à Pio *Pius IV* IV iterum instauratum est concilium, & sequenti anno absolu-

absolutum. Hinc satis constat, quid de concilio hoc sit sentiendum, quod solus Pontifex à Cæsare coactus evocavit, eosque solos assessores sibi adscivit, quos juramenti religione sibi habebat obstrictos, in quo solus Pontifex esset præses & idem reus ac judex, qui inauditâ caussâ ordines protestantes jam antè excommunicaverat. Hoc igitur Concilium quam liberum fuerit, quivis facilè intelligit. *P. instaurat & absolvit concilium Tridentinum. Concilii Tridentini dignitas.*

5. Inter Lutherum & Carolostadium contentio oritur de re Sacramentaria anno 1524. Quia enim Lutherus quodammodo transsubstantiationem rejecisset, opinionem verò de corporali præsentia Christi in Cœna retineret, opposuit sese Witebergæ Carolostadius, qui Luthero in Pathmo suo latitante, Witebergæ abrogavit Missam, imagines & auricularem confessionem, & erudiit populum, panem S. Cœnæ manu esse accipiendum. Hanc reformationem quum Lutherus improbaret, colloquium institutum est Jenæ, ubi quum in asperiora verba incidissent, de evulgandis adversariis scriptis pacti sunt, & in rei confirmationem Lutherus propinato poculo aureum nummum Carolostadio dedit. Hâc occasione ad pugnam Sacramentariam attracti sunt Helvetii. Etenim Carolostadius propter hanc doctrinam è Saxonia exire jussus, in Helvetiam ubi se contulit, & ad sacrum ministerium adhibitus est, cœpit Lutherus etiam contra Helveticas ecclesias scribere. Quæ res Philippo Hassiæ Landgravio occasionem colloquii Marpurgensis anno 1529 inter Lutherum & Zwinglium habiti præbuit. Interfuerunt Saxonici Theologi, Philippus Melanchthon, Justus Jonas, Johannes Brentius & Andreas Osiander; Theologi Helvetici, OEcolampadius, Bucerus, Hedio & Stephanus Agricola, aliique plures doctissimi viri. Sed quid effectum sit, posteriora tempora docuerunt. *Lutheri & Carolostadii controversia de re Sacramentaria. Helvetii trahuntur ad pugnam Sacramentariam. Colloquium Marpurgense inter Lutherum & Swinglium.*

6. Regnante Ferdinando Caroli V fratre Passaviensis transactio (*der Passauwische vertrag*) obtenta est, in qua pax profitentibus Augustanam confessionem conceditur, anno 1552. Hoc modo concilium Tridentinum dissipatum, pax in religione constituta, captivis principibus libertas reddita, & libro INTERIM finis allatus est. Hanc transactionem deinde sequutum est anno 1555 pernobile decretum, ne principi, comiti aut civitati imperiali *Pacificatio Passaviensis.*

P. Paulus Vergerius. gatum misit Paulus III Petrum Paulum Vergerium, qui ipsius nomine concilium promitteret generale & OEcumenicum. *Concilia designatur Mantua, sed frustra.* Mantua Italiæ urbs designatur locus, quem Protestantes recusarunt, quòd esset extra Imperii fines, ac proinde non careret periculo. Pergit tamen Pontifex & Mantuæ indicit concilium ad diem 23 Maii anni 1537 inchoandum. Sed Protestantes Schmalcaldiæ tunc congregati apud legatos Pontificis & Cæsaris sese excusarunt, *Articuli Schmalcaldici.* & articulos Schmalcaldicos scripserunt, ut ad concilium Mantuæ indictum mitterentur. Prorogatum est concilium ad Calendas Novembres culpâ in Mantuæ principem translatâ; postea à calendis Novemb. ad Calendas Maias anni sequentis extractum est, & Vicentiæ in ditione Venetorum collocatum. *Concilio designatur Vicentia, sed frustra.* Quum verò nemo dicto die eò veniret, ad Pascha anni sequentis est rejectum. Sed quum ne tum quidem succederet, Papa aliquandiu suspendit, & postea anno 1542 iterum indixit Tridenti inchoandum Calend. Novemb. quod non *Concilio designatur Tridentum.* semel suspendit ad idoneum tempus usque, interim belli Lutherani cupidissimus. Protestantes hoc concilium iterum recusarunt, quòd non esset legitimum quale in *Euangelici recusant Tridentinum Concilium.* comitiis imperii promissum erat, & quòd locus ad injuriam esset opportunus. Sed perrexit Pontifex, Cæsare approbante, & initium factum est anno 1546 die 7 Januarii. Interea instigante Pontifice, bellum à Cæsare in protestantes excitatum est anno 46 & 47, & quum victor esset Cæsar, ac Concilii, quod jam suspensum erat, continuandi spem exiguam esse putaret, negotium anno 48 quibusdam dedit, ut & doctrinæ, & ceremoniarum & emendationis Ecclesiæ capita conscriberent, nempe Julio Pflugio, Michaëli Sidonio & Joh. Agricolæ Islebio, qui ita scripserunt librum, ut totum ferè Papatum in *Liber Interim.* eo stabilirent, ac liber ille INTERIM vulgò dictus est, propterea quòd recipi deberet donec concilium perageretur. Hunc librum Cæsaris autoritate munitum alii receperunt, alii non sine magno periculo repudiarunt. *Julius III P. instaurat concilium Tridentinum, sed frustra.* Anno 1551 Calend. Septemb. à Julio III Pontifice iterum instauratum est concilium, & sequenti anno continuatum. Verùm expeditione à Mauritio Electore contra Cæsarem susceptâ dilapsum est, & legati ac Theologi Protestantium re infectâ discesserunt; sed anno 62 à Pio *Pius IV* IV iterum instauratum est concilium, & sequenti anno absolu-

absolutum. Hinc satis constat, quid de concilio hoc sit sentiendum, quod solus Pontifex à Cæsare coactus evocavit, eosque solos assessores sibi adscivit, quos juramenti religione sibi habebat obstrictos, in quo solus Pontifex esset præses & idem reus ac judex, qui inauditâ caussâ ordines protestantes jam antè excommunicaverat. Hoc igitur Concilium quam liberum fuerit, quivis facilè intelligit.

P. instaurat & absolvit concilium Tridentinum.

Concilii Tridentini dignitas.

5. Inter Lutherum & Carolostadium contentio oritur de re Sacramentaria anno 1524. Quia enim Lutherus quodammodo transsubstantiationem rejecisset, opinionem verò de corporali præsentia Christi in Cœna retineret, opposuit sese Witebergæ Carolostadius, qui Luthero in Pathmo suo latitante, Witebergæ abrogavit Missam, imagines & auricularem confessionem, & erudiit populum, panem S. Cœnæ manu esse accipiendum. Hanc reformationem quum Lutherus improbaret, colloquium institutum est Jenæ, ubi quum in asperiora verba incidissent, de evulgandis adversariis scriptis pacti sunt, & in rei confirmationem Lutherus propinato poculo aureum nummum Carolostadio dedit. Hâc occasione ad pugnam Sacramentariam attracti sunt Helvetii. Etenim Carolostadius propter hanc doctrinam è Saxonia exire jussus, in Helvetiam ubi se contulit, & ad sacrum ministerium adhibitus est, cœpit Lutherus etiam contra Helveticas ecclesias scribere. Quæ res Philippo Hassiæ Landgravio occasionem colloquii Marpurgensis anno 1529 inter Lutherum & Zwinglium habiti præbuit. Interfuerunt Saxonici Theologi, Philippus Melanchthon, Justus Jonas, Johannes Brentius & Andreas Osiander; Theologi Helvetici, OEcolampadius, Bucerus, Hedio & Stephanus Agricola, aliique plures doctissimi viri. Sed quid effectum sit, posteriora tempora docuerunt.

Lutheri & Carolostadii controversia de re Sacramentaria.

Helvetii trahuntur ad pugnam Sacramentariam.

Colloquium Marpurgense inter Lutherum & Swinglium.

6. Regnante Ferdinando Caroli V fratre Passaviensis transactio (*der Passauwische vertrag*) obtenta est, in qua pax profitentibus Augustanam confessionem conceditur, anno 1552. Hoc modo concilium Tridentinum dissipatum, pax in religione constituta, captivis principibus libertas reddita, & libro INTERIM finis allatus est. Hanc transactionem deinde sequutum est anno 1555 pernobile decretum, ne principi, comiti aut civitati imperiali

Pacificatio Passaviensis.

periali ulli bellum inferatur, aut quocunque modo vis adhibeatur doctrinæ aut religionis caussâ. Postea anno 1559 quum Ferdinandus jam Imperator esset, in comitiis Augustæ habitis renovata & confirmata est eadem hæc pacificatio, & factæ sunt exequiæ Carolo v, tantâ magnificentiâ, quantâ ante illud tempus in Germania nulli in κενοταφίῳ contigit. Et recitatur historia de legato Electoris Palatini, qui nomine sui principis astitit Missæ, quumque nollet figere osculum in patinam sacram oblatam à Cardinale Augustano, qui Missam celebrabat, Cardinalis iratus magnâ voce dixit: Si non vis benedictionem, habeas tibi maledictionem. Sed reliqui legati Sociorum Augustanæ confessionis non sunt ingressi templum.

Exequiæ Carolo v Imp. factæ.

Anabaptistarum Monasteriensium turba.

7. Præter Euangelicorum schismata Diabolus alia zizania disseminavit, Monasterii urbe Westphaliæ præcipuâ excitando furores Anabaptistarum anno 1534, ex quibus ducem & antesignanum sese obtulit Johannes à Leyden sartor Hollandus, qui rex Anabaptistarum salutatus est, sibique adjunxit regni socium Bernhardum Cnipperdollingum, quibus sese etiam aggregavit Bernhardus Rotmannus, qui Euangelium primus in illa urbe prædicaverat. Hi translato in sese magistratu templa evertunt, omnesque à se dissentientes profligant, communionem rerum introducunt, πολυγαμίαν statuunt, & oppugnatis vicinis urbibus regnum novum parant, & apostolos emittere per totum terrarum orbem cogitant. Hanc sectam refutant Lutherus & alii pii doctores. Sed furor usque adeò exarsit, ut non nisi politicâ vi compesci posset. Itaque obsidetur urbs ab Episcopo, & decernuntur ei ab ordinibus Rhenanæ provinciæ auxilia, posteaquam jam missis literis ut à proposito desisterent & sese dederent frustrà essent moniti. Quare anno 1535 die 24 Junii tempore nocturno urbs invaditur & occupatur, factionis principes candentibus forcipibus in foro necantur. Rex in editiorem locum productus alligatur palo, ut & ejus socii. Extincti caveis ferreis alligantur & ad summitatem turris in urbe exponuntur pensiles, & quidem rex medius, & quanta est hominis statura sublimiùs. Historiam hanc prolixiùs descriptam vide apud Sleidanum lib. 10. Ex hac Anabaptistarum fæce prodiit David Georgius, qui se pro Messia venditavit Basileæ anno

anno 1556, & immortalem sese esse mentitus fuerat, additâ pollicitatione se triennio post mortem revicturum. Sed tertio pòst anno ossa ejus effossa in cineres sunt redacta. Est igitur summè admirandum, esse in Batavia qui ejus libros exosculentur.

8. Selymo Turcarum regi defuncto successit filius Solymannus II, quartus Orientis Imperator, qui ab anno 1520 imperavit annos 46, & miris modis regnum suum amplificavit. Anno 21 Belgradum sive Albam Græcam firmissimum totius Ungariæ propugnaculum expugnatum occupavit. Rhodum insulam cepit, quum Rhodii Christianorum auxiliis destituti deditionem facere cogerentur. Hanc insulam fratres hospitalarii S. Johannis per annos 214 tenuerant, sed jam ejecti sedem quæsiverunt in Melita expulsis inde Saracenis. Ludovicum Ungariæ regem anno 26 in prælio fudit, Budam urbem regiam diripuit, & bibliothecam pernobilem Matthiæ regis incendit. Viennam oppugnavit, & Gunsium ter decies oppugnatum deditione cepit. Taurisium Persiæ urbem occupavit, indeque Mesopotamiam, Assyriam & Babyloniam Techmasis Persarum regis provincias suæ ditionis fecit, anno 35. Venetos pacem redimere 300000 coronatorum cum duobus oppidis in Macedoniæ finibus, coëgit. Budam, Pestum, Strigonium & Quinqueecclesias occupavit anno 40 attractus à Monacho Johannis Waywodæ tutore. Mustapham filium imperio destinavit. qui immaturâ regnandi cupiditate incensus Ægyptios & Persas contra patrem incitavit. quocirca strangulatus est à patre, qui per præconem jussit exclamari: Unus Deus in cœlo; Ergò & unus Solymannus in terra. Ingemuit tam horrendo fratris interitu minor natu filius, quam ob caussam hunc quoque crudelis pater necavit. Tertium, qui metu confugerat ad Persarum regem, retraxit & securi percussit. Reliquus erat unus Selymus, qui etiam minatus est nisi solus superesset.

9. Rex Poloniæ Sigismundus Albertum Marchionem Brandeburgensem, magistrum ordinis Teutonici in Borussia primum Borussiæ ducem hæreditarium creavit, anno 1525. Decessit ex hac vita anno 1548, eique successit filius Sigismundus Augustus, qui regnavit annos 24. Duas sorores Ferdinandi Romanorum regis filias, & inter has

mediamLithuanam exRadevilorum domo uxores duxit, Pacem quantum fieri potuit coluit tum domi tum cum vicinis suis. Bellum ipsi fuit cum Archiepiscopo Rigensi & Moscovitarum duce.

10. In Ungaria regnavit Ludovicus Vladislai filius, qui quum vix biennis esset coronatus est, & in regnum collocatus anno ætatis decimo. Uxorem habuit Mariam Caroli Imp. & Ferdinandi sororem, contraque Ferdinandus Ludovici sororem. Sub hoc Ludovico fata urgebant Ungariam propter varia vitia & Episcoporum inauditum fastum. Proceribus regni æmulatione & avaritiâ inter se certantibus amittebatur Alba Græca, Sclavonia, Croatia & Ungariæ pars magna. Anno 1526 Solymannus vi & impressione unâ Ungariam in suam potestatem redigere cogitabat, misso duce Balybejo, qui multa populabatur. Ludovicus auxilio ab imperio frustrà petito conscriptis ex Germania & Bohemia fermè 25000 virorum Turcis sese opponit. Præficit suis copiis Tomoræum Monachum Franciscanum & Archiepiscopum Colocensem, hominem vanum & imperitum. Ad pugnam exitur, rex in primam aciem collocatur, fit prælium atrox, Tomoræo contra omnium consilium suadente. Turcorum agminibus circumfunduntur Christiani,ut totus illorum equitatus primo conflictu conci-deretur,& ipseTomoræus periret, rex verò in amnem ignobilem incidens & in luto hærens miserrimè suffocaretur. Ludovico hoc modo extincto Ferdinandus Bohemiæ rex frater Caroli v Imp. regnum sibi deberi pacto contendebat, sed adversarium habuit Johannem Scepusium Transsylvaniæ Waywodam. Quo quidem ex dissidio bellum fuit exortum Germanis ac finitimis populis funestum. Johannes enim in Poloniam fugit, & suasu Hieronymi à Lasco tutelæ Solymanni sese commendat. Solymannus Johannem renunciat regem Ungariæ,eique Budam tradit tanquam beneficiario & clienti, quam ad mortem usque retinuit. Mortuus est Johannes anno 1540,relicto infante Johanne ex Isabella Sigismundi Poloniæ regis filia. Hunc infantem ut ad se in castra mittatur postulat Turca, quod ubi factum est, detinet Turca infantem principem donec Buda tradatur. Ita ergò urbe & arce potitur Turca. Mater verò cum filiolo suo à Turcis comitata in Transsylvaniam abit. Anno 1554 Joachimus

mus Brandeburgicus imperii nomine Pestum obsidet, in cujus castris Mauritius Saxoniæ dux sponte suâ militavit. Urbs semel oppugnata est, sed frustra, amissis fermè 400 hominibus, & quum lues pestilentialis quotidie multos absumeret, re infectâ discessum est. Rediit in Ungariam Solymannus anno 1543, & multa oppida ac castra occupat, quæ Ferdinandus anno 1549 duce Nicolao Comite à Salinis recuperavit. Graviter mulctavit Boëmos ob fedus cum Johanne Friderico Saxone contra Carolum Imp. ictum, & Pragensem Consulem securi percussit. Agriam arcem Ungariæ munitissimam sui juris fecit, & alia plura oppida duce Nicolao Comite à Salinis expugnavit. Anno 1553 Alybassa Zigetum obsidet, &, frustra pacem petente Ferdinando, oppugnat & capit, Christianis in arcem secedentibus, ubi ab hostibus circumfusi admirabili fortitudine illorum conatus infringunt, adeò ut Turcæ obsidionem solvere cogerentur. Deinde pax inter Turcam & Ferdinandum componitur, Transsylvania verò à Ferdinando anno 1558 deficit & gubernationi filii Johannis Waywodæ sese submittit.

11. De rebus gestis Francisci I Galliæ regis suprà dictum est. Ejus studium erga literas & literatos commendat Sleidanus lib. 19. fol. 573. Quum regnasset annos 32, obiit anno 1547, & successorem reliquit filium Henricum II annorum 28 juvenem, qui regnavit annos 12. Ejus inauguratio describitur à Sleidano lib. 19. fol. 588. Fedus cum ipso fecerunt Mauritius Saxoniæ Elector & Albertus Marchio Brandeburg. vindicandæ libertatis Germaniæ gratiâ. Mirum plerisque visum fuit regem in tanta Cæsaris fortuna ac splendore amicitiam ipsi renunciare. Sed rex, quòd Cæsar non posse diu vivere putaretur, magno rem animo fuit aggressus anno 1551. Contra fidem datam per Lotharingiam egressus Metim imperialem urbem occupat, anno 1552. Literas dedit ad Concilium Tridentinum, in quibus significavit, ob gravissimos bellorum motus sibi non esse integrum suæ ditionis Episcopos mittere; deinde se concilium hoc non habere pro publico seu generali, sed magis pro conventu quodam privato, qui non reipublicæ sed privatæ utilitatis caussâ sit institutus. Cum Carolo Imp. & Philippo ejus filio bellum gessit in annum usque 1559, quo compositum fuit & per matrimonium compositio illa confir-

mata. Nam Henricus rex sororem suam Elisabetham Philippo Hispaniarum regi uxorem dedit, ubi nuptiæ Henrico infaustæ celebratæ sunt. Quum enim Mongomerium licet renuentem ad hastiludium provocasset, hastæ fragmento per galeam in cranium adacto extinctus est.

12. Angliæ rex Henricus VIII in fidei pontificiæ assertionem anno 1521 librum edidit adversus Lutherum, & præcipuè impugnavit librum de captivitate Babylonica. Hunc librum quum Leo decimus Papa in Cardinalium suorum cœtu perlegisset, regem ipsum posterosque ad perpetuam hujus instituti memoriam fidei defensoris titulo insignivit. Deinde anno 24 Clemens VII Papa honoris caussâ regem Henricum aureâ rosâ donavit. Uxorem habebat hic Henricus VIII Catharinam Ferdinandi Hispaniæ regis filiam, Caroli V Cæsaris matarteram, cum qua annos ampliùs viginti in conjugio vixerat. Per hanc maxima rerum immutatio per Angliam facta est. ex quo videmus quàm graviter Deus incesta conjugia puniat. Res ita habet. Henricus VII Angliæ rex duos habuit filios, Arturum & Henricum. Arturus in matrimonium duxit hanc Catharinam, sed mortuus nullam reliquit sobolem. Henricus pater, cui necessitudo cum Hispanis admodum placuit, Julii II Pontificis permissu Catharinam alteri filio tradi curat, quem deinde regni successorem habuit. Henricus igitur ejus nominis VIII quum à morte parentis eam duxisset, post complures annos in regno jam satis confirmatus Episcopis aliquot animi sui scrupulum proponit, & in deliberationem adducit, an matrimonium cum fratris uxore sit legitimum, & multos menses à congressu uxoris abstinet. Clemens Papa consultus quo se vertat nescit. Interim rex missis internunciis per Galliam, Italiam & Germaniam Theologorum sententias exquirit. Cæterùm erat in gynæceo reginæ virgo quædam eximiâ pulchritudine, Anna Bolenia, quam rex adamare cœpit, nec obscurè significavit se illam sibi expetere conjugem. Repudiatâ igitur Catharinâ Annam ducit. Hoc divortium quum improbasset Pontifex, adversus eum summum odium concipit rex Henricus, & decretum facit suo Pontifici primatum per suum regnum abdicat, & se Ecclesiæ caput proximum à Christo pronunciat, tum etiam annuum nummum Pe-

tri

tri Romani Pontificis quæstori dari solitum detrahit. Qui contra secundas hasce nuptias locuti sunt, gravissimo periculo sese exposuerunt. Elisabetha Barthonia, monacha, de rege multa sinistrè vaticinata, cum aliquot sacrarum literarum professoribus Londini laquei supplicio necatur. Thomas Morus regni Cancellarius & Johannes Fischerus Roffensis Episcopus securi percutiuntur. Catharina repudiata non sine veneni suspicione moritur. Anno 1536 Anna Bolenia adulterii damnata unà cum Georgio fratre capite plectitur, & postride uxorem tertiam Johannam Semeriam ducit, quæ anno 1537 enixa filium Eduardum duodecimo pòst die moritur. Post hanc duxit quartam uxorem Annam Clivensium principis sororem anno 1539, quam post aliquot menses repudiavit, & Catharinam Havardam quinto matrimonio sibi jungit anno 1540, quæ biennio post adulterii cum Durantio & Culperio insimulata capite est plexa. Sexto matrimonio rex sibi copulat Catharinam Pariam. Hæc ἀταξία gravissimos in regno tumultus excitavit, qui tamen compositi sunt. Moritur rex Henricus anno 1547 ardentissimâ febri correptus, & successorem habuit Eduardum VI ex Johanna Semeria filium γαστρότμητον, qui anno 1548 religionem antiquam profligavit, missam abrogavit, & puram Euangelii doctrinam recepit. A teneris annis optimè formatus & institutus ad pietatem atque literas, non Latinam modò, sed Græcam & Gallicam quoque linguam noverat, & Euangelii doctrinam vehementer amabat, & doctis omnibus hospitium dabat, dignus certè, si Deo visum fuisset, longiore vitâ. Obiit anno 1553 adolescens 16 annorum non sine veneni suspicione. Sequutus est status tristissimus. Nam Eduardus phthisi invalescente solicitus de statu religionis post mortem noluit regnum deferri ad Mariam ex patre sororem, (erat hæc filia Henrici VIII ex Catharina prima conjuge) quòd esset pontificiæ religioni addicta. Ideoque communicato cum familiaribus consilio substituit Johannam Suffolcziam, Henrici regis proneptem è sorore, quæ extincto rege solenniter pronunciata est regina. Tulit hoc indignissimè populus & omnis nobilitas, non tam studio Mariæ quàm Northumbrii Ducis odio, cujus nurus erat Johanna. Quum igitur magnus esset populi ad Mariam confluxus, mutatur procerum voluntas,

& Maria eligitur regina, Johanna verò Suffoltzia custodiæ data capite plectitur. Cœpit igitur Maria regnare anno 1553, & regnavit annos 5, crudelissima in Euangelicæ doctrinæ professores. Nam pontificiam religionem restituit, unde exulum & martyrum magnæ catervæ extiterunt, quas suâ incitatione non parum auxit Polus Cardinalis ob eam caussam à Pontifice in Angliam missus. Hanc Mariam uxorem duxit Philippus Hispaniæ rex Caroli V Imp. filius, & unà cum regina etiam regno Angliæ invitis regni proceribus potitus est anno 1554. Soror verò Mariæ Elisabetha in custodiam est tradita, literis exculta puella, quòd anteactæ seditionis conscia putaretur. Hinc horrenda persequutio Euangelicorùm in Anglia exorta est, alii aliis suppliciis necati, in custodias nonnulli dati, quidam extincti. Multi relictâ patriâ in Germaniam se contulerunt. Obiit Maria anno 1558, quo eodem anno obierunt Carolus V Imp. & hujus soror Maria regina Ungariæ in Hispania. Reginaldus Polus Cardinalis è vita decessit horâ 16 post Mariæ Anglicanæ mortem. Successit in Anglia Elisabetha Mariæ soror ex Anna Bolenia nata patre Henrico VIII, virgo 25 annorum, quæ anno 1558 sapienter, feliciter & piè regnare cœpit & regnavit annos 45. Paulò ante mortem Jacobum VI Scotiæ regem successorem suum designavit anno 1603.

13. In Hispania Philippus Caroli V Imp. ex Isabella Emanuëlis Portugalliæ regis filia filius à patre adhuc vivo rex Hispaniæ declaratur anno Christi 1543, ætatis 16. Uxorem duxit Mariam Johannis Lusitaniæ regis filiam, ex qua anno 1545 suscepit filium Carolum, quem pater veneno sustulit anno 68. vide Bucholtz. Ingressus est Bruxellam urbem Brabantiæ à patre ex Hispaniis evocatus, & in ejus fidem adiguntur ditiones inferioris Germaniæ anno 1549. Uxorem deinde duxit Mariam Anglicanam, ut modò diximus. Gallos ad S. Quintinum in ipsis regni sui auspiciis ducum suorum virtute memorabili prælio superavit, anno 1557.

14. In Germania mira rusticorum seditio orta est. Nam anno 1524 mense Novembri cœperunt à suo domino Comite Lupfio Suevo diffidere homines rusticani propter onera quibus se nimiùm gravari querebantur; idem & alii deinde faciebant vicini in suum quisque magistra-

gistratum. Quamvis autem controversias aliquot tum dirimeret Imperii Senatus, hic tamen æstus non conquievit, sed in aciem prodierunt rustici, & quum nullas admittere vellent inducias, ad bellum res devenit, in quo rustici multa crudeliter egerunt, ac victi tandem scribuntur interiisse circiter 50000. vide Sleidanum sub finem libri 4. Longè autem sparsum est hoc incendium, ut in Thuringiam etiam & Franconiam penetrarit. Prodiit enim Thomas Munzerus Stolbergensis & concionator Alstetensis, qui multa de enthusiastico spiritu gloriabatur, & tam Lutheri quàm Pontificis Romani doctrinam rejiciebat, & hoc maximè urgebat, patefacere Deum per somnia voluntatem suam, & à Deo sibi mandatum esse dicebat, ut sublatis impiis principibus ac magistratibus novos constitueret. Quumque seditiosè concionari cœpisset, à FridericoSaxone ejectus fuit è finibus, & Mulhusium sese contulit Thuringiæ oppidum, ubi docendi munus est consequutus, anno 1525, & quia senatui minus erat acceptus, effecit ut tumultuante plebe novus ibi crearetur magistratus, & monachi ejicerentur. Agebat jam Munzerus & ecclesiasten & Senatorem, bonorum communionem præcipiebat, & quum jam per Sueviam atque Franconiam plebeii homines essent in armis & multa castella diripuissent, cœpit & ipse manum admoliri, & maximam hominum multitudinem ex agris ad se perduxit opinione prædæ ac melioris fortunæ. Socium nactus est hominem insignis audaciæ Pfiferum, qui moræ impatiens agrum Isfeldium & populabatur & profligatâ nobilitate magnam excitavit in vulgo alacritatem. Munzerus interim Mulhusio profectus cum 300 conjungit sese Francusianis. Dum hæc geruntur, Albertus Comes Mansfeldicus ad ducentos interficit, & vicini principes, ut Saxo, Landgravius & Brunswicensis equitatum conscribunt 1500, & peditatum non magnum. Pergit Munzerus suos hortari ad constantiam. Fit congressus, & tormentis primùm res agitur. Ibi verò miseri homines velut attoniti ac mente capti neque se defendebant neque fugâ salutem petebant, & cantabant hymnum ecclesiasticum: *Nuhn bitten wir den heiligen Geist.* Cæduntur rustici, & Munzerus capite plectitur, quod hastæ affixum mediis in campis collocatur. Plura vide apud Sleidanum sub initium libri 5. Ex hoc malo quasi sup-

pullulavit Monasteriensium Anabaptistarum motus, de quo suprà.

15. Ferdinandus Magellanus Lusitanus auspiciis Caroli Imp. ab Oriente versus Occidentem viâ compendiosâ in Insulas Moluccas navigaturus fretum quod de suo nomine Magellanicum appellavit mense Septembri anni 1520 Herculeo conatu aperuit, & eodem hoc anno Ferdinandus Cortesius urbem Mexico omnium Novi orbis urbium reginam occupavit, atque ita Novæ Hispaniæ imperium in Novo orbe fundavit, constituit & confirmavit.

16. Comitia quæ Carolus V Imp. in imperio habuit sunt, 1. Wormatiense anno 1521. 2. Spirense anno 1529. 3. Augustanum anno 1530. 4. Francofurtense anno 1539. 5. Haganoënse anno 1540. 6. Ratisbonense anno 1541. 7. Spirense anno 1544, &c. Inter hæc celeberrimum fuit Augustanum.

FERDINANDUS.

Ferdinandus filius fuit Philippi I Hispaniarum regis, frater germanus Caroli V Imp. Rex Ungariæ fuit declaratus apud Albam Græcam anno 1527 die 28 Novemb. quum ejusdem anni mense Febr. Pragæ coronatus esset rex Bohemiæ, & ipsi natus filius Maximilianus die 1 Augusti. Deinde anno 1530 mense Januario Coloniæ Romanorum rex est renunciatus. Imperii habenas cum consensu procerum Imperii accepit à fratre Carolo, & cœpit imperare anno 1558, imperavitque annos fermè 7. Imperium ut & regna æquitate, clementiâ, moderatione & consilio in pace commoda & tranquilla gubernavit. Quum in Comitiis Augustanis anno 1530 Wirtenbergicum ducatum à Suevico federe donatum accepisset, & dux Ulricus exul auxilio Philippi Hassiæ Landgravii ducatum illum armis occupasset, intercedentibus Saxoniæ ducibus Ferdinandus de jure suo concessit, & utile dominium Ulrico tribuit, sibi verò directum retinuit. Fidei semel datæ observantissimus fuit. Conventum ordinum Imperii habuit Augustæ anno 1559, ubi pax religionis sancita est, & Carolo V factæ sunt exequiæ. Deinde anno 1561 conventus celebratus est Naumburgi ad Salam in Thuringia, ubi principes Pontifici Romano invi-

vitanti eos ad Concilium Tridentinum responderunt, se quòd concilium non esset legitimum, venire non posse: sed coram Imperatore Ferdinando omnibus modis suam submissionem ac fidem literis contestati sunt. Paulò ante mortem accepit diploma Pontificum de potestate utriusque speciei in sacra cœna laïcis exhibendæ, quod Pius IV Pontifex ad Archiepiscopum Salisburgensem anno 64 miserat. Hinc summâ lætitiâ fuit affectus Imperator, & jussit sacram σινάξιν Viennæ ita administrari. Tabe catarrhali consumptus obiit Viennæ anno 1564, princeps doctus, literarum peritus, literatorum fautor, mitis, affabilis, temperans & pacificus, & Maximilianum filium designatum jam antè Imperatorem successorem in Imperio reliquit. Uxorem habuit Annam Ludovici regis Ungariæ filiam, ex qua suscepit tres filios, Maximilianum, Ferdinandum & Carolum, & plures filias. Uxor in partu filii anno 1547 extincta est.

Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Paulus IV & Pius IV. Paulus Ferdinandum electum Imperatorem confirmare noluit, quòd Augustanæ confessionis sociis & ecclesiis pacem concessisset. Pius IV ab anno Christi 1560 sedit annos 4, & quum Archiepiscopo Salisburgensi potestatem dedisset in Bavaria & Austria laïcis utramque speciem Eucharistiæ permittendi, certis tamen conditionibus, autor deinde fuit Hispanicæ inquisitionis per Belgium, ut Concilii Tridentini exsequutio fieret.

2. Concilium Tridentinum finitum est anno Christi 1563, à cujus prima sessione ad ultimam usque effluxerunt anni 18. Duravit tamen annos 5, nempe duos sub Paulo III, unum sub Julio III, & biennium sub Pio IV.

3. Colloquium Possiacum in Gallia jussu Caroli IX regis inter Euangelicos & Pontificios institutum est. Collocutores fuerunt Cardinalis Lotharingiæ & Theodorus Beza. Prolixè describitur à continuatore Sleidani in anno 1561. Fuit sermo de Ecclesia & Sacramentis. Inchoatum est die 9 Septemb. finitum die 25 Novembris anni ut suprà dictum.

4. In Polonia regnum tenet Sigismundus Augustus, cui dissensio intestina inter Ordinis magistrum & Archie-

piscopum Rigensem justa arma induit. Captum in arce Kockenhusia Archiepiscopum liberavit & in integrum restituit. Pacatâ hoc modo Livoniâ, aliud exoritur malum. Moscovitæ enim Livoniam ingressi Nervam & Derbatum occuparunt, horrendamque crudelitatem exercuerunt in omnes ætates & sexus sæviendo. Livoni in tantas angustias adducti opem à Sigismundo petunt & impetrant. Liberata est tandem Livonia & regi Poloniæ restituta.

5. Ungariæ & Bohemiæ rex declaratur Maximilianus Ferdinandi filius anno 1562.

6. Henrico II in Galliæ regno succedit filius Franciscus II, qui altero anno pòst, anno scilicet Christi 1560, ex cerebri apostemate mortuus est. Hoc regnante Euangelici per Galliam appellati fuerunt Hugonotti à S. Hugone, ad cujus portam apud Aurelianos primùm suam religionem exercuerunt; alii aliter hoc nomen interpretantur. Successit Francisco II frater Carolus IX anno ætatis undecimo, eique vicarius additur rex Navarræus, gubernatrix verò regni mater assignata est. Cœpit regnare anno 1561, & regnavit annos 13. Potestatem Euangelicis fecit extra mœnia urbium conveniendi suamque religionem exercendi, donec per regem aliud statueretur. Anno 1562 bellum civile ob religionem exarsit, ducibus Guisio & Condæo, quorum ille Pontificiam, hic Euangelicam doctrinam tuebatur. A Francisci Guisii partibus stetit Antonius Borbonius rex Navarræus, qui à reformatis ad Pontificios defectionem fecerat, & odisse cœperat fratrem Ludovicum Borbonium principem Condæum, reliquosque reformatos ipsi adhærentes, ut Casparum Colignium Amiralium & alios. In obsidione Rotomagensi rex Navarræus frater Condæi globo tormentario ictus occubuit mense Novemb. & postea mense Decemb. in prælio ad Druidem Normanniæ urbem Condæus equo collapso in potestatem Guisianorum venit. Deinde anno 1563 ipse Guisius dum Aurelias obsidet, à quodam Johanne Poltrotto tribus Sclopeti glandibus à tergo trajectus inter magnos cruciatus exspiravit. Poltrottus quatuor equis discerptus est.

7. Elisabetha Angliæ regina pontificiam religionem abolet & Euangelicam introducit anno Christi 1559, & in exilium propter Euangelium ejectis liberam ad suos redeun-

redeundi facultatem concedit. Hæc regina rebus Angliæ ita præfuit, ut Euangelium constanter defenderit, & regnum opibus, ipsum verò mundum rerum gestarum magnitudine compleverit.

8. Philippus II Hispaniæ rex Gandavi Margaretæ Parmensi universam administrationem totius Belgii committit anno 1559, indeque in Seelandiam descendit. Mense Septembri in Africani belli curam intentus quum facto naufragio ingentis precii supellectilem amisisset, & ipse vix incolumis evasisset, in Hispaniam reversus totum sese ad extirpandos Euangelicos convertit, & ex inquisitione horrendæ persequutionis autor extitit, in qua plurimi martyrium obierunt. vide Bucholtz. in anno 1559.


MAXIMILIANUS II.

Fuit filius Ferdinandi Imp. ex Anna sorore Ludovici Ungariæ regis, natus anno Christi 1527, quo eodem anno Carolo V Imp. patruo natus est filius Philippus II Hispaniæ rex. Renunciatus est Romanorum rex Francofurti anno 1562, & eodem anno rex Boëmiæ Pragæ coronatus est, postea anno 63 Ungariæ rex est declaratus. Cœpit imperare anno 1564, & imperavit annos 12. Princeps laudatissimus, pietatis, pacis & æquitatis studiosissimus, in cujus ore & pectore frequens fuit hoc symbolum: *Dominus providebit.* Propter religionem tot opinionibus ac sectis laceratam ac distractam ex animo dolebat, interim erga Euangelicos æquus, idque ob hanc rationem, quòd non solùm iniquum, sed etiam impium judicaret conscientiis imperare, quòd hoc nihil esset aliud quàm cœli arcem invadere. Et sanè ipso facto hoc comprobavit. Nam Passaviensem pacificationem tutatus est, & Austriacæ nobilitati Augustanæ confessionis doctrinam anno 1568 permisit. Injuriarum fuit obliviosus, ἀόργητος, adulationum & calumniarum impatiens, in cibo & potu temperatissimus, & à luxu in vestitu alienissimus. Duo ipsi fuerunt bella, alterum Ungaricum adversus Solymannum Turcam, in quo amisit Zigetum & Juliam; sed Jaurinum, Comota & Vesprinum è faucibus Solymanni erepta sunt. Alterum bellum fuit Gothanum, cujus hæc fuit occasio: Alberto

Brandeburgico superioribus annis Episcopis per Germaniam bellum facienti (ut videre est apud Sleidanum lib. 24 & 25.) militabat Gulielmus à Grumbach nobilis Franco, qui ob hanc caussam ab Episcopo Herbipolensi seu Wurtzburgico proscriptus bonisque suis spoliatus, quum necis in Melchiore occiso perpetratæ suspectus haberetur, nec summorum aliquot principum intercessione bona sua recuperare posset & jam diu vagabundus Germaniam perambulasset, de ultione in Herbipolensem Episcopum & totum clerum exercenda cogitare cœpit anno 1563, ut quod precibus non posset armis acquireret & obtineret. Itaque conscriptis aliquot millibus equitum & peditum summâ celeritate Wurtzburgum contendit, & noctu magno impetu in urbem irruit, civibusque sedatis clerum invadit. In hoc tumultu Episcopus Fridericus Wirsbergius ad Noricos confugit. Grumbachius verò multis comminationibus clericos eò adigit ut in omnia ejus postulata consentirent, & bona paterna ipsi restituerent, memoriam verò cædis in Zobelio commissæ prorsus abolerent, & si forsan Cæsarea Majestas hanc transactionem irritam esse velit, totus clerus coram Cæsare ipsum defenderet. Hisce ita peractis Grumbachius dimissis copiis in arcem suam Hallingensem se rursum contulit, in qua tamen solido ac diuturno gaudio fruisci non potuit. Nam Ferdinandus Imp. violentam hanc injuriam ad totum Imperium spectare ratus suam addidit autoritatem, nobilitate & clero Herbipolensi juramento solutis omnia acta rescidit, & Grumbachium cum omnibus suis complicibus proscribit, proscriptosque per imperium pronunciat. Proscriptum Grumbachium Johannes Fridericus Dux Saxoniæ, Johannis Friderici Electoris filius, in patrocinium ac tutelam suam recipit, eique inter consiliarios honestum locum tribuit, & consiliis Grumbachii inductus spem Electoralis dignitatis recuperandæ non levem concipit. Tenebat Johannes Fridericus ex paterna hæreditate Gotham & Turingiæ partem. Quum autem Maximilianus Imp. prima comitia celebraret Augustæ anno 1566, inter alia quæ ad Turcicum bellum spectabant, constitutum fuit, ut qui ob perpetratum non ita pridem Herbipoli facinus proscripti essent, ad meritum supplicium traherentur. Mandatur hoc negotium Augusto Electori Saxoniæ, qui anno

no 1567 copiis ad expugnandam Gotham eductis omnes Johannis Friderici ministros ac subditos fidelitatis juramento liberatos ad Cæsaream majestatem redire jussit, sed soli cives Gothani & arcis Grimmensteinianæ, quæ urbi erat contigua, præsidiarii spretis Augusti Electoris adhortationibus in officio sui principis constanter perseverarunt, idque in suum exitium. Arx enim tantâ vehementiâ ab Augusti milite concussa est, ut paucorum mensium intervallo tam urbis quàm arcis deditio fieret. Johannes Fridericus captivus ad Cæsarem Neostadium Austriæ est traductus, ibique in vincula conjectus, proscripti verò ad supplicium rapti & arx Grimmenstein solo æquâta. Atque hæc de bello Gothano. Prima Comitia Maximilianus habuit Augustæ anno 1566, in quibus ad bellum Turcicum gerendum ab ordinibus Imperii sumptus sunt decreti, & sic expeditio in Ungariam est suscepta. In his Comitiis Fridericus III Pius, Elector Palatinus inter proceres veritatis testimonium perhibuit in controverso articulo de S. Cœna, Bibliorum codicem in Senatum portante Johanne Casimiro filio. Altera comitia habuit Spiræ anno 1570, quorum acta breviter recenset continuator Sleidani lib. 10. Postremum conventum celebravit Ratisbonæ anno 1576, ubi inter præclaros conatus piè & beatè obiit 12 die Octobris, & successorem reliquit in Imperio filium Rodolphum II, qui ab anno Christi 1576 imperio præfuit per annos 36, nempe usque ad annum 1612. Uxorem habuit Maximilianus Mariam Caroli V Imp. filiam. Fuit ergo hæc Maria Cæsaris filia, nurus, uxor & mater. Filia Caroli V, nurus Ferdinandi, uxor Maximiliani, mater Rodolphi. Suscepit Maximilianus ex hac sua uxore quinque filios: Rodolpum Imper., Maximilianum Teutonici ordinis magistrum, Ernestum Ungariæ proregem, Matthiam Ungariæ & Bohemiæ regem, qui deinde Rodolpho in Imperio successit, & Albertum Belgii Proregem. Filias duas nuptum dedit duobus potentissimis regibus, Annam Philippo II regi Hispaniarum, Elisabetham verò Carolo IX Galliarum regi anno 1570.

Philip-



Synchronismus.

1. Romæ Pontifices fuerunt, Pius v & Gregorius XIII. Pius v ab anno Christi 1566 sedit annos 6. Fuit Dominicanus & Alexandrinus, Catechismum Romanum, Breviarium & Missale ex decreto Concilii Tridentini edidit. Gregorius XIII ab anno 1572 sedit annos 13, cujus amor & benevolentia in Germanos valde commendatur, quibus Romæ collegium magnis impensis paravit, & annuis proventibus ad 10000 coronatorum auxit. Autor est novi Calendarii, quod ab ipsius nomine Gregorianum dicitur & publicatum est anno 1582. In hoc Calendario decem dies inter diem 14 & 15 octobris ex veteri Calendario exemit, fieri sic posse existimans ut æquinoctia & solstitia ad eas sedes redeant quas tempore Niceni Concilii tenuerunt.

2. Solymannus II, quartus Imperator Orientis, moritur in castris ad Zigetum in Ungaria, quod licet fortissimè defenderetur à Nicolao Comite Serinio, tamen decimâ quartâ oppugnatione expugnatum est, ipso comite Serinio interempto, cujus caput à Turcis amputatum missum est ad Maximilianum Imp. Obiit Solymannus ante expugnationem Zigeti, & successorem habuit filium Selymum, qui imperare cœpit anno 1566, & imperavit annos 8. Venetis Cyprum eripuit anno 1571, captâ urbe Famagustâ, quæ olim Salamis est dicta. Marcus Anto-

Antonius Bragadinus urbis præfectus jussu Mustaphæ Bassæ per summum scelus violatâ fide vivus excoriatus est. Eodem hoc anno victus est Selymus à classe Hispanica & Veneta ad sinum Corinthiacum duce Johanne de Austria, ubi 13000 Christianorum captivorum liberata sunt. Obiit Selymus anno 1574, cui successit filius Amurathes III, homo mollis & voluptatibus deditus, qui imperium pro more gentis quinque fratrum cæde auspicatus est. Regnum Tunetanum cepit & Goletam solo æquavit, Hispanis spacio 36 dierum ex Africa ejectis. Cum Persis, quorum dux fuit Hodabendes, acre bellum gessit per duces suos. Imperavit annos 21.

3. Poloniæ rex Sigismundus Augustus quum à Moscovita nullas inducias impetraret, prælio cum eo decertat & virtute Nicolai Razivili ad Ulium oppidum Moscos profligat & Livoniâ ejicit. Hoc modo Livonia potestati Sigismundi regis Poloniæ sese subjecit. Fuit hic Sigismundus ultimus ex familia Jagellonica. Obiit anno 1572. Sequenti verò anno rex Poloniæ proclamatus est Henricus Valesius dux Andius seu Andegavensis, Caroli IX Galliarum regis frater, & Cracoviæ coronatus, sed post menses tres & dies 26 in Galliam à matre revocatus clam nocte intempestâ peregrino habitu duobus Gallis comitatus incitatissimo equorum cursu Cracoviâ evasit, & ex Polonia discedens ad Maximilianum Imp. Viennam, inde Venetias & tandem in Galliam redit, ubi rex designatus Carolo fratri mortuo successit. Poloni frustra repetentes suum regem ad alium eligendum accedunt, & alii quidem Maximilianum Imp. alii verò Stephanum Transsylvaniæ principem ex nobili Bathoreorum de Somlio familia Ungarica. Obtinuit Stephanus, qui cœpit regnare anno 1575, & regnavit annos 10. Commendantur ejus virtutes, sapientia, fortitudo, justitia & gravitas. Fuit Jesuitarum eximius fautor.

4. Ungariæ rex coronatus est Rodolphus Maximiliani Imp. filius primogenitus anno 1572 & anno 1576 mortuo patri in regno succedit.

5. In Gallia Ludovicus princeps Condæus captus contra fidem datam globulo ad occiput trajectus est à Montesquio Ducis Andegavensis excubitorum præfecto, qui ipsum à tergo adortus erat. Exorta est deinde anno 1572 Lutetiæ miserabilis & horrenda laniena per

occasio-

occasionem nuptiarum Henrici Borbonii regis Navarræi, & Margarethæ Valesiæ Caroli IX Galliarum regis sororis, in perniciem & cædem Euangelicorum institutarum. Vocatur ad has nuptias Amiralius Caspar Colignius Castilioni dominus cum genero & multis proceribus regni reformatam religionem profitentibus. Insidiæ parantur. Nam Amiralius quum nihil hostile metueret interdiu vulneratus noctu in lecto trucidatur cum suis, & multis vulneribus confectus per fenestram in vici pavimentum projicitur. Caput à trunco abscissum & aromatibus conditum Romam est missum ut Papæ & Cardinalibus ludibrio esset, reliquum corpus ad damnatorum furcas suspensum est. Duravit laniena hæc ad complures dies in urbe, sed primo triduo acerrima fuit, & supra 10000 hominum sustulit, unde copia sanguinis tanta emanavit, ut per urbem instar rivorum difflueret. Ad eundem modum sævitum est per omnes regni provincias & agros. Nec priùs furens turba conquievit quàm regis edicto coërceretur. Post obitum Caroli IX Galliarum regis anno 1574 è Polonia vocatus in regno succedit frater Henricus III Valesius, & anno 1575 mense Februario solenni pompâ Remis rex Galliæ coronatur & ungitur, deinde mense Martio matrimonio sibi jungit Claudiam Ludovicam Nicolai Comitis Vademontii Lotharingici filiam. Cœpit igitur hic Henricus regnare anno Christi 1574, & regnavit annos 15. Permisit reformatis libertatem exercitii religionis dummodò pacatè & modestè vivant, & à Lutetia aliquot milliaribus absint. Quum verò anno 1576 novum fedus pangeretur inter Condæum & Johannem Casimirum ducem Palatinum, & ad hos accederet Franciscus Alençonius Dux Andegavensis, regis Galliæ frater, factum est ut Henricus rex Navarræ postularet à rege liberum exercitium reformatæ religionis per universum regnum. Fit transactio ad votum Navarræi, in qua tamen una Lutetia excipitur; sed quum transactio hæc pontificiis esset permolesta, stabilis esse non potuit, sed πολεμοποιός potiùs extitit. Nam occasionem præbuit pontificiis novi federis (vocabant fedus sanctum) sanciendi, in quo devovebant se, uxores, liberos & facultates suas pro religionis Catholicæ defensione. Hæc res præbuit Euangelicis caussam, ut novas de injustis pontificiorum conatibus querelas ad regem

gem adferrent. Agunt igitur & laborant in hoc negotio Casimirus, Condæus & Wilhelmus Hassiæ Landgravius, rogantque ut rex pacificationem semel factam ne violet.

6. Philippus II Hispaniarum rex in mandatis dedit anno 1565 Margarethæ Austriacæ (quæ & Parmensis dicitur) Caroli V Imp. filiæ, Belgicarum provinciarum gubernatrici, ut in Belgium Tridentini Concilii exsequutionem & Hispanicam inquisitionem introduceret, quod mandatum Margaretha etiam publicavit. Fuit autem Hispanica inquisitio non examinatio doctrinæ, sed diligens observatio publicarum & privatarum rerum ac proditio, quâ etiam illi, qui neglectæ Romanæ religionis suspecti erant, ad carceres & supplicia rapiebantur. Receptum enim ab inquisitoribus fuit axioma: Cum hæreticis non esse disputandum. Non igitur doctorum virorum & informatorum, sed carnificum opera requirebatur. Quum autem immanis hæc crudelitas Belgis tanquam libero populo intolerabilis esset, conjuncti nobiles numero 400 libellum supplicem Margarethæ gubernatrici exhibuerunt anno 1566, mense Aprili, in quo Hispanicæ illius inquisitionis abolitionem petiverunt, unde dicti sunt Geusii ab adversariis, hoc est, mendici. Gubernatrix, missâ petitione hâc in Hispaniam ad regem Philippum, responsum accipit, quo omnes novas conciones aboleri jubebatur, unde tumultus Antwerpiæ excitatus est, in quo cum Pontificiis contra Calvinistas, quos vocant, sese conjunxerunt Lutherani, forsan propter statuarum è templis ejectionem paulò antè Antwerpiæ factam. Sed deinde Lutherani æquè ac Calvinistæ ejecti sunt. Fit inter reformatos confederatio, in qua libertatis & religionis defensio spectabatur, & dux constituitur Wilhelmus Nassovius, princeps Auriacus, qui Euangelicorum caussam antea pro virili promoverat. Hic quum intellexisset consilia agi de reformatis è toto Belgio exstirpandis, & Albani ducis adventum jam imminere, cui hæ partes essent demandatæ, in Germaniam ad suos fratres & propinquos concessit: donec, DEO placeret meliora regi Hispaniarum dictare consilia; relicto tamen filio Philippo Gulielmo undecim annorum juvene, quem studiorum caussâ Lovanium miserat. Cæterùm quum Ferdinandus Alvares de Toleto Dux Albæ anno

1567 mense Augusto Gubernator Belgii à Philippo II Hispaniæ rege constitutus cum exercitu veniret in Belgicum, multos nobiles, qui federi Geusiorum sese conjunxerant & Hispanicæ inquisitioni sese opposuerant, conjurationis nomine damnabat, & anno 1568 mense Junio Lamoralium Comitem Egmondanum Flandriæ & Artesiæ Gubernatorem victoriis aliquot de Gallo partis celebrem, ut & Philippum Mommorancium Comitem Hornanum Belgici maris præfectum Bruxellæ capitali pœnâ affecit; principis Auriaci filium contra privilegia Academiæ Lovaniensis per vim rapuit & in Hispaniam deportavit; patrem & multos alios proceres ac nobiles, qui ex Belgio excesserant, citatos ad certum diem quum non comparerent velut perduelles proscribebat & omnia illorum bona confiscari jubebat. Tot injuriis princeps Auriacus lacessitus, tandem legitimâ vocatione Hollandorum, qui summis precibus patrocinium ejus flagitabant, ad Belgicum bellum, cujus nondum est finis, pertractus est. Collecto igitur primùm exercitu ex eo milite, qui ducem Johannem Casimirum ex Gallia redeuntem comitabatur, primò fratrem Ludovicum Comitem in Frisiam præmittebat, qui etsi prope Groningam anno 1568 vicit Johannem Arenbergium Comitem Frisiæ Gubernatorem (in quo prælio occubuit frater Adolphus Comes Nassovius) jamque Groningam oppugnabat, tamen ab Albano inde profligatus est. Ipse verò princeps variam expertus fortunam & ab Albano pugnam recusante enervatus cum duobus fratribus Ludovico & Henrico Nassoviis in Galliam redibat. Hinc Albanus imflammatior factus Euangelicos per universum Belgium inquirebat, ita ut ubique horrenda interfectorum spectacula obversarentur, & quidem maximè Tornaci & Valencenis. Elatus itaque Albanus & jam securus, quasi nihil periculi esset reliquum, Trophæo in castro Antwerpiensi erecto anno 1569, gravissimas in Belgio instituit exactiones, quæ Belgas ab Albano abalienarunt, non solùm Geusios exules, sed plerosque etiam pontificios proceres. Hæc alienatio principi Auriaco & cæteris exulibus animum addidit, & quum barbaræ immanitatis in Albano nullus esset modus, maximè quam in Nardensis oppidi calamitate ostenderat, ubi Hispani certis conditionibus intromissi violatâ fide cives & horum

rum conjuges ac filias in templum convocaverant, & in conspectu maritorum ac parentum conjuges ac filias stupratas interfecerant, cives verò omnibus bonis spoliaverant, Hollandiæ civitates ad constantiam ne sese Albano dederent excitatæ sunt. Feliciorem hinc successum Deus auriaco largitus est, ut temporis successu Hispanos ex tota Hollandia, Zelandia, Frisia Occidentali, Episcopatu Ultrajectensi, maxima parte Geldriæ, Comitatu Zutphaniensi & Trans Isalana profligaverit. Porrò quum crudelia multa jam per sexennium in Belgas egisset Albanus, ut qui plusquam 18000 hominum, quod ipse gloriatus est, carnificis manibus contrucidandos permisit, vimque auri ingentem inde exportasset, anno 1573 cum filio Friderico in Hispaniam revertitur, eique in Belgicarum ditionum gubernatione succedit Ludovicus Requesenius Dux de Cæsa, magnus Castiliæ Commendator, qui anno 1574 Lugdunum Bataviæ urbem Harlemo vicinam munitionibus circumquaque erectis, & commeatus intromittendi facultate ademptâ, gravissimâ obsidione cinxit, & ad extremas angustias redactam famo fermè expugnasset, nisi Wilhelmus Princeps Auriacus, perfossis Mosæ & Isalæ fluminum molibus & agro inundato, classe ducentarum navium per novum quasi æquor remis & velis prosperoque vento actâ, Hispanos vi tormentorum è munitionibus suis expulisset, atque ita urbem aditu patefacto & commeatu introducto liberasset.

CHRONOLOGIÆ
HENRICI GUTBERLETH

Ab anno Christi 1574, in quo desinit, usque ad præsentem 1657, continuatio.

A.1574 ANno 1574, mense Maio, obit Carolus IX Galliæ rex, ætatis 24, regni 14. Ei successit Henricus frater, tunc regnans in Polonia, quò iverat Januario præcedente. Auditâ enim Caroli morte statim Poloniam deseruit, & in Galliam reversus est, ut regni habenas capesseret. Natus erat Septembri, 1551, & regnavit 15 annos, in perpetuis turbis, usque ad annum 1589. Poloni verò in ejus locum eligunt Stephanum Bathoræum, Transsylvaniæ principem, qui Maio, anni 1575, coronatur.

A.1575 Anno 1575, mense Februario, Academia Lugduni Batavorum ab Ordinibus Hollandiæ & Zelandiæ erigitur.

A.1576 Anno 1576, Mense Octobri, è vita excedit Maximilianus II Imperator; & successorem habet in imperio Rodolphum II, filium primogenitum, anno præcedente in Romanorum regem electum. Natus erat anno 1552, mense Junio, & imperium usque ad anni 1612 initium tenuit.

Ludovicus Requesenius Belgii gubernator moritur. Tunc Hispani milites, neminem habentes qui ipsos in officio contineret, passim tumultuantur, & quasdam urbes diripiunt. Istâ occasione Ordines Belgii Gandavum conveniunt, & ibi pacem his conditionibus firmant. 1. Ut nullius conscientiæ vis inferatur propter religionem. 2. Ut Hispani, & alii externi milites, communibus auxiliis è Belgio exturbentur.

A.1577 Anno 1577, Johannes de Austria, Caroli V Imperatoris nothus, Philippi II frater, ab ipso Belgii moderator constituitur; qui pacem Gandavensem juramento confirmat, & Hispanos milites, prout eâ cavebatur, dimittit. Sed paulò pòst eos revocat, & Belgii arces occupare nititur. Ideo Ordines se ad defensionem parant,

rant, & Matthiam Austriæ Archiducem, Rodolphi Imperatoris fratrem, accersunt, cui Belgii habenas regendas committunt.

Dissidium exoritur inter regem Poloniæ & Dantiscanos, à quibus rex dimidium portorii exigebat. Ideo ad cogendum ipsos urbem obsidet. Sed tandem Electoribus Saxoniæ & Brandeburgico intercedentibus pax fit.

Martinus Forbisserus Anglus navigationem versus Septemtrionem instituit, & multis difficultatibus superatis appellit ad quandam insulam, nivibus fere totam opertam, & à paucis barbaris habitatam, ubi ingentem auri copiam invenit, quam in Angliam secum reportavit.

Anno 1578, Bellum in Flandria & Brabantia incipit inter Ordines & Johannem Austriacum: qui mense Januario victoriam de illis obtinet, & aliquot urbes occupat. Sed non multò pòst peste in castris obit. Alexander Farnesius, dux Parmensis, muneri ejus succedit. A. 1578

Hujus anni mense Februario urbs Amsteldamum cum Principe Arausionensi, Belgii fœderati gubernatore & duce generali, paciscitur, & se reliquis Hollandiæ civitatibus adjungit.

Sebastianus Lusitaniæ rex in Africam cum ingenti classe trajicit, ut Muhamedem à patruo Abdemelecho pulsum in regnum restitueret. Sed in prælio cum Lusitanicæ nobilitatis flore cæsus fuit, & Muhamed in paludibus submersus. Abdemelech verò victoriâ potitus, durante prælio ex apoplexia interiit. Sebastiano successit avi frater, Henricus Cardinalis, jam natu grandior, & affectâ valetudine, qui annum unum & quinque menses regnavit.

Anno 1579, Alexander Parmensis Trajectum ad Mosam occupat: Princeps verò Arausionensis Amesfurtum, Groningam, & Zutphaniam. A. 1579

Coloniam Agrippinam conveniunt aliquot Imperatoris & Ordinum delegati, ut de pace inter Hispaniæ regem & Belgii Ordines sarcienda tractent. Sed ille conventus absque fructu dissolvitur.

Cùm provinciæ Belgii Gallicæ, Artesia, Hannonia, & aliæ quædam, ad regem Hispaniæ defecissent, arctiùs Ultrajecti fœdus initum est inter reliquas septem, ad se mutuis viribus contra Hispanorum oppressionem defendendum.

A.1580 Anno 1580, Henricus Lusitaniæ rex decedit, & de ejus hæreditate contendunt Antonius Sebastiani frater nothus, Catharina de Medicis, regis Galliæ mater, Ducissa Bragantiæ, dux Sabaudiæ, & Parmensis principis filius, unà cum Philippo II Hispaniæ rege. Sed Philippus competitores suos antevertens, Lusitaniam per Albanum ducem occupat, & Ulyssipone anno 1581, mense Aprili rex coronatur. Antonius præliis aliquot amissis, & à regni magnatibus desertus, ad regem Galliæ confugit.

Formula concordiæ inter Theologos Lutheranos hoc anno 1580 in lucem editur, quæ primò Lichtembergæ, anno 1576, Augusti Saxoniæ Electoris ductu adumbrata, postea Torgæ expolita, tandem anno 1577, Bergæ in Cœnobio prope Magdeburgum ultimam manum acceperat. Sed dissidia non sopivit, contrà potiùs auxit, Danis aliisque eam recipere nolentibus.

A.1581 Anno 1581, Sueci, duce Ponto de la Garde Gallo, initio Martii, mare Finnicum glacie concretum trajiciunt, & aliquot Livoniæ civitates Moscovitis eripiunt. Eodemque tempore Stephanus Poloniæ rex rigam Livoniæ metropolim occupat.

Matthias sponte deposito Belgii gubernaculo, cujus turbis componendis se imparem esse animadvertebat, in Germaniam redit.

Ordines Belgii Philippum Hispaniæ regem imperio abdicant, sigilla ejus frangunt, nova conficiunt, & subditos à fidelitatis juramento liberant. Et in Ducem Brabantiæ, Comitemque Flandriæ, &c. eligunt Franciscum Valesium Alensonium, regis Galliæ fratrem: eâ tamen lege ut princeps Arausionensis cum posteris Hollandiæ & Zelandiæ gubernator hæreditarius maneat.

A.1582 Anno 1582, facta est Calendarii reformatio Gregorii XIII auspiciis: in qua ex mense Octobri decem dies detracti fuerunt, adeò ut cùm numerandus esset quintus dies, numeraretur decimusquintus. Receperunt eam ubique Catholici Romani: sed Protestantes, qui Romani Pontificis Auctoritatem non agnoscunt, vetus Calendarium, exceptis paucis aliquot locis, retinere maluerunt.

A.1583 Anno 1583, Mahomet Cherei Tartarorum Cham, ab aulæ suæ gubernatore proditus, & à suis derelictus, in manus Turcarum incidit, qui ipsum unà cum duobus

ejus

ejus filiis strangularunt. Amurathes Turcarum Imperator in ejus locum substituit Issanem, occisi fratrem. Sed is postea à Sadit, filio Cherei, regno pulsus est.

Gebhardus Truchsesius, Archiepiscopus & Elector Coloniensis, uxorem duxit Agnetem Mansfeldicam, & religionem in sua Diœcesi reformare aggressus est. Sed repugnavit Capitulum, unà cum Papa, qui ipsum exauctoravit. Et ducis Parmensis viribus inde fuit ejectus, quamvis Johannes Casimirus Palatinus ad ejus auxilium cum exercitu accurrisset.

Dux Alensonius Ordinum & Principis Arausionensis auctoritatem deprimere, & suam augere volens, unâ die aliquot Belgii civitates occupavit. Sed Antwerpiâ repulsus est, ubi mille quingentos è suis amisit, qui à populo irritato occisi fuerunt; nec pauciores etiam capti. Ipse fugâ sibi consuluit, & in Galliam reversus est, ubi paucis mensibus pòst apud Castrum Theodorici vitam cum morte commutavit.

Anno 1584, Mense Julio, Gulielmus Arausionensis Princeps ictu sclopeti interemptus est Delfis, à quodam Burgundo, cui nomen erat Balthazar Gerardus, & ab Assonvillano, ducis Parmensis Consiliario, ut creditur, magnâ pecuniæ summâ ad istud scelus perpetrandum emptus erat. Sed paulò pòst id meritò gravi supplicio luit. Morte hujus Principis Ordinum fœderatorum res magnum detrimentum acceperunt. Ad quod aliquatenus sarciendum suffectus est in ejus locum Mauritius secundus filius, annos tunc octodecim natus. Nam Philippus primogenitus erat in Hispanorum potestate. A. 1584

Anno 1585, Ordines ad regem Galliæ legatos mittunt, qui imperium totius Belgii ipsi offerant. Et ab amplectendo non videbatur alienus, sed novos in regno suo motus oriri animadvertens, ausus non est, legatosque gratiis actis dimisit. A. 1585

Gregorius XIII obit 10 Aprilis: in cujus locum electus est Sixtus V, Cantaber, pauperrimis ortus parentibus. Antea vocabatur Felix de Monte alto. Is ut exsules qui Romaniam populabantur exterminaret, præmium ducentorum aureorum ei statuit qui alicujus caput ad S. Angeli pontem afferret, & ut exul qui alterum interemisset, parem quoque summam, unà cum admissorum venia, consequeretur.

Duce Alensonio mortuo, & Henrico rege nullam habente prolem, cùm regni Galliæ hæreditas, post ejus obitum, devolvi deberet ad Henricum Borbonium, Navarræ regem, qui Protestantium partes sequebatur, Principes Guisii, qui magnâ auctoritate jam dudum pollebant, sub prætextu religionis Catholico-Romanæ ab interitu præservandæ, fœdus cum aliquot Magnatibus ineunt, quod sanctam Ligam, & unionem vocant, quo se obligant ad omnes Hugonotos seu Protestantes delendos, & impediendum ne unquam Henricus Navarrenus regno potiretur. Eoque fine impetrant à novo Pontifice ut ipsum, simulque principem Condæum patruelem, tanquam hæreticos relapsos, anathemate feriat, & inhabiles ad coronæ successionem declaret, subditosque à juramento fidelitatis absolvat. Bullam Papæ quidam viri docti injustitiæ convicerunt, interque alios Franciscus Hotomannus, eximius Jurisconsultus, libello quem *Brutum Fulmen* inscripsit. Nec Parlamentum Parisiense, quamvis regi Navarræ infensum, eam promulgari sivit. Etsi autem rex Galliæ fœdus istud non probaret, à quo sibi ingens periculum imminere cernebat, ejus se tamen caput esse velle professus est. Itaque Edictum fecit, quod à mense Julio, in quo exiit, nomen sortitum est, quo omni Reformatæ religionis exercitio interdicebatur, Ministri ex regno statim exire jubebantur, reliquis subditis spatium sex mensium concedebatur (quod paulò pòst ad tres contractum est) ut religionem Pontificiam amplecterentur, aut extra regni fines migrarent. Unde factum est ut plurimi relictâ patriâ in Germaniam & Angliam exulatum proficiscerentur: reliqui verò qui loca munita tenebant, se ad pugnandum pro aris & focis compararent.

Mense Aprili ingens prælium, prope urbem Taurisium, commissum est inter Turcas & Persas, per tres continuas dies & noctes, in quo Persæ victoriam reportarunt, & Turcarum octuaginta millia ceciderunt.

Fuit etiam asperum bellum inter Turcas & Christianos Maronitos, montis Libani accolas: in quo Maronitæ infelicibus aliquot conflictibus attriti, tandem jugum Turcarum subire coacti sunt.

Angli insulam in India Occidentali detexerunt, quam Virginiam, in honorem reginæ suæ virginis, nominarunt,

runt, & coloniis suis repleverunt. Franciscus etiam Dracus cum magna ex Hispanis præda in patriam est reversus.

Mense Augusto Antverpia fame pressa principi Parmensi se dedidit. In ea tunc Consul erat Philippus Marnixius, S. Aldegondæ Toparcha, vir doctrinâ celebris, & religionis reformatæ cumprimis studiosus.

Ordines Elizabethæ Anglorum reginæ offerunt imperium Belgii supremum, quod rex Galliæ repudiaverat. Sed neque illa satis animi habuit ad tantum onus in se suscipiendum. Interim auxilia ipsis mittit. Et in pecuniæ quâ illos juvabat securitatem oppigneratæ sunt ei urbes Flessinga & Briela, & arx Rammekens: quas Angli tenuerunt usque dum summa mutuò accepta illis refunderetur. Robertus Dudleius, Lycestriæ Comes, præfectus est à Regina copiis auxiliaribus Anglorum quæ Ordinibus militabant. Ordines verò majori adhuc potestate eum donant, gubernatorem provinciarum unitarum constituentes: cujus tamen facti non diu pòst ipsos pœnitet.

Anno 1586, mense Martio, habitum fuit Montisbelgardi Colloquium inter Jacobum Andreæ Theologum Lutheranum, & Theodorum Bezam reformatum; in quo de prædestinatione, omnipræsentia corporis Christi, aliisque inter istas partes controversis capitibus, disputatum est. Sed exasperavit dissidia, ad quæ sopienda convocatum erat. Ejus Acta publicè exstant. A. 1586

Consensus Ecclesiarum Protestantium majoris & minoris Poloniæ, magnique ducatus Lithuaniæ, &c. primò Sendomiriæ, in Synodo generali, anno 1570 sancitus, postea 1583 confirmatus, hoc demum anno ex Synodi decreto in publicum typis est editus.

Augustus Saxoniæ Elector, annos 60 natus, duxit in uxorem Agnetem Hedwigem, Joachimi Ernesti principis Anhaltini filiam, 13 annorum, cum qua non integras sex hebdomades vixit: & rogatu soceri Casparem Peucerum, Melanchthonis generum, excellentem Medicum, carcere, in quo decèm annos propter controversiam Eucharisticam detentus fuerat, liberavit.

Convenerunt mense Julio Luneburgum Fridericus rex Daniæ, Christianus Elector Saxoniæ, Johannes Georgius Elector Brandeburgensis, Johannnes Fridericus ad-

ministrator Archiepiscopatus Magdeburgensis, & Johannes Casimirus Palatinus, unà cum legatis Elizabethæ Angliæ reginæ, & Jacobi Scotorum regis, ducumque Saxoniæ & Pomeraniæ, item Henrici regis Navarræ, ad deliberandum de auxilio ipsi Navarræ regi & Protestantibus Galliæ mittendo.

Papa ingentem obeliscum, olim imperante Augusto Romam ex Ægypto advectum, 107 pedes altum, 956 146 pondo gravem erexit: eam in rem 8000 ducatos impendens.

Comes Lycestrius potestate sibi à Belgii Ordinibus datâ non contentus, & supremam omnia pro arbitrio gerendi usurpare volens, in illorum odium incurrit; qui de ipso apud Elizabetham conqueruntur, & tandem obtinent ut revocetur.

Detecta fuit aliquot Anglorum nobilium & Jesuitarum adversus Elizabetham conspiratio; quâ ipsam occidere, & Mariam Scotiæ reginam, tunc captivam, in ejus locum surrogare, Pontificiamque in Anglia religionem restituere proposuerant. Supplicium de illis Septembri est sumptum.

Hoc anno Turcia, Hungaria, Austria gravi peste afflictæ fuerunt, & Hungaria, Italia, Lotharingia, Belgium, aliæque vicinæ regiones, etiam fame.

A. 1587 Anno 1587, sub Augusti initium, in Galliam, Fabiano Barone Donavio duce, ingressus est magnus Germanorum exercitus, constans quinque mille equitibus, totidemque peditibus, atque Helvetiis duodecim mille & quingentis: quibus obviam processerant 400 equites & 800 sclopetarii Galli, quos Dux Bullionæus ducebat, ad suppetias regi Navarræ & Protestantibus ferendum. Sed irrito conatu. Quamvis enim jam Sequanam & aliquot alios Galliæ fluvios trajecissent, non potuerunt tamen Ligerim, ut se cum regis Navarræ copiis conjungerent. Helvetiorum enim pars ad regem defecit; reliqui acceptâ ab eo pecuniâ in patriam remearunt. Donavii equitatus Alneti in Carnutibus à Duce Guisio cæsus est; & qui ex illa clade superstites fuerunt, impetrato à rege salvo conductu, in Germaniam circa anni finem reversi sunt.

Mense Octobri Dux Joyeusius ad Curtrasium in Aquitania cum rege Navarræ prælio conflixit; ubi rex, quantumvis numero militum longè inferior, victoriam re-

reportavit; & ipse Joyeusius cum fratre, plurimisque magnatibus, occubuit.

Maria Stuart, Scotiæ regina, Jacobi postea magnæ Britanniæ regis mater, quæ ante octodecim annos, domesticis subditorum seditionibus vexata, in Angliam Elizabethæ opem imploratura confugerat, & contra expectationem captiva illic detenta, mense Februario in arce Fodringam, ubi asservabatur, jussu Elizabethæ securi percussa est. Prætextus erat quòd conjurationis nuper detectæ conscia fuisset. Nec adeo mirum foret, si tam diuturnæ captivitatis pertæsa, consilia eorum non improbasset qui per reginæ cædem ipsam in libertatem asserere proponebant. Sed vera causa fuit, quòd Angliæ proceres metuerent, ne illa ad regnum evecta, cujus proxima hæres erat, statum religionis mutaret. Ideò auctores Elizabethæ fuerunt, primò ut in custodia ipsam haberet; deinde ut è vita tolleret.

Novembri, Sigismundus regis Sueciæ filius, à Polonis in regem admittitur, in locum Stephani Bathoræi, qui præcedente Decembri interierat.

Anno 1588, ipso die Paschatis magna seditio Con- A. 1588
stantinopoli excitata est à Janitzariis & Spahis, quòd stipendia ex moneta adulterata ipsis essent persoluta. Ad quam sedandam Amurathes coactus fuit Bassam Græciæ, & magnum ærarii præfectum, ipsorum arbitrio permittere, qui eos capite truncarunt. Sed in ista satisfactione non acquiescentes, Judæorum domos expilarunt, & ignem iis subjecerunt, quo duodecim circiter millia illarum, unà cum septem templis, & vigintiquinque Xenodochiis absumpta fuerunt, & magna urbis pars miserè deformata.

Mense Maio Dux Guisius Lutetiam veniens, populum in regem excitavit, ut ipsum in arce Lupara obsideret. Sed rex fugâ saluti suæ consuluit, & Carnutum venit. Unde Ordines regni Blesas in Octobrem sequentem convocat. Quò cum accessisset Guisius, cum fratre Cardinali, & aliis factionis henoticæ capitibus, Rex utrumque Guisium à satellitibus suis in arce Blesensi jussit confodi. Alios carceri inclusit. Sic Ligam dissipatum iri confidens. Sed contrarium evenit. Præcipuæ enim Galliæ civitates, ut Lutetia, Aurelia, Lugdunum, inde adversus regem rebellandi occasionem arripuerunt.

Ipſa Sorbonæ ſchola Gallos non ampliùs ad Henrico Valeſio parendum obligari, & adverſus ipſum, tanquam tyrannum, arma legitimè capi poſſe, decreto ſuo declaravit.

Maio etiam Ulyſſipone ſolvit ingens regis Hiſpaniæ claſſis, quam vulgò invincibilem vocabant, toto triennio apparata. Conſtabat 134 militaribus navibus, quæ circiter viginti quinque mille armatos, & decem mille nautas, unà cum bis mille tormentis majoribus, vehebant. Cui altera ex Belgio, cùm illuc acceſſiſſet, adjungere ſe debebat. Et circa finem Julii in Angliæ conſpectum venit, per fretum Caletenſe Dunkerkam verſus tendens, ubi Dux Parmenſis exercitum triginta quinque millium habebat. Sed Hollandorum & Zelandorum claſſis impediit ne illæ duæ conjungere ſe poſſent. Et Hiſpanica ab Anglis, duce Franciſco Draco ita fortiter fuit impugnata, prætereaque maris tempeſtatibus quaſſata, ut nihil efficeret, nec plures quàm quinquaginta tres naves, & quidem valde laceræ, ex ea in Hiſpaniam redirent. Multi ex magnatibus illic occiſi ſunt, & multi capti. Scopus erat primò Angliam invadere, & deinde in Galliam vires ſuas convertere: quibus potiti, facilem ſibi de Belgio victoriam pollicebantur.

A. 1589 Anno 1589, Menſe Januario, in arce Bleſenſi obiit Catharina Medicæa Henrici II uxor, Franciſci II, Caroli IX, & Henrici III mater.

Rex Lutetiam cum quadraginta armatorum millibus obſidet, ut eam ad obſequium cogat. Et caſtra ad S. Clodoaldum, altero ab urbe lapide, metatur. Quò acceſſit quidam Dominicanæ familiæ monachus, nomine Jacobus Clemens, & ad regem admiſſus eſt, ſub prætextu literas ipſi à primo Parlamenti præſide reddendi. Sed dum rex eas legebat, cultro ipſum in imo ventre vulnerat; & ex vulnere poſtero die mors ſequitur. Interea accerſitis magnatibus, qui in exercitu ſuo erant, Henricum Navarrenum, qui nuper ad ejus auxilium accurrerat, legitimum regni hæredem declarat; (is à Roberto Comite Claromontano, Ludovici IX ſecundo filio, originem trahebat;) ipſoſque hortatur ut ei, quamvis ab Eccleſiæ Romanæ ſacris alieno, pareant, donec controverſiæ religionis in aliqua ſive generali, ſive nationali Synodo, diremtæ fuerint.

Liga

Liga Cardinalem Borbonium, senem decrepitum, & à Comitiis Blesensibus in custodia detentum, proclamat regem, & Carolum x vocat. Duci enim Mayennio Ligæ post obitum Guisii fratris capiti, nondum oportunum videbatur regis titulum sibi assumere, quamvis nihil magis in votis haberet quàm regno potiri. Sed Cardinalis, quòd esset captivus, nullam regis functionem exercere potuit. Tantùm sub ejus nomine cusa est aliqua aurea & argentea moneta. Et biennio pòst è vita discessit.

Anno 1590, mense Martio, rex Henricus IV insignem de Ligistis prope vicum Yvri victoriam reportat. A.1590 Postea Lutetiam obsidione cingit, quæ extremam incolis famem affert; unde tredecim circiter hominum millia periisse feruntur. Sed accedente ad urbis auxilium Duce Parmensi, Rex ei procedit obviam, ut cum ipso confligar. Dux verò contentus Lutetiam obsidione liberasse prælium detrectat, & in Belgium cum suis copiis revertitur.

Arx Bredana à Carolo Heraugerio, in nave cujus suprema contignatio cespitibus onusta erat, cum septuaginta militibus absconso, Martii 3 occupatur, & urbs sequenti die Comiti Mauritio se dedit.

Sixto V, Augusti 17 defuncto, succedit, Septembris 5, Urbanus VII, qui ejusdem mensis die 15 moritur. Et Novembris 25 eligitur Gregorius XIV, qui vix annum sedet.

In Austria & Moravia fuit ingens terræ motus, quo multa ædificia Viennæ labefactata sunt.

Mense Julio & Augusto inusitati calores fuerunt passim, quibus pascua penitus arefacta sunt.

Anno 1591, Gregorius XIV, regem Henricum IV, jam A.1591 à Sixto V excommunicatum, secundò anathemate percutit. Sed Parlamentum Parisiense, partim Turones, partim Catalaunum translatum, Bullam excommunicationis rejicit, & per carnificem publicè comburi jubet.

Gregorius XIV, Octobris 5 ad plures abit, & successorem habet, ejusdem mensis die 19, Innocentium IX, qui Decembris 19 vitâ excedit.

Anno 1592, die Januarii 20, Clemens VIII eligitur. A.1592 Is erat patritius Florentinus, & Hippolytus Aldobrandinus appellabatur.

Joannes Sueciæ rex Novembris 17 moritur, cùm annis

nis 24 regnasset. Succedit ipsi filius unicus Sigismundus Poloniæ rex; qui sequente anno, Februarii 14, inauguratur, postquam ad privilegia regni conservandum, & solam Augustanæ confessionis religionem tolerandum, juramento se obligasset.

A.1593 Anno 1593, Julii 25, Henricus IV Protestantium religionem in fano S. Dionysii prope Lutetiam abjuravit, & se inposterum Catholicæ Romanæ adhæsurum spopondit. Quo facto absolutionem ab Archiepiscopo Biturigensi accepit, & Februario anni sequentis Autrici Carnutum, (quia Remos, ubi reges ungi solent, Ligistæ tenebant) oleo sacro inunctus est. Mittit deinde legatos ad Clementem VIII, qui de conversione sua eum certiorem faciant. Illorum princeps erat Dux Nivernensis. Sed Pontifex non nisi post longas moras, anno 1595, regem in suam communionem recipit, cùm omnia ei prosperè succedere, & præcipuas Galliæ urbes, desertâ Ligâ, ipsum pro legitimo suo rege agnoscere videret.

A.1594 Anno 1594, Januario, Lugdunum se regi dedidit; & mense Martio Lutetiam cum suis copiis clam intromittitur, unde Hispanorum præsidium nullo negotio pellit, aliasque multas civitates brevi tempore occupat. Imò etiam Guisius ipse, occisi Blesis filius, pacem cum rege facit, & urbem Remos, quam detinebat, ei reddit.

Sed mense Decembri cùm Henricus in arce regia Lutetiæ esset, cultro in ore percussus fuit à Joanne Castello, juvene novemdecim circiter annos nato, Jesuitarum discipulo. Quod occasionem dedit sectam Jesuiticam ex toto Galliæ regno proscribendi. Novem tamen annis pòst iterum est admissa.

Hoc etiam anno Ordines Belgii fœderati naves aliquas miserunt ad explorandum viam per Septentrionem in Chinam & Indias Orientales. Sed à glacie impeditæ sunt ne susceptum iter perficerent. Idemque rursus tentatum biennio pòst, sed non feliciori successu. Pervenerunt ad novam Zemblam, & 80 graduum altitudinem.

A. 1595 Anno 1595; mense Januario, moritur Amurathes Turcarum Imperator; & ei succedit Muhamed III, qui statim initio regiminis octodecim suos fratres strangulari jubet.

Henricus IV videns Philippum II, Hispaniæ regem, Ligistas adversus se pecuniâ & milite adjuvare, bellum ipsi

Ipsi mense Januario denunciat; quod imitatur Philippus Martio sequenti.

Dux Mayennius, Ligæ altera post Guisium spes, cladibus aliquot acceptis se tandem Regi submittit, & Augustam Suessionum, unà cum aliis quibusdam oppidis, ei tradit. Dux quoque Nemorosius cum rege reconciliatur; & ita paulatim ferè omnes qui desciverant, ad officium redeunt.

Anno 1596, Albertus Cardinalis, Austriæ Archidux, Imperatoris frater, ab Hispaniarum rege Belgii gubernator constituitur, & Bruxellas Februario venit. Aprili sequenti Caletes occupat, quam Galli triginta octo annis antè ex Anglorum manibus recuperaverant. A.1596

Mense Junio solvit ex Anglia sub Comite Essexio, & Carolo Hawardo thalassiarcha, classis 140 navium, ab Elizabetha ad novæ armaturæ, quæ in Hispania fiebat, apparatus dissipandos missa; & eodem mense omnes quæ in Gadium sinu stabant naves cepit, aut incendit, aut submersit; ipsamque urbem Gades occupavit. Ubi incredibilem jacturam fecerunt Hispani, interque alia mille ducentorum tormentorum bellicorum, & armorum sex mille viris armandis sufficientium. In ista classe erant vigintiquatuor naves ob Ordinibus fœderatis instructæ. Quæ omnes ingenti prædâ onustæ domum Augusto mense remearunt.

Anno 1597, mense Martio, Ambianum metropolis Picardiæ, stratagemate ab Hispanis capta fuit. Quo audito Henricus rex statim illuc accurrit, & cum maximis quas colligere potuit copiis obsidet. Albertus contrà, ad opem suis ferendam exercitum quindecim mille peditum, & trium mille equitum adducit. Sed impedire nequit quominus tandem Septembri mense in regis Galliæ potestatem redeat. A.1597

Carolus Sigismundi Poloniæ & Sueciæ regis patruus, comitia regni Sueciæ, quamvis id rex disertè prohiberet, convocat, titulumque gubernatoris assumit, præcipuasque regni munitiones occupat. In illis comitiis regnum Sigismundo, ob non servatum quod præstiterat juramentum, abrogatur.

Anno 1598, Sigismundus in Sueciam cum egregia classe, & decem armatorum millibus, ingreditur. Sed Carolus primùm mari, deinde etiam terrâ eum profligat, A.1598

& ca-

& captivum abducit. Ille igitur promittit se fa[illegible] quicquid regni Succiæ Ordinibus visum fuerit. Se[illegible] terea dum convocantur, è custodia elabitur, Carolo[illegible] occasionem statum suum firmandi oportunam relinq[illegible]

Henricus IV mense Maio pacem apud Vervinos fa[illegible] cum Philippo II, propemodum secundum formula[illegible] pacis anno 1559 Cameraci initæ, & eâ lege ùt Calet[illegible] Ardrea, Dorlanum, & quædam aliæ urbes, Galliæ resti-tuantur.

Philippus II filiam suam Isabellam Claram Eugeniam Alberto Austriaco conjugem destinat, & ipsis loco dotis provincias Belgii assignat; quæ Albertum pro Domino agnoscunt, & juramentum fidelitatis ei præstant. Interea Philippus II mense Septembri, fato fungitur, & Philippus III filius ei succedit. Albertus Cardinalitio habitu deposito proficiscitur in Hispaniam cum Margareta Austriaca, quam Philippus III in uxorem ducit, sicut Albertus Isabellam. Nuptiæ utræque uno eodemque die celebrantur.

Mercatores Hollandi & Zelandi navigationes versus Indiam Orientalem & Occidentalem instituunt; & per regis Galliæ intercessionem obtinent à Turca, ut liceat ipsis in Græcia, Syria; Constantinopoli, Alexandria, & aliis suæ ditionis locis negotiari, modò sub regis Galliæ vexillo navigent.

Theodorus magnus Moscoviæ dux obit mense Januario, annos natus 36. Cui succedit Borisius Phedorowits ejus affinis.

A.1599 Anno 1599, Henricus IV Galliæ rex, bellis externis & civilibus compositis, Edictum promulgat pro libertate religionis; in quo Protestantibus certa quædam loca attribuit, ubi suæ religionis exercitia obire liceat, & eos omnium regni officiorum & dignitatum capaces esse pronunciat.

1600 Anno 1600 toto, Clemens VIII magnâ pompâ Romæ Jubilæum celebrat, ad quod innumerabilis hominum multitudo, spe veniam peccatorum obtinendi, ex omnibus Europæ partibus confluit.

Tycho Brahè, nobilis Danus, Astronomiæ instaurator, obit.

Henricus IV expeditionem suscipit in Sabaudiam, ad Salussiensem Marchionatum Galliæ à Sabaudo ereptum tem-

tempore Ligæ recuperandum. Bellum transactione finitur, & rex pro Salussiis Sebusianorum provinciam, quam nunc Bressiam vocamus, accipit.

Henricus matrimonium contrahit cum Maria de Medicis Florentina, ex qua plures liberos, mares & fœminas suscepit; & inter alios Ludovicum XIII, sequenti anno, in Septembri natum.

Mense Julio, exercitus Ordinum fœderatorum, duce Mauritio, ad Neoportum cum Alberto Archiduce confligit. Ubi post acrem & ancipitem pugnam Comes Mauritius victoriâ tandem potitur. Ceciderunt Hispanorum septem millia & ampliùs, plurimique capti fuerunt, inter quos erat Admiralius Arragoniæ; ad cujus redemptionem liberati sunt omnes fœderatorum subditi, qui in Hispania aut in Belgio captivi detinebantur. Ex parte Ordinum desiderata sunt tria circiter hominum millia.

Anno 1601, Albertus Ostendam in Flandria obsidet, eamque Ambrosii Spinolæ industriâ, post trium annorum & quatuor mensium obsidionem capit. Illic utrimque plurima hominum millia cæsa sunt, & immensi sumptus facti. A.1601

Comes Essexiæ, qui antè plurimum apud reginam Elizabetham gratiâ valuerat, rebellionis accusatus capite plectitur.

Montojus Hiberniæ prorex Tyronem, rebellium in ista Insula caput, prælio superat, & Hispanos, qui ad eorum auxilium venerant, delet.

Nicolaus Crellius, Electoratus Saxonici Cancellarius, post decem annorum carcerem Dresdæ mense Octobri truncatur capite, quòd Calvinismum in Saxoniam introducere molitus esset. Cùm enim Christianus Saxoniæ Elector librum Concordiæ à patre suo Augusto introductum proscripsisset, eo mortuo inquisitum est in illos qui ipsi id faciendi auctôres fuerant, & culpa præcipuè conjecta in Nic. Crellium, cum Urbano Pierio Theologo, qui etiam in vincula conjectus fuit, sed postmodum liberatus.

In Helvetia & vicinis locis fuit ingens Septembri terræ motus.

Princeps Mauritius Rhenobergam Julio in deditionem accipit; quæ rursus occupata est à Spinola, anno 1606, Octobri.

Anno

A.1602 Anno 1602, Dux Bironius, Franciæ Mareſcallus, conjurationis in regis vitam & regnum convictus, caput amittit Lutetiæ, menſe Julio.

Dux Sabaudiæ omnibus ſubditis ſuis reformatam religionem profitentibus edicit ut Catholico-Romanæ adhæreant; aut, ſi nolint, ſolum vertant.

Idem Genevam per Albinium ſcalis brumali nocte admotis capere molitur; ſed ſucceſſu irrito. Quamvis enim jam circiter ducenti in urbem eſſent ingreſſi, antequàm oppidani è ſomno expergiſcerentur, illis tamen accurrentibus, & fortiter pro ſua ſuorumque vita & fortunis pugnantibus, repulſi fuerunt.

Erecta fuit in Fœderato Belgio Societas Indiæ Orientalis, cui Ordines Generales privilegio ſuo conceſſerunt, ut ſola ad annos viginti & unum in illis oris negotiari poſſet. Summa pecuniæ à mercatoribus iſtum in finem collatæ fuit florenorum, ſeu librarum Turonicarum 660000.

A.1603 Anno 1603, menſe Martio, obiit Elizabetha Angliæ regina, ſeptuaginta annos, & aliquot menſes, nata. Cui ſucceſſit Jacobus Scotiæ rex, Julio coronatus. Is tria regna, Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ in unum conjungens, ſe magnæ Britanniæ regem nuncupavit.

Muhamedes III, Turcarum Imperator, Conſtantinopoli moritur Decembri; ſucceſſoremque habet filium Achmetem, annorum quindecim adoleſcentem. Majorem natu Muhamedem pater ipſe ſtrangulari antea juſſerat.

A.1604 Anno 1604, menſe Auguſto, Comes Mauritius Sluſam Flandriæ civitatem, poſt tredecim hebdomadum obſidionem occupavit. Et ſic compenſata eſt Oſtendæ amiſſio, quæ paulò poſt Hiſpanis ſe dedere coacta fuit.

Jacobus Angliæ rex, Edicto Februarii 22 promulgato, Jeſuitas & alios Sacerdotes Pontificios, regno ſuo ante Martii 19 excedere jubet. Contrà Jeſuitæ, Henrico IV Pontificis Romani operâ reconciliati, in Galliam, unde ante novennium proſcripti fuerant, revertuntur.

Pax in Anglia conciliatur inter Jacobum Angliæ regem, ab una parte; & Philippum III Hiſpaniarum regem, atque Albertum Archiducem, ab altera.

Ordines Sueciæ aregnum Carolo, quem elegerant anno 1601, & liberis ejus in perpetuum, abdicato prorſus Sigiſmundo, confirmant

Anno

Anno 1605, Martii 3 die, moritur Clemens VIII, postquam sedem Pontificiam tredecim annos occupasset. In cujus locum electus est Alexander Medicæus, qui Leo XI vocari voluit. Sed is dies tantùm vigintisex regnavit, veneno, ut creditur, extinctus. Successit ei Borgesius Cardinalis, Paulus V nominatus. A.1605

Mauritius Hassiæ Lantgravius Marpurgo, quæ sibi hæreditate obvenerat, Lutheranos Theologos pellit, & Reformatos introducit: unde seditio exoritur.

Theodorus Beza octogesimo septimo ætatis anno decedit.

In Anglia, mense Novembri, detegitur horrenda conjuratio Catesbii, Percii, & aliorum nobilium Pontificiis sacris addictorum, in regem Jacobum, quâ ipsum unà cum conjuge & liberis, totoque Parlamento, pulvere tormentario ædibus ubi congregabatur subjecto, tollere de medio moliebantur. Supplicium de conjuratis sumptum est, & simul de Henrico Garneto Jesuita, qui conscius fuerat.

Anno 1606, Paulus V rempublicam Venetam anathemate ferit, eò quòd legem veterem, quâ vetabatur ne ulla nova templa aut cœnobia, absque Senatus consensu, exstruerentur, & ne Ecclesiasticis ulla inposterum bona immobilia donarentur, abrogare nollet. Eâ occasione Jesuitæ, qui Pontificis partes sequebantur, ex territorio Veneto pulsi fuerunt: sed tandem anno 1657 reditum impetrarunt. Pax Henrico IV intercedente redintegrata fuit, eâ conditione ut Papa Venetos excommunicationis vinculo solveret, cæteraque ab iis constituta, rata manerent. Durante illo dissidio Paulus monachus Servita, historiæ Concilii Tridentini auctor, multa pro jurium reipublicæ Venetæ defensione scripsit. A.1606

In Moscovia magnus Dux Demetrius à suis trucidatur, propterea quòd Polonis & Pontifici Romano videbatur favere. Cui addebatur, ipsum pro Theodori, ante octennium defuncti filio se falsò venditare.

Anno 1607, mense Januario, ingens in Anglia inundatio contigit, mari Somersetiæ regionem ad viginti milliaria in longitudinem, quatuor verò in latitudinem operiente, cum tanto hominum, pecorum, ædificiorum & agrorum detrimento, ut vix dici possit. A.1607

Nobilis pugna navalis inter Jacobum Hemskerkium

Hollandorum thalassiarcham, & Hispanos, commissa est ad oppidum Gibraltar, in qua Hispani succubuerunt.

Ludovicus Hassiæ Landgravius, Academiam Giessenam, privilegiis à Cæsare impetratis, fundat.

Collegium Jesuitarum Viennæ, cum templo & insigni bibliotheca, igne absumptum est.

Cæsar Baronius Cardinalis obit. Item Justus Lipsius.

A.1608 Anno 1608, Archidux Matthias Rodolphum II, fratrem suum, bello aggreditur, & ab eo regnum Hungariæ, & Ducatum Austriæ extorquet.

Mense Februario, Ambrosius Spinola, & aliquot alii regis Hispaniarum legati, Hagam veniunt, de induciis cum Ordinibus acturi: quæ tandem anno sequente, mense Aprili, per interventum præcipuè regis Galliæ, ad annos duodecim conclusæ fuerunt.

A.1609 Anno 1609, mense Martio, Dusseldorpii obiit Johannes Wilhelmus Juliæ, Cliviæ, & Montium princeps, nullâ prole relictâ. De cujus hæreditate magnæ lites exortæ sunt inter ipsius consanguineos, præcipuè Electorem Brandeburgicum, & Palatinum Neuburgensem.

Mense Januario Josephus Justus Scaliger, Julii filius, Lugduni Batavorum annos sexaginta novem natus, è vita excedit.

Mense Octobri Jacobus Arminius, celebris Theologus, ibidem diem suum obit, anno ætatis quadragesimo nono.

A.1610 Anno 1610, Henricus IV ingentem conscribit exercitum, expeditionem, ut putatur, in Juliacensem & Clivensem ditionem facturus, & lites illic obortas compositurus. Sed mense Maio à sicario Lutetiæ confossus est. Successit ei filius major natu Ludovicus XIII, annum agens ætatis nonum. Intereaque dum adolescit Maria de Medicis mater negotia regni administrat.

Mense Julio, Comes Mauritius, auxiliis Galliæ adjutus, oppidum Juliacum obsidet, & Septembri deditione accipit.

Philippus III Hispaniæ rex arcem Alarachiam, à Mauris ad fretum Gaditanum exstructam, corruptis pecuniâ custodibus adeptus, Mauros omnes Hispaniâ, sub prætextu quòd Mahometanæ essent religionis, bonis illorum fisco addictis, exceptâ pecuniâ & supellectile, quam secum asportare poterant, intra triduum sub pœna

capitis

capitis jussit excedere. Isto anno ad nongenta capitum millia inde pulsa esse feruntur, & proximè sequentibus adhuc non pauca.

Quidam Pastores in Hollandia Ordinibus offerunt Remonstrantiam, in qua suam de Prædestinatione & annexis capitibus sententiam exponunt: ejusque occasione Remonstrantes, ipsorum verò adversarii Contraremonstrantes appellati fuere.

Anno 1611, habita est Hagæ Comitis, coram Hollandiæ Ordinibus, collatio inter sex Pastores Remonstrantes, totidemque Contra-remonstrantes. Sed consentire de controversiis suis non potuerunt. A.1611

Rex Daniæ bellum Suecis indicit, & civitatem Calmariam occupat. Nec diu pòst obit Carolus Sueciæ rex, & Gustavus filius ipsi succedit.

Anno 1612, mense Januario, moritur Pragæ Rodolphus II. trigesimo sexto imperii sui anno. In cujus locum Junio sequenti eligitur Matthias, Hungariæ rex, ipsius frater. A.1612

Mense Aprili, ludi celebrantur Lutetiæ, *carrousels* dicti, in gratiam gemini de quo conventum erat, conjugii regii, alterius quidem Ludovici XIII cum Anna Austriaca, Philippi III Hispaniæ regis filia: alterius verò Philippi Hispaniæ Infantis cum Elizabetha Ludovici XIII sorore.

Fridericus V, Elector Palatinus, trajicit in Angliam, ut Jacobi regis filiam in uxorem ducat.

Belgii uniti Ordines fœdus cum Achmete Turcarum Imperatore, per legatum ab eo missum, Hagæ paciscuntur.

Anno 1613, pax fit inter Daniæ & Sueciæ reges, & Calmaria Suecis restituitur. A.1613

Anno 1614, Condæus, & aliquot ei adjuncti principes, arma in Mariam Galliæ regentem capiunt, ut eam ab administratione regni deturbent; prætexentes quòd Ancræus Marchio Italus nimis apud eam auctoritate polleret. Sed regina ipsos pecuniâ placat. A.1614

Wolfgangus Wilhelmus, Neubergensis princeps, ducis Bavariæ gener, Religionem reformatam abdicat, & ad Pontificios transit.

Mense Augusto, Academia Groningæ, in Frisia Occidentali, instituitur; cujus primus Rector fuit Ubbo Emmius, celebris historicus.

Ordines Hollandiæ Edictum faciunt ad Remonstrantes & Contra-remonstrantes inter se conciliandos. Cui Remonstrantes obtemperant: sed à plerisque Contra-remonstrantibus reclamatur.

A.1615 Anno 1615, in Gallia Ordines regni, secundùm id quod regina anno præcedente Condæo principi promiserat, Lutetiam convocantur. Ubi communibus suffragiis ab omnibus itum est in hanc sententiam; Regem nullo prætextu à subditis posse interimi. An verò regum potestas uni Deo immediatè subjaceat, & à Pontifice Romano excommunicari, regnoque deturbari non possint, propter dissensum Cleri & tertii Ordinis, indefinitum est relictum.

Condæus & fœderati Principes impedire volunt, ne rex Galliæ Bayonam, ad suum cum filia regis Hispaniæ conjugium implendum, proficiscatur. Sed non possunt executioni mandare quod intenderant.

Moschi in magnum Ducem eligunt Michaëlem Fedrowitium, eâ spe ut Moscoviam diuturno bello à Suecis & Polonis vexatam, in pristinam quietem restituat.

Judæi Wormatiâ à populo, quantumvis repugnante Senatu, ejiciuntur, & Synagoga ipsorum diruitur. Sed Elector Palatinus tumultum istum componit.

A.1616 Anno 1616, Flessinga & Briela, & arx Rammekens, Elizabethæ Angliæ Reginæ ab Ordinibus fœderatis oppigneratæ, à Jacobo, solutâ 3300000 florenorum summâ, redimuntur; & Anglorum præsidia inde discedunt.

Condæus pace cum rege compositâ, Lutetiæ absque ullius periculi metu degens, in custodiam ex improviso datur, ubi ultra triennium detinetur.

A.1617 Anno 1617, Ludovicus XIII, ex Luynæi consilio Marescallum Ancræum, summam tunc in aula potestatem habentem, interimi jubet. Quod factum est à Vitrio regis stipatorum præfecto, in ipso regiæ ingressu. Et cùm in proxima æde sacra terræ mandatus extemplo esset, sequenti die cadaver ejus effossum per Lutetiæ plateas à plebe raptatur, & in patibulis, quæ multis urbis locis ad terrorem inimicis suis incutiendum, erigi curaverat, suspenditur, tandemque crematur. Ejus vidua, sub prætextu quòd maga & sacris Judaïcis addicta foret, à Curia Parlamenti capitis damnatur.

Achmeti Turcarum Imperatori defuncto surrogatur Musta-

Mustafa. Verùm compertus ad imperium minùs idoneus, à proceribus qui ipsum extulerant sequenti anno è solio deturbatur, & Osmannus Achmetis nuper defuncti filius, tredecim annorum puer, creatur Imperator.

Cùm hic centesimus ab inchoata per Lutherum Ecclesiæ reformatione annus esset, placuit eum inter Protestantes totâ Germaniâ tanquam Jubilæum celebrari, & aliquot dies publicis gratiarum actionibus impendi. Quod factum est primùm in Saxonia, Electoris auspiciis; deinde in Electoratu Palatino & Brandenburgensi, aliisque lociis.

Anno 1618, dissidiis de religione quæ fœderatum Belgium agitabant, accesserat controversia politica, penes quos esset summum imperium, an penes singularum provinciarum Ordines in suo districtu, an verò penes Ordines Generales in omnes provincias. Quam ut Generales sibi assererent, Synodum nationalem, contradicente licet Hollandiâ, Transisalaniâ, & Ultrajecto, convocare Dordrechti proposuerunt. Et Princeps Mauritius ad trium istarum provinciarum consensum extorquendum, muneribus movit Magistratus Neomagi, Ultrajecti, & in plerisque Hollandiæ civitatibus, aliosque sibi addictos in eorum locum substituit. Præterea in vincula conjecit Joannem ab Olden Barneveltium, Hollandiæ advocatum, Rumoldum Hogerbetium Syndicum Leydensem, Hugonem Grotium Syndicum Rotterodamensem, & Ægidium Ledembergium Secretarium Ultrajectinum. Sic nemine ampliùs obstare valente Synodus nationalis habita est Dordrechti, ad quam invitati fuerant Theologi Angli, Palatini, Helvetii, aliique. Initium cepit mense Novembri, & finiit Maio anni sequentis. In eaque damnata fuit Remonstrantium sententia. Sed illi Synodi, quæ adversa pars erat, judicio non acquieverunt. Indéque novum inter Protestantes exortum est schisma. A. 1618

Mense Novembri incepit apparere horrendus Cometa, cujus cauda erat longitudinis plus quam sexaginta quatuor graduum.

Oppidum Plours in Rhetia, à monte super illud cadente, cum mille quingentis hominibus opprimitur.

Tumultus in Bohemia oriuntur, cùm aliquot Euangelici proceres, offensi quòd gravamina sua à Consilia-

riis Cæsareis spernerentur, tres eorum Pragæ per fenestras, altas viginti septem ulnas, in pomæria arcis præcipites dedissent; qui tamen ex illo casu incolumes evaserunt.

Venetiis detecta est conjuratio aliquot sicariorum, qui Curiam invadere, Senatores opprimere, armamentarium incendere, pontes disturbare, & totam urbem vastare proposuerant. De iis qui fugâ non potuerunt evadere sumptum est supplicium, aliique suspensi, alii aquis demersi fuerunt.

Cardinalis Perronius obit.

A.1619 Anno 1619, Johannes Barneveltius à vigintiquatuor Judicibus, quibus Ordines Generales istud munus commiserant, morte damnatur, sub prætextu quòd reipublicæ statum turbavisset. Sed ipse in ferali pegmate stans, protestatus est publicè se pro libertatis patriæ defensione mori. Hogerbetius & Grotius ad perpetuos carceres sunt condemnati. Verùm Grotius anno circiter pòst evasit, & Lutetiam se contulit: ubi in lucem edidit Apologeticum pro iis qui Hollandiæ ante mutationem, anno 1618 factam, præfuerant; dignum lectu opus.

Mense Martio Imperator Matthias Viennæ è vita excessit. In cujus locum surrogatus est Ferdinandus II filius, Bohemiæ rex.

Directores regni Bohemiæ, Ferdinando abdicato, Fridericum Electorem Palatinum sibi in regem elegerunt; qui sub anni finem eò se contulit, & Pragæ coronatus est.

A.1620 Anno 1620, mense Novembri, prælium à Cæsareanis prope Pragam commissum est, cum Friderici Palatini exercitu; ubi victoria fuit penes Cæsareanos, & Fridericus fugâ sibi consulens, in Hollandiam sequenti anno appulit; illicque cum uxore & liberis reliquum vitæ tempus privatus traduxit. Bohemia verò, post illam Palatini cladem, ad fidem Imperatoris, cum adjunctis provinciis, rediit.

Ambrosius Spinola cum ingentibus copiis in Palatinatum ingreditur, & ibi multas urbes exiguo temporis spatio occupat.

Bellum civile in Gallia adversus Protestantes incipit, cùm Benearnenses edicto regis recusarent parere, quo jubebat ut bonis Ecclesiasticis cederent, & Episcopis

ea

ea restituerent. Nam rex illuc profectus ipsos ad obedientiam coëgit,& civitates quas Protestantes tenebant, custodiendas Catholicis tradidit.

Anno 1621, in Belgio fœderato erigitur Societas Indiæ Occidentalis; cui Ordines generales similia atque Orientali privilegia concedunt. A.1621.

Conventus Protestantium ex omnibus Galliæ provinciis habetur Rupellæ; ubi arma ad sui defensionem, contra religionis quam profitebantur hostes,capere statuunt.Ideo rex in illos expeditionem suscipit; cui Salmurium à Mornæo Plessæo ultrò traditur. Postea civitatem S. Johannis Angeli obsidione cingit, & ad se dedendum adigit; aliasque deinde in Santonibus & Vasconia, numero circiter sexaginta, partim vi, partim terrore subire jugum cogit. Sed Montalbano, quam autumno obsidere cœperat, potiri nequivit. Ibi dux Majennius ictu sclopeti in capite percussus occubuit. Quo Lutetiæ audito, plebs furore incensa Carentonam tendit, & templo Protestantium faces admovet, quibus in cineres redigitur.

Gustavus Sueciæ rex Rigam Livoniæ metropolim occupat.

Paulus v obit Januarii 28, ætatis suæ 69. In cujus locum electus est Gregorius xv.

Philippus III Hispaniæ rex moritur mense Martio, ætatis 43. Cui succedit Philippus IV filius.

Albertus Austriæ Archidux,& Belgii princeps, mense Julio, superos relinquit.

Robertus Bellarminus Card. Septembri decedit.

Anno 1622, mense Septembri, Heidelberga à Tillio Cæsareano duce, qui eam aliquandiu obsessam tenuerat, tandem vi expugnata fuit, militique insolenti frænum laxatum ut eam diriperet, & in miseros cives omni crudelitatis genere sæviret. Bibliotheca plurimis raris & excellentibus libris abundans, partim Monachium, partim Romam transportata est. A.1622.

Mense Octobri, pax in Gallia fit cum Protestantibus ad Montempessulanum: sed quæ non fuit diuturna.

Anno 1623, Maximilianus Bavariæ dux creatur Imperii Elector, cum hæredibus suis, in locum Friderici Palatini, istâ dignitate propter bellum in Cæsarem motum deturbati. A.1623.

Franckendalia longo tempore obsessa se dedidit Hispanis. Spinola qui paulò ante Bredam Ordinibus fœderatis eripuerat, Bergopsomæ obsidionem, Mansfeldio ad opem ferendam accurrente, deserere coactus est.

Gregorius XV obiit Julii 8. In cujus locum suffectus est, Augusti 7, Urbanus VIII Florentinus, antea Mapheus Barberinus dictus.

A.1624 Anno 1624, Armandus Plessiacus Richelius, primùm Episcopus Lussonensis, deinde Cardinalis, supremam regni Galliæ administrationem, à Ludovico XIII, omnia ejus curæ permittente, obtinet. In quo munere quædam præclarè, multa tyrannicè & crudeliter gessit.

Jesuitæ & alii Ecclesiastici ordinis, qui occasione conjugii Caroli Walliæ principis cum Henrica Maria regis Galliæ sorore, magno numero in Angliam confluxerant, ex toto isto regno intra breve tempus excedere jubentur.

Contrà, Ministri Protestantes ex Austria, Bohemia, Moravia, edicto Cæsaris proscribuntur, & omne in ejus ditionibus reformatæ religionis exercitium prohibetur.

A.1625 Anno 1625, mense Martio, Jacobus magnæ Britanniæ rex, 66 annos natus, moritur. Cui in regno Carolus filius succedit.

Mense Aprili, Mauritius princeps Arausionensis, Belgii fœderati Gubernator, diem suum obit. Ejus in principatu hæres est Fridericus Henricus frater: qui etiam ab Ordinibus in Gubernatorem eligitur.

Mense Julio, Gustavus Adolphus Sueciæ rex, cum classe Rigam appellit, & aliquot Livoniæ urbes à Polonis adhuc detentas, occupat.

A.1626 Anno 1626, mense Maio, rustici in Austria arma capiunt, ad obtinendum liberum religionis quod eis ademptum fuerat exercitium; & aliquot loca vi occupant. Sed anno sequenti profligantur, & supplicium de captis sumitur.

Persæ Turcarum exercitum prope Babylonem fundunt, & totali internecione delent.

A.1627 Anno 1627, mense Junio, Cæsar omnes regni Bohemiæ incolas, etiam equestris ordinis, religionem Romano-Catholicam amplecti detrectantes, edicto inde intra certum tempus excedere jubet.

Mense

Mense Julio, horrendus terræ motus universam ferè Apuliam concutit, & oppida, pagos, arces, sylvas, cum septemdecim circiter hominum millibus absorbet.

Angli, à Rupellanis advocati, in insulam Ream, duce Buckingamo, exscensionem faciunt. Sed non diu pòst inde à Gallis magna cum strage pelluntur.

Rex Galliæ Rupellam arctâ obsidione cingit, aggere in mari ex ingentibus lapidibus facto, ut omnem in eam commeatum ingredi pohibeat.

Fridericus Henricus princeps Arausionensis, pro Ordinibus fœderatis militans, civitatem Grollam ad deditionem adigit.

Anno 1628, mense Octobri, Rupella fame pressa cogitur regi se dedere, postquam in ea ultra duodecim hominum millia ex ciborum penuria interiissent. Muri illius & superba propugnacula solo æquantur. A. 1628

Anno 1629, Gustavus Adolphus Suecorum rex Stralsundam urbem expugnat, & bellum in Cæsarem aggreditur. A. 1629

Mense Januario, in Hollandiam appellit Petrus Heyn thalassiarcha, cum ingenti auri & argenti copia, Hispanis in India Occidentali, prope Insulam Cuba erepta. Cujus summa ad triginta florenorum milliones accedere existimabatur.

Princeps Arausionensis Sylvam ducis, quam ineunte Maio obsidione cinxerat, Septembri deditione capit. Wesalia mense Augusto in potestatem Ordinum fœderatorum stratagemate venit.

Anno 1630, Gustavus Adolphus in Pomeraniam ingreditur, & Stetinum aliasque multas urbes occupat, ac omnia armorum suorum terrore in Germania implet. A. 1630

Anno 1631, mense Maio, Magdeburgum à Tillio duce Cæsareano, vi expugnatur, expilatur, & incenditur, adeò ut paucæ ex tam eximia & magna urbe domus integræ remanserint. A. 1631

Gustavus rex contractâ cum Electore Saxoniæ societate, Cæsareanos ad Lipsiam, mense Septembri, prælio superat; ubi ultra sex millia eorum occubuisse feruntur. Exinde omnia ipsi prosperè succedunt, & plurimas urbes & provincias imperii Germanici occupat.

Anno 1632, mense Januario, Illustris Schola Amsteldamensis erigitur: in qua primi professores fuerunt A. 1632

viri eximii, Gerardus Joan. Vossius, & Gaspar Barlæus.

Mense Augusto Trajectum ad Mosam, post duorum mensium cum dimidio obsidionem, Principi Arausionensi se dedit.

Mense Novembri, Sueci ad Lutzenam cum Cæsareanis prælio decertant, & victoriam obtinent: sed rex Gustavus occumbit. Christina filia adhuc infans ei succedit. Intereaque dum adolescit proceres negotia regni administrant.

Eodem mense, Fridericus Palatinus, antea Bohemiæ ad exiguum tempus rex, Moguntiæ defungitur.

Memorabilis fuit hic annus montis Vesuvii incendio, quod Februario cœpit, & ingentem Neapolitanis terrorem incussit.

Sigismundus III Poloniæ rex moritur Aprili; & in ejus locum filius primogenitus Vladislaus IV, Octobri eligitur.

A.1633 Anno 1633, mense Septembri, rex Nanceium, Lotharingiæ metropolim, sibi subjicit.

Mense Decembri, Isabella Clara Eugenia, Philippi III Hispaniæ regis filia, Belgii princeps, fato fungitur.

A.1634 Anno 1634, mense Februario, Valsteinius, Fridlandiæ dux, exercitus Cæsareani Generalis, Egeræ jussu Cæsaris confoditur; quòd Suecis se adjungere, & regnum Bohemiæ occupare velle, compertus esset.

Ferdinandus Cardinalis, regis Hispaniæ frater, in Belgium venit, ut ejus gubernationem à fratre sibi demandatam suscipiat.

A.1635 Anno 1635, rex Galliæ Hispano bellum indicit, quòd Electorem Trevirensem, quem in protectionem suam receperat, captivum detineret.

Mense Julio, arx Schenckia, Hollandiæ quasi clavis, occupata est ab Hispanis: sed paucis pòst diebus à Principe Arausionensi obsessa, & Aprili anni sequentis recuperata fuit.

Anno 1635 & 1636, pestis in Hollandia, & vicinis locis, grassata est, quæ multa hominum millia abstulit.

A.1636 Anno 1636, mense Martio facta est inauguratio Academiæ Ultrajectinæ.

Mense Maio, pax inter Cæsarem & Electorem Saxoniæ redintegrata est Pragæ. Et sic Elector Suecorum & aliorum fœderatorum principum partes deseruit.

Hispani

Hispani Corbejam Picardiæ civitatem ad Somam occupant; sed paulò pòst inde à Gallis expelluntur.

Circa hoc tempus Tartari, qui jam ab anno 1616 Sinenses bello lacessiverant, majoribus cum viribus in Sinas ingressi, eas viginti annorum spatio totas domant & imperio suo subjiciunt.

Anno 1637, mense Octobri, princeps Arausionensis Bredam, post undecim hebdomadum obsidionem, ab Hispanis recuperat. A.1637

Anno 1638, Bernardus dux Vinariensis Brisacum ad Rhenum, urbem munitissimam, quam diu obsessam tenuerat, fame ad deditionem cogit. In cujus obsidione utrimque plus quàm octuaginta hominum millia perierunt. A.1638

Anno 1639, mense Octobri, commissum est prælium navale in Duyns, ubi Trompius Fœder. Ordinum thalassiarcha, Hispanorum classem, licèt viribus esset inferior, dissipavit, & partem aliam navium incendit, aliam demersit, aliam cepit; adeò ut paucæ incolumes in patriam redierint. A.1639

Ferdinandus II Imperator ex hydrope obit. Et in ejus locum aliquantò pòst surrogatur filius Ferdinandus III.

Anno 1640, Catalauniæ principatus regis Hispaniarum jugum excutit, & se Gallorum protectioni committit. A.1640

Joannes Bragantiæ dux, è regum Lusitaniæ prosapia oriundus, ab Hispaniæ rege deficit, & regni Lusitanici gubernaculum suscipit.

Dissensiones civiles in Scotia primum initium sumunt occasione regiminis Episcopalis: deinde in Angliam pervadunt; ubi aliquanto pòst Episcopi omnes abrogantur.

Maria regis Angliæ filia, desponsatur Wilhelmo Arausionensi, Friderici Henrici filio.

Mense Martio fuit terræ motus per universum Belgium, & vicina aliquot loca.

Amurathes Turcarum Imperator obit, anno ætatis trigesimo tertio. Cui succedit Ibraim I, frater.

Anno 1641, Comes Straffordus, Hiberniæ prorex, Londini jussu Parlamenti, rege ægrè assentiente, capite plectitur. Et statim pòst bellum civile inter regem & Parlamentum exoritur. A.1641

Mense

Mense Novembri, Ferdinandus Cardinalis, Hispaniæ Infans, & Belgii gubernator, Bruxellis obit.

A.1642 Anno 1642, mense Julio, Maria de Medicis, Henrici IV Galliæ regis vidua, & Ludovici XIII mater, Coloniæ Agrippinæ in magna paupertate vitâ excedit.

Nec diu pòst Cardinalis Richelius Lutetiæ, anno ætatis sexagesimo sexto, mortalitatem explevit.

A.1643 Anno 1643, mense Maio, rex Galliæ Ludovicus XIII moritur. Cui succedit filius Ludovicus XIV, quinque annorum infans. Et interea dum adolescat, regina mater, Anna Austriaca, regni regens constituitur. Julius Mazarinus Cardinalis eandem quam Richelius antea potestatem obtinet.

Galli ad Rocroiam prælio cruento Hispanos fundunt.

A.1644 Anno 1644, Monasterium Westphaliæ conveniunt delegati Imperatoris, regum Hispaniæ, Galliæ, Sueciæ, Ordinum fœderatorum, aliique, ut de pace tractent.

Urbanus VIII, septuagesimo septimo ætatis anno obit, postquam sedem Pontificiam unum & viginti annos occupasset. In ejus locum eligitur Baptista Pamphilius septuagenarius, qui sibi Innocentii X nomen assumit.

A.1645 Anno 1645, bellum in Anglia inter regem & Parlamentum acriter geritur. Fairfaxius regis copias cædit. Wilhelmus Laudus, Angliæ primas, septuagenarius senex, post duorum & ampliùs annorum captivitatem, jussu Parlamenti capite truncatur.

A.1646 Anno 1646, Galli in Belgio Cortracum, Vinocibergam, Mardikum, Grevelingam, & tandem etiam Dunkerkam, aliaque loca, expugnant: sed non diu pòst omnia amittunt.

A.1647 Anno 1647, mense Martio, moritur Fridericus Henricus Arausionensis, Fœderati Belgii gubernator. In cujus principatum succedit Wilhelmus filius, sicut etiam in officium, secundùm concessionem anno 1631 ab Ordinibus factam.

Leopoldus Wilhelmus, Archidux Austriæ, à rege Hispaniæ gubernator Belgii constituitur.

Neapolitani, duce Thoma Aniello piscatore, seditionem adversus regem Hispaniæ movent: sed tandem domantur.

A.1648 Anno 1648, mense Januario, pax constituta fuit inter Impe-

Imperatorem ab una parte, & regem Galliæ atque Suecos ab altera; item inter Hispaniæ regem & Ordines Fœderati Belgii. Ludovicus Friderici Palatini filius, in Palatinatum inferiorem restitutus est, & octavus Imperii Elector creatus. Palatinatus superior mansit in Bavari, qui ipsum occupaverat, potestate.

Mense Aprili, Academia Harderwicena ab Ordinibus Geldriæ instituitur.

Christianus IV Daniæ rex obit. Cui filius Fridericus V, nuper Archiepiscopus Bremensis, succedit.

Vivere etiam desiit Vladislaus IV Poloniæ rex. Eique Casimirus frater successit. Cujus regnum Cosacorum seditionibus vehementer est concussum.

Anno 1649, mense Februario, Carolus I, magnæ Britanniæ rex, jussu Parlamenti, qui ipsum bello superatum in vinculis detinebat, capite truncatus est, & regnum in rempublicam novam transformatum. A. 1649

Dissensione obortâ inter regem Galliæ & Parlamentum Parisiense, propter Cardinalis Mazarini regimen, Lutetia à rege obsidetur: sed paulò pòst turbæ ad exiguum tempus componuntur, Lutetiaque secundæ obsidionis damna sustinet.

Anno 1650, in fine Julii, Wilhelmus Arausionensis urbem Amsteldamum ex improviso occupare tentavit. Sed non successit ipsi. Novembri sequente ex variolis Hagæ obiit. Filius Wilhelmus Henricus, octo post ejus mortem diebus natus est. A. 1650

Renatus Cartesius, nobilis Gallus, novæ Philosophiæ auctor, obit Stockholmiæ in Suecia.

Anno 1651, mense Januario, facta est Hagæ congregatio Ordinum Belgii uniti, ad fœdus firmandum, & de modò regiminis inposterum servandi, Principe Arausionensi gubernatore mortuo, dispiciendum. A. 1651

Anno 1652, mense Martio, Parlamentum Angliæ literas represaliarum adversus Hollandos concessit; unde factum est ut multas naves amitterent. Res tandem in apertum bellum erupit, quod duos annos duravit. A. 1652

Anno 1653, mense Decembri, Olivarius Cromwel, antea copiarum Parlamenti dux, Protector Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ declaratus est. A. 1653

Anno 1654, mense Maio, pax cum Anglis, post aliquot cruenta prælia in Oceano, & mari Mediterraneo, A. 1654

com-

INDEX
RERUM & VERBORUM
Locupletissimus.

A.

Agesi-

An-

Clau-

Cothys

D.

Expe-

G.

Galea-

I.

Jasonis

Lotha-

Manas-

Mi-

S. Ni-

P.

Phi-

Q.

R.

Ri-

Ru-

Septi-

T

Theo-

V.

Za-







